# CÆREMONIALE

JUXTA RITUM

## S. ORDINIS PRÆDICATORUM

REV.[mi] PATRIS FR. ALEXANDRI VINCENTII JANDEL

EJUSDEM ORDINIS GENERALIS MAGISTRI

JUSSU EDITUM.



MECHLINIÆ.

H. DESSAIN,

SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCLXIX.

18 9.1.11
IBRARY

NOS FRATER ALEXANDER-VINCENTIUS JANDEL,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR, ET TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM HUMILIS MAGISTER GENERALIS ET SERVUS,

*Omnibus et singulis ejusdem Ordinis Fratribus et Sororibus salutem et divini cultus studium.*

Capitulum « *De Officio Ecclesiæ* » in principio Constitutionum nostrarum primum omnium consulto ponitur : quatenus nobis innotescat quod Ordinis nostri, cujus est *laudare*, *benedicere* et *prædicare*, primum munus sit divino cultui vacare. Hinc Capitulorum nostrorum Generalium de sacris Officiis indeficiens cura maximusque zelus fuit.

« Imprimis enim Patres nostri, a divino cultu » exordium sumentes, quoniam, inquiunt, » cultus divinus nostris debet actionibus ante- » ferri (Romæ 1481), » quam plurimas Ordinationes, Declarationes, Commissionesque de re liturgica, tum ad definiendas quæstiones, tum ad libros excudendos, tum ad sequelam Chori,

Cæremoniarumque uniformitatem determinandam, tum ad Fratrum devotionem excitandam ediderunt.

Inter quas, sequentes Commissiones a pluribus Capitulis Generalibus de Libro Cæremoniali conficiendo evulgandoque referre opportunissimum erit :

Et quidem Capituli Romæ 1644 Commissio 9. sic habet : « Committimus R. P. Magistro
» Fr. Camillo Jasinski, Provinciæ Poloniæ, ut
» pro reparanda rituum nostrorum uniformita-
» te, clare, solide, distincteque in ordinem
» redigat, et explicate disponat quidquid in
» Rubricis et in Cæremoniis nostri Ordinis
» obscurum, ambiguum et quoquo modo con-
» troversum passim solet occurrere; ut ex his
» demum aliquod consummatum et constans
» Ordinis Cæremoniale opera et lucubratione
» ejusdem Patris quamprimum conficiatur. »

Post decem annos a dicta Commissione prodiit quidem Cæremoniale Ordinis a R$^{mo}$ Patre Fr. Ignatio Ciantes, Episcopo Sancti Angeli Lombardorum, olim Socio R$^{mi}$ Magistri Ordinis Nicolai Rodulphii, conflatum. Quod cum Ordinis approbatione caruerit, Patres Capituli Romæ 1670, sub R$^{mo}$ P. Fr. Joanne Roccaberti celebrati, supracitatam Commissionem iteraverunt his verbis :

Commissio 5$^a$ : « Committimus R$^{mo}$ Magistro
« Generali ut pro usu et uniformitate Religionis

» faciat concinnari et imprimi Commune Cære-
» moniale Ordinis, ex variis tum priscis tum
» modernis exemplaribus ad invicem collatis,
» adhibitis ad id viris rituum nostrorum peri-
» tissimis. »

Quæ Commissio cum absque effectu remansisset, iterum atque iterum innovata fuit, videlicet : anno 1694, a Capitulo Romæ, hoc modo : « Committimus R$^{mo}$ Magistro Generali ut per » viros eruditos Cæremoniale ordinari curet, » qui diligenter intendant quid ex antiquis riti- » bus Ordinis tenendum servandum aut mode- » randum videatur. »

Deinde, anno 1706, a Capitulo Bononiæ : « Committimus, inquit, R$^{mo}$ Magistro Generali » ut viros idoneos seligat atque deputet, qui » Cæremoniale Ordinis nostri componant, » ejusque invigilent impressioni. »

Facta vero, post triginta annos, a R$^{mo}$ Magistro Generali Antonino Cloche revisione et correctione Missalis aliorumque librorum nostræ liturgiæ, Auctoritate Apostolica sancita, magis ac magis optabatur novum Cæremoniale dictis libris conforme. Unde Patres Capituli Bononiæ 1748 denuo commiserunt R$^{mo}$ P. Generali « ut universi Ordinis commodo, utilitati et » ornamento, ab idoneis viris, per ipsum seli- » gendis, confici atque (inter alios libros) evul- » gari curet Cæremoniale Ordinis. »

Tandem Capitulum Romæ 1777, Commissione

15ª, omnes prædictas Commissiones confirmans, et innovans, ait : « Quo facilius et accuratius » sacrorum rituum et Cæremoniarum, illarum » imprimis quæ Ordinis nostri sunt propriæ, » notitia a nostris comparari possit; committi- » mus R^mo Magistro Ordinis, quemadmodum » alias, ac postremo in Capitulo Generali Bono- » niensi anno 1748 commissum fuit, ut novam » Cæremonialis et Ritualis Ordinis editionem, » adhibitis viris rei liturgicæ peritis, procuret. »

Tot itaque Commissionum auctoritate, omniumque votis et postulationibus, necnon ipsius rei utilitate, ne dicamus necessitate ducti, opus a fere duodecim abhinc annis incipi jussimus; illudque labore non modico, nunc tandem consummatum vobis tradere, simulque nonnulla animadvertenda circa ejus naturam, divisionem, auctoritatem et usum indicare juvat. At primo quidem de ejus natura.

I. *Cæremoniale* in nomenclaturam librorum authenticorum in nostro ritu usurpatorum, a Ven. P. Humberto descriptam non venit; neque in Bulla Clementis PP. XII, « *Exponi nobis*, » inter nostros libros liturgicos recensitum invenitur, nec unquam in Ordine rite receptum fuit. Prædictis igitur Commissionibus suis, Capitula Generalia novum librum sub dicto titulo « confici seu componi » optarunt, qui, aliis Codicibus nostris liturgicis in sua semper integritate, forma et auctoritate remanentibus, eorum ta-

men omnium Rubricas contineret, ordinaret, declararet, et quantum opus est compleret, pro commodo Religionis et sacrarum Cæremoniarum majori uniformitate : quod etiam ex prælaudatis eorumdem Capitulorum verbis constat. Hanc ergo præsignatam viam sequi debebamus.

II. Nemo enim nescit Rubricas et Cæremonias ritus nostri passim in singulis libris liturgicis, necnon in Constitutionibus nostris sparsas esse; ita ut si quis eis velit studere, non possit nedum rem totam complecti, sed nec unum quidem articulum integrum indagare, quin aliquando plura volumina volvere debeat. Commodius igitur in unico valde modicæ molis volumine ad manum veniunt congestæ Rubricæ et Cæremoniæ omnes quæ ad nostrum ritum pertinent.

III. Nec mirum si in Rubricis nostris ita dispersis aliqua oriatur confusio : cui etiam obviare intendentes, Patres Capitulares eas in Cæremoniali « clare, solide, distincteque in » ordinem redigi, et explicate disponi » jusserunt. Quod ut accuratius fiat, non jam alicujus libri liturgici ordinem sequi, sed novam quamdam methodum, quæ omnium librorum rubricas apte colligeret adoptare opus erat. Unde in quatuor partes hoc Cæremoniale dividitur :

In quarum prima de Rubricis generalibus, quæ ad ordinem Officii et Missæ sacrorumque

verborum in eis dicendorum pertinent, seclusis Cæremoniis exterioribus, agitur;

In secunda vero de Cæremoniis proprie dictis, id est, de rebus adhibendis et de actionibus communiter adimplendis, tractatur;

Deinde, a generali ad particulare progrediendo, sacrorum Ministrorum officia in tertia parte ponuntur, quo valeat unusquisque, ad officium aliquod deputatus, omnia quæ sibi competunt facilius invenire.

Quoniam tandem multæ functiones particulares, proprias Rubricas habentes, sive regulariter infra annum, sive aliter occurrunt celebrandæ, de his in quarta parte disseritur.

Quælibet vero pars in duo capita subdividitur pro magis obvia distinctione materiæ; singulaque capita plures articulos, paragraphis et numeris distinctos, continent, ut minima puncta sub suis respective titulis digesta facillime reperiri possint.

Animadvertendum est insuper, quod Rubricæ et Cæremoniæ Officii divini, ab illis quæ in Missa fiunt tam diversæ, et in *Ordinario* ab invicem sejunctæ, etiam in singulis partibus aut articulis hujus Cæremonialis distincte disponuntur: ita ut prius de Officio, deinde de Missa, quantum fieri potuit, tractatum fuerit.

IV. Ex clariori rerum ordine eas melius intelligi posse nemo sane inficiabitur. Aliquid tamen amplius requirebant nostra Capitula Gene-

ralia, prout cuique eorum verba perpendenti patebit, nempe : « quod explicate disponatur » quidquid in Rubricis et Cæremoniis nostri » Ordinis obscurum, ambiguum, aut quoquo » modo controversum passim solet occurrere », vel etiam : « quod diligenter intendatur quid » ex antiquis ritibus Ordinis tenendum, ser» vandum aut moderandum videtur. » Multæ quidem ex eo tempore, sive a Capitulis, sive a S. Rit. Congregatione, emanarunt declarationes et authenticæ interpretationes in modernis Rubricis insertæ. Alia tamen non pauca remanent dubia, quæ omnia de medio tollere si intenderemus, opus valde arduum, imo impossibile tentaremus.

Nihil tamen erat prætermittendum quominus votis Capitulorum etiam in hoc puncto aliquatenus satisfieret. Quamobrem, quoties necessitas videtur id postulare, relicta littera Rubricæ prout in aliis libris jacet (quam qui voluerit semper poterit adire), diversis terminis eadem exprimuntur, quo sensus genuinus, nedum vitiatus, e contra clarior inde appareat.

Præterea, opportunis parenthesibus, aut subjectis annotationibus, aut interpolatis textibus seu documentis aliunde deductis, aut jam dictis dicendisve alio in loco repetitis vel indicatis, Rubricæ sæpius declarantur, ut finis a nostris Capitulis intentus magis obtineatur, et praxis Cæremoniarum facilior et uniformior evadat.

V. Fateri quidem debemus Rubricas ritus nostri circa plura silere, exempli gratia, circa Collectas imperatas, vel celebrationem Missæ extra Conventum, aliaque nonnulla : quæ, cum in usum fere quotidianum veniant, de certa eademque regula ab omnibus servanda, ex jure Communi, sub quo tunc versamur, providere necessitas incumbebat. Hinc Decreta Apostolica seu S. Rituum Congregationis in medium erant afferenda : hæc enim Decreta, in dicto casu, procul dubio apud nos vim legis obtinent, stante præsertim ejusdem Sacræ Congregationis Declaratione in una Ordinis Prædicatorum, a SS. DD. N. Pio PP. IX. confirmata, super sequenti dubio, videlicet : « An Decreta a S. R. Congre-
» gatione emanata, et responsiones quæcum-
» que ab ipsa propositis dubiis scripto forma-
» liter editæ, eamdem habeant auctoritatem ac
» si immediate a Summo Pontifice promanarent,
» quamvis nulla facta fuerit de eisdem relatio
» Sanctitati suæ ? » — R. « Affirmative » (23 *Maii* 1846). Non equidem hujusmodi Decreta abrogant Rubricas, etiam ipsis adversas, ritus nostri, neque privilegia nostra in re liturgica de quibus constat, cum ritus specialis (quo jure utimur) etiam Apostolica approbatione gaudeat, de qua in capite Breviarii et Missalis, et in ipsis Rubricis pluries ; nec aliunde interserendi sunt, absque necessitate, in nostris Cæremoniis ritus extranei, etiam ex Liturgia Romana deprompti;

nec sunt servanda Decreta ad alienos tantum ritus pertinentia, quæ tunc evidenter nos non attingunt : his autem exceptis, tam in casu supra posito quam in cæteris, maxime in dubiis declarandis vel in incertis determinandis, dicta Decreta servanda sunt, et mens et leges Ecclesiæ a nobis fideliter debent custodiri.

Exstant autem et piæ quædam et laudabiles traditiones seu consuetudines, quæ ab antiquo universaliter in Ordine nostro servatæ, vim legis obtinere videntur; et illæ, præsertim dum Rubricæ tacent, aut clare non loquuntur, omnino præteriri nequiverant.

Hæc de natura et divisione hujus libri sufficiant. De illius auctoritate, et utilitate, seu usu, pauca adhuc subjiciemus.

VI. Quoad obligationem recitandi divinum Officium et Missam celebrandi juxta formam in ritu nostro præscriptam, vel servandi Rubricas, vel Chorum sequendi, etc., in Capitulo « *De Officio Ecclesiæ*, » vel alibi, satis dicitur; nec est cur hic ea repetantur. Ad rem igitur venientes, auctoritatem huic Cæremoniali tribuendam duplicem declaramus : intrinsecam, nempe, ex variis documentis quibus concinnatur provenientem, et quam talem esse patet, qualis erit ipsorum auctoritas documentorum; extrinsecam vero ex nostra approbatione, ut infra, collatam, et a proximo Capitulo Generali (adjunctis oppor-

tunis declarationibus aut mutationibus, prout ei placuerit) confirmandam.

Certum est enim textus quibus maxima pars operis conflatur, ex Breviario, Missali, Processionario, Collectario, Martyrologio, cæterisque libris auctoritate Apostolica approbatis depromptos vim suam ubique servare, cum recte citantur et rite promulgantur, et idem respective dicimus de clausulis nostrarum Constitutionum, de Ordinationibus vel Declarationibus Capitulorum Generalium, necnon de Decretis S. Rituum Congregationis passim in decursu libri allatis.

VII. Ex *Ordinario* autem nostro veteri multa, quæ recentioribus Rubricis non fuerunt moderata, vel generali consuetudine abrogata, inserere curavimus. Iste enim liber a Ven. Humberto exaratus, et explicite in Constitutionibus nostris (Dist I. C. I. T. IV.) approbatus, nec non a Capitulis Generalibus atque Apostolica auctoritate confirmatus (1) vim suam obligandi non amisit. Imo, in Capitulo Barcinonensi 1574, fuit decretum in confirmationem Ordinationum Capitulorum præcedentium (teste P. Cassito in Præfatione ad *Ordinarium* sua cura anno 1805 Neapoli reimpressum) quod in casu oppositionis inter Ordinarium antiquum et novas Rubricas, standum sit primo, nisi constiterit recentiores Rubricas ab aliquo Capitulo Generali fuisse con-

(1) Vid. ad calcem Append. A.

firmatas ; non enim alium librum Cæremoniarum magis authenticum Ordo noster unquam habuit quam Ordinarium istud, a quo olim totius nostræ liturgiæ (prout nomen indicat) ordo ratioque pendebant.

VIII. Quoad Cæremoniale, auctore R^mo^ P. Ciantes, de quo supra, licet in Ordine rite non fuerit approbatum, erroresque non paucos contineat, non erat tamen penitus rejiciendum. Plura enim in eo inveniuntur modernis rubricis non adversantia, ex quibus praxis aliquarum Cæremoniarum et consuetudinum illo tempore vigentium determinari potest.

IX. Consuetudines vero hoc in libro passim relatæ, aliæ sunt Rubricarum, ut ita dicam, explicativæ, et ipsis standum est juxta illud : « *Consuetudo optima legum interpres* »; aliæ vero præter legem in corpore Cæremonialis insertæ sunt, vel (cum minus universales aut essentiales videntur) in annotationibus suppositæ, quæ pariter, ubi vigent, servandæ sunt.

X. Non vos porro latere volumus quanta ex tali opere commoda reportari speramus : quorum primum et principale (ni spes fallat) plenior erit integritas et major uniformitas a vobis, in sacris Ritibus adimplendis servanda. Quam quidem uniformitatem quanti noster Ordo semper a primordiis fecerit, tum ex propriis verbis Prologi Constitutionum, tum ex Rubricis et Capi-

tulorum Generalium iteratis præscriptionibus satis constat. Sic enim incipit Prologus : « Quo-
» niam, ex præcepto Regulæ jubemur habere
» cor unum et animam unam in Domino, justum
» est ut qui sub una Regula et unius professio-
» nis voto vivimus, *uniformes* in observantiis
» canonicæ religionis inveniamur. » In Rubricis Missalis legimus :

« Cæremoniæ omnes Ordinis nostri tam in
» Altari quam in Choro et in divino Officio *con-*
» *formiter* et *uniformiter* ab omnibus observen-
» tur. Unde in Missa tam privata quam com-
» muni nihil quod notatum non est in nostro
» Ordinario interponatur, nec in principio,
» nec in fine; caveantque omnes ut privato
» spiritu quidquam Missæ aut Officio nostro
» addant, detrahant, transponant, immutent,
» seu in verbis seu in ritu secreto aut clara
» voce. » (*Rub. Gen. Miss. XXXVIII.*)

Capitulum autem Romanum 1656, Ord. 8. sic habet : « Ordinamus et quod toties per com-
» plura Capitula Generalia inculcatum fuit de-
» nuo mandamus, districteque præcipimus, ne
» quis privato spiritu, singularitate aut singu-
» laritatis imitatione, quidquam sive in Missa,
» sive in horario Ordinis Officio, mutet, ad-
» jungat vel transponat; neque alienos ritus
» aut Rubricas nostris superinducat, aut quo-
» quo modo invehat; multo minus publicis ora-
» tionibus aliquid de suo, vel modicum, inter-

» ponat; sed communis uniformitatis regulæ » sese ubique omnes accommodent. »

XI Et juste quidem omnia *privato spiritu* inducta damnantur, quin tamen aliqua, rationalibus de causis, aut vi legitimæ consuetudinis admissa reprobentur. Sic enim ratione paucitatis Fratrum (de qua pluries in Rubricis) vel multiplicitatis hodiernæ Festorum sub ritu Duplici et Toto-Duplici communi, vel etiam specialis concessionis aut approbatæ consuetudinis, non omnis illa solemnitas externa quæ olim dictis Festis (utpote paucioribus) competebat, semper tribuenda erit; sed aliquid de dicta solemnitate, puta in nobilitate sacrarum Vestium, in sonitu Campanarum, in numero Ministrorum, in tono vel gravitate cantus, in aliisque nonnullis in quibus libertas quædam ab ipsa Rubrica relinquitur, proportionate minui poterit, prout in suis locis notabitur; cæteris, quæ ad essentiam ritus pertinent, adamussim servatis.

XII. Ubi autem competens numerus Fratrum fuerit, quam exactissimam Cæremoniarum uniformitatem, juxta Rubricas, etiam quoad solemnitatem extrinsecam omnino servari volumus, saltem Dominicis diebus, et generaliter in Officiis de Tempore quibus aliqua competit solemnitas, necnon in Festis solemnibus et solemnissimis : nomine autem Festorum solemnissimorum veniunt, juxta Rubricam Missalis (« *De Color.* »

6.), « ea quæ habent Octavam Solemnissimam aut Solemnem, » vel ipsis æquivalent; unde solemniora vel saltem solemnia reputanda sunt ea, quæ habent Octavam Simplicem, vel ipsis æquiparantur.

Dies autem Octavæ Solemnes et Solemnissimæ, etsi quoad aliqua ad substantiam et ordinationem Officii præcipue spectantia, Festis Duplicibus æquipollere, et quidem supereminere videantur, attamen quoad Cæremonias concomitantes, eodem modo quo dies Octavæ Simplices eas celebrari expresse jubet *Ordinarium*, secundum antiquissimam ritus nostri traditionem; et ideo nihil solemnitatis illis diebus attribuendum est quod illis expresse non tribuat Rubrica.

XIII. Eamdemque uniformitatem in omnibus pariter servari jubemus in singulis Festis Sanctorum Ordinis nostri, quorum debitæ solemnitati, nedum aliquid detrahatur, potius addendum foret : in memoriam revocantes Ordinationem, Capituli Generalis Romæ 1677, quæ sic habet : « Ne Sanctorum nostrorum memoria » oblivione tandem deleatur, ordinamus ut in » omnibus urbium alicujus nominis ubi est fre- » quentia populorum Conventibus, in die Festo » ipsorum..... in Ecclesia fiat solemnitas specia- » lis, quæ populorum devotionem vel augeat, » vel saltem nutriat ac foveat erga Sanctos Or- » dinis nostri. »

XIV. Ut autem præscripta uniformitas, tam pulchra et Deo grata, magis ac magis elucescat, rei liturgicæ unumquemque assiduo studio incumbere opus est. Volvatis igitur hunc librum sacrarum Cæremoniarum, volvatis, inquam, et omni attentione singulas ejus partes scrutemini : ut rite, digne et sancte Deo Maximo, cujus cultum exequimini, servire valeatis. Imprimis autem admonemus summopere tum Provinciarum cum Conventuum Præsides, Novitiorum Magistros et Cantores, prout toties in nostris Capitulis Generalibus statutum est, ut debito sui muneris in hoc satisfaciant, invigilent uniformitati, suos subditos edoceant, et, quantum opus fuerit, corrigant; quatenus divina Officia omni qua par est religione persolvantur. Sacerdotesque specialiter monitos volumus ut sacrosanctum Missæ Sacrificium, *sancta sancte tractantes*; attente et devote celebrent, et quam diligentissime Rubricas et ritus omnes servent qui illi sunt proprii : mandantes Præsidentibus Conventuum ut sequentem Ordinationem Capituli Salmanticensis 1551 observari faciant : « Volumus et ordi-
« namus quod Præsidentes Conventuum provi-
» deant quod Rubrica de celebratione Missarum
« habeatur, et saltem semel in anno legatur
» coram Sacerdotibus congregatis, et omnes ap-
» ponant diligentiam ut Missam bene prævi-
» deant. »

XV. His igitur prælibatis, hoc Cæremoniale

juxta ritum Ordinis nostri, a Nobis quidem ex parte examinatum et emendatum, a pluribus autem Patribus a Nobis designatis, in integrum diligenter et pluries, factaque Nobis relatione, revisum, uti ritui nostro adaptatum et conforme auctoritate Officii nostri, præsentium tenore approbamus, approbatumque declaramus; atque a Nobis ita approbatum quam primum typis mandari et evulgari permittimus, necnon jubemus: illudque in omnibus, ut præfertur, et ab omnibus observari volumus et mandamus.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem, etc.

Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ supra Minervam, die 30ª Januarii anni 1868.

FR. A. V. JANDEL, MAG. ORD.[is]

Loc. † Sig.

FR. VINCENTIUS LIGIEZ,

Prov[lis] Terræ Sanctæ et Socius.

# CÆREMONIALE

JUXTA RITUM

# S. ORDINIS PRÆDICATORUM.

## PARS I.

Continens Rubricas generales, quæ Officium et Missam, ac verba in eis recitanda, absque mentione ritus exterioris ordinant, juxta qualitatem dierum.

Hæc pars in duo capita dividitur, videlicet:

CAPUT I.

DE ORDINE OFFICII RECITANDI.

CAPUT II.

DE ORDINE MISSÆ CELEBRANDÆ.

# CAPUT PRIMUM

## DE ORDINE OFFICII RECITANDI

### IN X ART. DIVISUM.

ART. I. De variis divisionibus Officiorum.
II. De modo ordinandi Officia de Tempore in toto anno.
III. De modo ordinandi Festa Sanctorum in toto anno.
VI. De modo ordinandi Officia tam de Tempore quam de Sanctis in casu *concurrentiæ.*
V. De modo ordinandi Vesperas in casu *concomitantiæ.*
VI. De Memoriis.
VII. De Vesperis et Completorio.
VIII. De Matutinis.
IX. De Laudibus, *Pretiosa*, et cæteris Horis.
X. De Officio quotidiano B. Mariæ Virginis, Precibus, Litaniis, Disciplinis, Psalmis Gradualibus et Pœnitentialibus.

---

## ARTICULUS I.

### DE VARIIS DIVISIONIBUS OFFICIORUM.

#### § I. De Anno et ejus partibus.

1. « Annus menses habet duodecim, hebdomadas
» duas et quinquaginta, et diem unum : dies vero

» trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas : » tanto enim temporis intervallo sol zodiacum per- » lustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis » annis diem constituunt : hinc ille annus intercalaris » Bissextus, seu Bissextilis dicitur. » (*Brev.*)

2. Ut autem error, qui ex defectu integritatis sex horarum in tali modo computandi proveniret, vitaretur, Gregorius Papa XIII statuit « quod in quadrigentis » quibusque annis primi quique tres centesimi sine » bissexto transigerentur, quartus vero quisque cen- » tesimus esset bissextilis : ita ut annus 1700, 1800, » et 1900 bissextiles non sint sed communes, anno » vero 2000 more consueto dies bissextus intercale- » tur, Februario dies 29 continente; idemque ordo » intermittendi intercalandique bissextum in qua- » dringentis quibusque annis perpetuo conservare- » tur. » (*Ibid.*)

3. Numerus dierum cujusque mensis talis est : Januarius habet dies 31, Februarius 28, in anno vero bissextili 29; Martius 31; Aprilis 30; Majus 31; Junius 30; Julius 31 ; Augustus 31 ; September 30 ; October 31 ; November 30, et December 31.

4. In quolibet autem mense distinguuntur varia tempora, scilicet : *Calendæ*, quæ in diem primam cujusque mensis incidunt ; *Nonæ*, quæ in mensibus Januario, Februario, Aprili, Junio, Augusto, Septembri, Novembri, Decembri, in diem quintam incidunt, in cæteris vero mensibus in diem septimam ; *Idus*, quæ in octavam diem post Nonas in unoquoque mense incidunt. In hujusmodi distinctione temporum, dies computantur sive ante Calendas mensis sequentis, sive ante Nonas, vel Idus mensis currentis, eo ordine quo veniunt.

De Lunæ computatione, epactis, Numeris aureis, indictione, etc. videatur in Capite Breviarii vel Martyrologii.

## § II. De Diversitate Officiorum.

5. Officia sunt vel de Tempore, vel de Sanctis, vel de Vigilia, vel de Octava, vel Votiva, vel Defunctorum.

6. *Officia de Tempore* dicuntur ea quæ fiunt de principalibus Religionis nostræ Mysteriis, aut de die occurrenti qua tali, videlicet : de Dominica, de Feriis II, III, IV, V, VI. et Sabbato.

7. *Officia de Sanctis* nuncupantur ea, quæ in Natali vel Commemoratione, vel Translatione, vel in honorem alicujus Sancti, aut Mysterii, aut rei sacræ celebrantur.

8. *Vigiliæ* fiunt die quæ præcedit immediate quædam Festa solemniora sive de Tempore, sive de Sanctis.

9. *Octavæ* celebrantur per dies septem immediate sequentes aliqua Festa, sive de Tempore, sive de Sanctis : ultima eorum *dies Octava* nuncupatur, intermediæ vero *dies infra Octavam*.

10. *Votiva* infra hebdomadam certis diebus in Ordine ex devotione fiunt.

11. Officium quotidianum B. M. Virginis, et Officium Defunctorum Officio diei statutis diebus adduntur, prout in propriis locis dicetur.

## §. III. De ritu et dignitate eorumdem Officiorum.

12 Ratione ritus aut dignitatis, Festa tam de Tempore quam de Sanctis distinguuntur in Ordine nostro in Festa Tota Duplicia, Duplicia, Simplicia, Trium Lectionum, et solius Memoriæ. Ritus autem cujusque Festi notatur in Calendario.

13. « Dies Dominica Festis Duplicibus æquipolleat,
» et ita per annum cum solemnitate Festi Duplicis ab
» omnibus celebretur : ita tamen ut dicta solemnitas
» a Matutinis tantummodo incipiat. » (*Brev. III*). Feriæ autem et Vigiliæ sub ritu trium Lectionum fiant.

14. « Ut quædam uniformitas statuatur inter ritum » Romani Breviarii et Ordinis Prædicatorum, sequens » habeatur regula : Festum apud nos Simplex æqui- » valet Festo Semiduplici ; Festum Duplex Festo Du- » plici minori ; Festum Totum Duplex ordinarium » Festo Duplici Majori ; Festum Totum Duplex cum » quacumque Octava, excepta Solemnissima, Festo » Duplici secundæ classis ; ac tandem Festum Totum » Duplex cum Octava Solemnissima Festo Duplici » primæ classis.

15. « Verum ad Duplex secundæ classis reducuntur » Circumcisio D. N. J. C., et omnia Festa B. M. Vir- » ginis (excepta Purificatione, de qua infra) etiamsi » sine Octava celebrentur. Excipiuntur tamen Festa » Purissimi Cordis et S. Nominis Mariæ, B. M. Virgi- » nis de Monte Carmelo, et de Mercede, quæ tamquam » Duplicia Majora haberi debent. Item Duplicibus » secundæ classis æquiparantur Festa duodecim Apo- » stolorum, Exaltationis S. Crucis, et SS. Innocen- » tium Martyrum, necnon Feriæ II. et III. post Pascha » et Pentecosten.

16. « Pariter ad Duplex primæ classis referuntur » Festa Epiphaniæ et Ascensionis D. N. J. C., SS. Tri- » nitatis, Purificationis, Assumptionis et Rosarii B. M. » Virginis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Apo- » stolorum Petri et Pauli, B. Dominici Patris Nostri, » S. Francisci Assisiensis, Omnium Sanctorum, Pa- » troni principalis de præcepto, S. Tituli principalis et » Dedicationis Ecclesiæ nostræ (*S. R. C.* 7. *Sept.* 1850).

17. Octavæ dividuntur in Solemnissimas, Solemnes, Simplices, Trium Lectionum, et solius Memoriæ.

18. Octavæ Solemnissimæ sunt quatuor, videlicet : « Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et SS. » Corporis Christi.

19. « Octavæ Solemnes sunt : Ascensionis Domini, » et SS. Trinitatis, Immac. Conceptionis, Annuntiatio-

» nis, Assumptionis, et SS. Rosarii B. M. V., S. Tho-
» mæ Aquinatis, S. Catharinæ Senensis, SS. Aposto-
» lorum Petri et Pauli, B. P. N. Dominici, S. Augu-
» stini, S. Francisci Assisiensis, Omnium Sanctorum.

20. « Octavæ Simplices sunt : Epiphaniæ Domini,
» Dedicationis Ecclesiæ nostræ, Nativitatis et Visitatio-
» nis B. M. V., necnon S. Joseph Sponsi B. M. V.,
» S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii Martyris, S. Mi-
» chaelis Archangeli, S. Martini Episc. et Confessoris,
» S. Mariæ Magdalenæ, et S. Catharinæ V. et Mart. ;
» similiter singulorum aliorum SS. Ordinis nostri qui
» solemni Canonisationis ritu fastis Ecclesiæ adscripti
» sunt, videlicet : Petri, Joannis et Soc. Martyrum, Pii
» Papæ V. Antonini, Vincentii, Hyacinthi, Raymundi,
» Ludovici Confessorum; Catharinæ de Ricciis, Agne-
» tis de Monte Politiano, et Rosæ Limanæ Virginum.

21. « Octavæ Trium Lectionum sunt : SS. Stephani
» Protomartyris, S. Joannis Apost. et Evangelistæ,
» SS. Innocentium Martyrum. Octavæ de sola Memo-
» ria sunt : S. Andreæ Apostoli, et S. Vincentii Mar-
» tyris (*Brev. XVIII*).

## §. IV. De Horis Canonicis, seu diversis partibus Officii.

22. Septem sunt Horæ canonicæ, videlicet : Matutinum cum Laudibus et *Pretiosa*, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium, quæ singulis diebus dici debent.

23. Officia supranotata habent saltem Matutinum, trium vel novem Lectionum, Laudes et *Pretiosa*, Primam, Tertiam, Sextam et Nonam ; Vesperæ pertinent ad Officium vel præsentis diei, vel sequentis, vel utriusque ; Completorium vero illius est Officii, qui habuit saltem ultimam partem in Vesperis.

24. Dies Dominicæ et Festa Simplicia et supra, necnon dies Octavæ Simplices et supra habent extra Tem-

pus Paschale novem Lectiones in Matutinis; Tempore vero Paschali, tres tantum.

25. Dies Profesti seu Feriales, Vigiliæ quæcumque, Festa Votiva et Trium Lectionum, dies infra Octavas quascumque tres tantum Lectiones habent in Matutinis quovis tempore.

26. Quoad Vesperas, extra casum concomitantiæ, de quo infra, Festa Tota Duplicia primis Vesperis integris (cum Responsorio) et secundis integris gaudent; Festa Duplicia habent primas Vesperas ab Antiphona (cum Responsorio); secundas vero integras; Festa Simplicia, necnon dies Octavæ Simplices et supra, primas habent a Capitulo (sine ℟.), et secundas integras; Dies Dominica habet in Sabbato præcedenti Vesperas a Capitulo (aliquando cum ℟.) sed Vesperas integras proprio die; Festa Votiva et Trium Lectionum de primis habent a Capitulo, de secundis nihil; e contrario dies infra Octavas et Feriæ quæcumque nihil de primis habent et totum de secundis. (*Ex Brev. passim.*)

## §. V. De Psalterio, Proprio et Communi.

27. Diversæ partes Officii ex multiplici fonte, scilicet, ex Psalterio, ex Proprio et Communi desumuntur. *Psalterium,* a quo incipit Breviarium, Psalmos per ordinem continet qui in pluribus Officiis, maxime de Tempore, dicuntur cum suis Antiphonis.

28. *Proprium* (quod pro Officiis de Tempore habetur in priori media parte Breviarii, et pro Officio de Sanctis in altera media parte ponitur) ea continet quæ dicuntur in tali Officio in particulari, non autem in cæteris.

29. In *Communi* autem inveniuntur per ordinem ea quæ communiter recitantur in Officiis Sanctorum ejusdem qualitatis, videlicet: Apostolorum et Evangelistarum; unius Martyris, Pontificis vel non Pontificis; Plurimorum Martyrum; Unius Confessoris sive Ponti-

ficis, sive Doctoris, sive non Pontificis, sive Abbatis; denique unius Virginis et Martyris, Virginis non Martyris, Martyris non Virginis, et nec Martyris nec Virginis. Prædicta autem Communia varia sunt Tempore Paschali. Unde advertenda sunt ea quæ notantur in Officiis propria, ut non desumantur ex Communi nisi ea quæ in Proprio desunt.

30. In diebus Octavis et infra Octavas, omnia quæ ad eorum Officium pertinent desumuntur regulariter ex Festo de cujus Octava fit Officium, sive in Proprio, sive in Communi, præterquam ea quæ notantur propria diei Octavæ vel diei infra Octavam de qua agitur.

## ARTICULUS II.

## DE MODO ORDINANDI OFFICIA DE TEMPORE IN TOTO ANNO.

### §. I. De Littera Dominicali, et prima Dominica mensis.

31. « Per annum autem Officium tam diei quam no-
» ctis est de Tempore celebrandum, exceptis Festis et
» Octavis Sanctorum, quæ in Calendario notantur, et
» aliis de quibus agendum præscribitur aut permitti-
» tur. » (*Brev. I*).

32. Ad statuendum in qua die mensis incidit quævis Dominica anni, et inde Feriæ hebdomadæ, adhibentur septem priores litteræ alphabeti. Hæ litteræ ponuntur successive juxta dies mensium in Calendario, a prima die Januarii usque ad finem anni. Reperta autem in tabula temporaria Festorum mobilium littera quæ correspondet diei Dominicæ in singulis annis, juxta illam invenitur in Calendario dies mensis in quam incidit quævis Dominica; hoc observato quod in omni anno bissextili, post diem 24 Februarii, littera mutatur in præcedentem.

33. « Dominica illa quæ incidit in Calendas mensis, » vel quæ propinquior est ipsis Calendis, seu præcedat » seu subsequatur, ipsa erit prima Dominica mensis. » Unde si Calendæ fuerint in secunda, vel tertia, vel » quarta Feria, tunc præcedens Dominica erit prima » mensis, et inchoabitur Historia. Si in quinta vel sexta » Feria vel Sabbato Calendæ fuerint, tunc sequens Do» minica erit prima mensis in qua et Dominicalis Hi» storia inchoabitur. » (*Brev. IV.*)

34. Hic autem modus computandi non valet nisi pro Officio de Tempore : nam pro Officio de Sanctis, prima Dominica mensis illa est quæ incidit in Calendas, vel eas proxime sequitur.

## §. II. Ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ.

35. « Prima Dominica Adventus (a qua incipit annus » ecclesiasticus) est illa in qua Festum S. Andreæ Apo» stoli (30 Novembris) occurrit, vel ei proximior est, » sive præcedat, sive sequatur. » (*Brev. VIII*).

Semper fit de ea, quodcumque Festum in eam occurrerit. Tempus autem Adventus includit quatuor Dominicas, et currit usque ad Vigiliam Nativitatis D. inclusive.

36. Sequitur Festum Nativitatis Domini cum ejus Octava Solemnissima, infra quam celebrantur Festa Sanctorum prout in Calendario.

37. De Dominicis autem ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ sic disponit Rubrica : « Si Festum Na» tivitatis Domini, vel S. Stephani, vel S. Joannis, vel » SS. Innocentium, vel S. Thomæ in Dominicam eve» nerit, illa die de Dominica nihil fiat : sed in crastino » S. Thomæ legatur in Matutino Homilia Dominicæ, et » fit Memoria de Dominica, » (*Brev.*) ultimo loco, et Officium erit de die infra Octavam Nativitatis sub ritu Trium Lectionum, ut in Breviario.

38. Proxima die post Festum S. Thomæ, si Domi-

nica fuerit, fit Officium novem Lectionum de Octava cum Homilia Dominicæ et Memoria ejusdem in Laudibus et Vesperis. Nil fit de Dominica in Officio et in Missa si crastinum S. Thomæ Sabbatum fuerit. Et si Dominica in diem S. Sylvestri inciderit de ea fiet tantum Memoria in Laudibus et Vesperis. (*Ibid.*)

39. Si in diem Circumcisionis Dominica evenerit, nil de ea fiat. Si occurrerit die 2. vel 3, vel 4 Januarii, de Octavis et Vigilia fit Officium sub ritu novem Lectionum, ut in Breviario, sine mentione Dominicæ, quæ vacat.

40. Tandem si Festum Epiphaniæ Domini fuerit Dominica, de ea nihil fiet. Festum autem Inventionis Pueri Jesu, quod in Dominicam infra Oct. assignatum est, celebrabitur Feria IV. sequenti, id est die 9 Januarii, absque mentione Dominicæ, quæ non est amplius in usu.

41. Dominica sequenti, quæ erit Octava dies Epiphaniæ, nihil fiat de Dominica; sed Dominica I. post Octavam Epiphaniæ numerabitur illa quæ post præfatam Dominicam in Octava die Epiphaniæ incidentem, proxime sequitur, nisi fuerit Septuagesima. (*Ibid.*)

### §. III. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Pascha.

42. Quinque Dominicæ occurrere possunt (aut quandoque nulla) ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, quæ est Dominica nona ante Pascha. Si Septuagesima venerit Dominica I. post Octavam Epiphaniæ, tunc (cum propter Festa occurrentia non sit dies vacans pro Homilia legenda) Feria minoris solemnitatis Festo occupata infra hebdomadam ante Septuagesimam fiat Memoria Dominicæ I. post Octavam Epiphaniæ per Antiphonas ad *Benedictus* et ad *Magnificat* illius Dominicæ proprias. (*Ex Brev.*)

43. « Si vero a Dominica I. post Octavam Epiphaniæ

» usque ad Septuagesimam, Officia quatuor residuarum » Dominicarum, Dominicis suis diebus expleri nequeant, tunc earum Officia eo anno omittuntur, et » resumuntur quoad Orationem, Lectiones II Nocturni, Homiliam, et Antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat* dumtaxat, post Dominicam XXI. post Octavam » Trinitatis usque ad ultimam, eo modo et ordine quo » infra dicetur, n. 57. (*Brev.*)

44. Si autem in toto isto tempore tot non supersint Dominicæ ut in illis possint resumi Officia earum omnium Dominicarum quæ post Octavam Epiphaniæ omissæ fuerunt, tunc de Dominica eo anno omissa, et non remissa infra hebdomadam ante Septuagesimam fiat prout infra dicetur de Dominica XXI. post Octavam Trinitatis. V. n. 54 et seq. (*Ibid.*)

45. A Septuagesima usque ad Pascha sunt novem Dominicæ, scilicet : Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, infra cujus hebdomadam occurrit Feria IV Cinerum ; deinde Iª, IIª, IIIª, et IVª. Quadragesimæ; postea Dominicæ Passionis et Palmarum. Quæ omnes Dominicæ sunt privilegiatæ in casu occurrentiæ, sicuti et Feriæ Hebdomadæ sanctæ, de quibus speciales habentur Rubricæ.

### §. IV. Tempore Paschali.

46. « Tempus Paschale vocatur a Missa Sabbati Sancti in Vigilia Paschæ usque ad primas Vesperas Trinitatis exclusive. Tunc sive fiat de Tempore, sive de » Sanctis, tres Lectiones tantum dicuntur in Matutinis. » (*Brev. II*).

47. « Dominica Resurrectionis, seu Pascha, a qua » pendent præcedentes et sequentes Dominicæ et cætera Festa mobilia, ex decreto Concilii Nicæni celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit » XIVª lunæ primi mensis, cujus luna XIV vel cadit

» in diem æquinoctii verni, quod die 21 Martii contin-
» git vel propius ipsum sequitur. » (*Brev. in cap.*) Dies Paschæ et modus eam determinandi invenientur in capite Breviarii.

48. Pascha autem Resurrectionis habet Octavam Solemnissimam, cujus Feriæ II et III, sub Toto Duplici (secundæ classis) celebrantur, cæteri vero dies sub ritu Octavæ ; dies Octava Paschæ est Dominica in Albis. In his diebus non fit Officium de aliquo Sancto.

49. Quatuor sequuntur Dominicæ post Octavam Paschæ, usque ad Ascensionem ; post quartam vero Dominicam veniunt Feriæ IIª IIIª et IVª Rogationum; hæc autem Feria IV. est etiam Vigilia Ascensionis Domini.

50. Ascensio Domini celebratur Feria V., quæ est dies quadragesima post Pascha. Habet Octavam Solemnem, infra quam occurrit Dominica de qua fit tantum Memoria, et legitur Homilia, nisi hæc impediatur ab aliquo Festo.

51. Sabbato sequenti fit de Vigilia, Dominica vero de Festo Pentecostes, cujus etiam Octava Solemnissima est. Feriæ IIª et IIIª celebrantur sub Toto Duplici, ut supra infra Octavam Paschæ. Hæc autem Octava terminatur Sabbato sequenti post Nonam, et cum ea explicit Tempus Paschale. Festa Sanctorum nequeunt his diebus celebrari. (*Ex Rubr. Brev.*)

### §. V. A Festo SS. Trinitatis usque ad Adventum.

52. Festum SS. Trinitatis immediate sequitur Octavam Pentecostes, habetque Octavam Solemnem sine die Octava.

53. Feria quinta infra Octavam SS. Trinitatis celebratur Festum SS. Corporis Christi, cum Octava Solemnissima. De Dominica infra eam fit tantum Memoria et legitur Homilia, nisi hæc impediatur.

54. « Dominicæ post Octavam Trinitatis usque ad » Adventum exclusive non possunt esse pauciores 21, » nec plures 26. » « Si Dominicæ prædictæ fuerint tan» tum 21, Homilia Dominicæ quæ est sub Numero » XXI, cum Antiphonis ad *Benedictus* et *Magnificat* et » Oratione debet legi Feria VI. aut alia vacante præ» cedentis hebdomadæ, et in ipsa die Dominica XXI. » leguntur Lectiones II. et III. Nocturni, et cætera » propria Dominicæ quæ est sub Numero XXII, seu » ultima. (*Brev.*)

55. « Si autem in hebdomada præcedenti non fue» rit aliqua Feria vacans in qua legi possit Homilia » Dominicæ XXI, tunc Feria minoris solemnitatis » Festo occupata illius hebdomadæ fiat Memoria Do» minicæ XXI. per Antiphonas ad *Benedictus* et ad » *Magnificat* et Orationem præfatæ Dominicæ proprias. » (*Ibid.*)

56. « Quod si aliqua Octava contigerit tunc celebrari, » poterit in aliqua die infra Octavam legi Homilia Do» minicæ XXI. et de ea quoque fiet Memoria modo » prædicto n.° præcedenti (*Ibid.*)

57. « Cum fuerint Dominicæ post Octavam Trinita» tis plures 22, tunc post XXI., Dominicæ resumantur » quæ eo anno superfuerunt post Octavam Epiphaniæ, » quoad Orationem, Lectiones II. Nocturni, Homi» liam, Antiphonas ad *Benedictus* et ad *Magnificat* hoc » ordine :

*A*. « Si Dominicæ post Octavam Trinitatis fuerint » 23, Dominica XXII. post Octavam Trinitatis erit quæ » est V. post Octavam Epiphaniæ.

*B*. « Si fuerint 24, Dominica XXII. erit quæ est IV. » post Octavam Epiphaniæ, et XXIII. quæ est V.

*C*. « Si fuerint 25, Dominica XXII. erit quæ est III. » post Octavam Epiphaniæ, XXIII. quæ est IV. et » XXIV. quæ est V.

*D*. « Si fuerint 26, Dominica XXII. erit quæ est

» II. post Octavam Epiphaniæ, XXIII. quæ est III.
» XXIV. quæ est IV., XXV. quæ est V.

*E.* « Et ultimo loco semper ponitur quæ ponitur in » Breviario ordine XXII. » (*Ibid.*)

58. « Quatuor tempora celebrentur quarta et sexta » Feria, ac Sabbato post III. Dominicam Adventus, » post Dominicam I. Quadragesimæ, post Domini» cam Pentecostes, et post Festum Exaltationis S. Cru» cis, die 14 Septembris. » (*Brev.*)

## ARTICULUS III.

### DE MODO ORDINANDI FESTA SANCTORUM IN TOTO ANNO.

#### §. I. De Festis in Calendario descriptis.

59. « Festa quælibet per anni circulum occurrentia, » ea solemnitate iisque diebus quibus notata sunt in » Calendario, et non aliter celebrari debent, nisi ab aliis » Festis supervenientibus majoris solemnitatis fuerint » impedita : quia tunc propterea in aliam diem transfe» renda sunt », ut infra dicetur (*Brev. IX.*)

60. Inter Festa Sanctorum in Calendario descripta, pleraque habent certum diem mensis assignatum, et sunt fixa ; alia vero assignantur in aliquam Dominicam aut Feriam, et sunt mobilia : ut Festa Dominicæ Passionis infra Septuagesimam et Quadragesimam, et alia quæ inveniuntur in Calendario ad finem respectivi mensis in quo celebrari debent. Cognitis autem diebus mensium in quas incidunt Dominicæ et Feriæ anni, de quibus supra, facillimum erit assignare diem mensis in quam occurrunt Festa prædicta quocumque anno, et sic ea ordinare secundum diem naturalis eorum occurrentiæ.

61. In anno quocumque bissextili, advertendum est Festum S. Matthiæ celebrari debere die 25. Fe-

bruarii, et Festum B. Constantii die 26. Cæteris vero annis hæc Festa celebrantur prout in Calendario.

62. Festum S. Bartholomæi celebratur, secundum consuetudinem locorum, die 24., vel 25. Augusti. Romæ celebratur die 25. In hoc casu Festum S. Ludovici celebratur die 26., S. Philippi Benitii die 27., S. Josephi Calasanctii die 1. Septembris cum Memoria S. Ægidii Abbatis; Festum autem S. Philumenæ, quod in Calendario assignatur die 1. Septembris, celebrabitur die 24. Augusti tamquam in sede propria. Advertendæ sunt aliæ variationes approbatæ locorum in Calendario communi. (*Ex Brev. in corp.*)

## §. II. De Festis Sanctorum extraordinariis quæ semper celebrari debent.

63. « Festum *S. Patroni principalis de præcepto* suo die celebretur sub ritu Totius Duplicis, sed sine Octava (*Brev.* XXVII.) Item « Festum Patroni Regni, aut Pro» vinciæ vel Civitatis, dummodo Patroni principales » sint et de præcepto; necnon juxta sedis Apostolicæ » decreta nominati et instituti. » Si habuerint socios, vide n.° 72. (*Ibid.*)

64. « Regulares non tenentur ad celebranda festa Pa» tronorum minus principalium. Verum *Festum Patro*» *ni minus principalis de præcepto*, si alias celebretur » ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur: in » illo loco cujus est Patronus, debet etiam a nobis ce» lebrari, sub eo tamen ritu qui infra n.° 76 designa» tur. De Sancto vero minus principali non de præ» cepto non tenemur celebrare Festum, possumus ta» men juxta Apostolicam declarationem. » (*Ibid.*)

65. « Ubi Ecclesiæ nostræ sunt consecratæ, singulis » annis in *Anniversario Dedicationis* fiat Officium, sicut » in Toto Duplici; et Octava celebretur ad instar » Octavarum Simplicium; præterquam in Adventu,

» et deinceps usque ad Octavam Epiphaniæ, et in Se-
» ptuagesima et deinceps usque ad Octavam Paschæ, et
» in diebus Rogationum et deinceps usque ad Octavam
» SS. Corporis Christi. (*Ibid. XXVIII.*)

66. « Festum *Dedicationis Ecclesiæ Matricis*, seu Ca-
» thedralis, alicujus Civitatis ubi moramur, debet a no-
» bis celebrari, si ab omnibus tam sæcularibus quam
» Regularibus illius Civitatis celebratur, sub ritu ta-
» men Totius Duplicis, sed sine Octava : non tamen de
» Dedicatione alterius Ecclesiæ. (*Ibid.*)

67. « Abstinendum vero est omnino a celebratione
» Octavarum tam Dedicationis Ecclesiæ Matricis quam
» et Patroni loci, aut Titularis Ecclesiæ, nisi super
» hoc speciale decretum S. Sedis Apostolicæ vel S. R.
» Congregationis habeatur, et per Capitulum Generale
» sic constitutum fuerit. (*Ibid. XVIII.* 7.)

68. « Festum S. *Tituli principalis Ecclesiæ nostræ* ce-
» lebretur sub ritu Totius Duplicis. sed sine Octava.
» Festum *S. Tituli minus principalis* celebretur sub ritu
» designato, vel consueto. (1). (*Brev. XXIX.*)

69. « Festum Sancti *cujus Corpus conditum est in Ec-*
» *clesiis nostris* celebretur sub ritu Toto Duplici, et com-
» putandum est inter Festa solemnia Patriæ — Festum
» Sancti *cujus insignem habemus Reliquiam* celebratur
» tantum sub ritu Duplici, nisi aliunde majorem habeat
» solemnitatem.

70. « Non potest autem Officium de hujusmodi San-
» cto celebrari eo quod in loco sit ejus Corpus, aut
» aliqua Reliquia., sed tantum in Ecclesiis nostris ubi
» asservatur Corpus aut insignis Reliquia. Ita S. R. C.,

(1) Ea est autem hujusmodi Titulorum indoles et natura ut cessare non possint nisi Ecclesia ipsa destruatur, et loci sacri qualitatem amittat. Semel assignato Titulari Patrono alicui Ecclesiæ non licet Episcopo rationabili ex causa illum in alium immutare (*S. R. C.* 18 *Febr.* 1843.)

» quæ aliter fieri vetuit et prohibuit, et insuper de-
» claravit insignes Reliquias esse : Caput, Brachium,
» Crus, aut illam partem corporis in qua passus est
» Martyr, modo sit integra, et non parva et legitime
» ab Ordinariis approbata. » (*Ibid.*)

71. » Advertendum tamen, quod dictum est de
» Sanctis, quorum Corpora aut insignes Reliquiæ in
» Ecclesiis nostris asservantur intelligendum est dum-
» taxat de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis,
» et dummodo constet de identitate corporis, vel de
» illis quorum Festivitates celebratæ sunt cum licentia
» S. C. R. vel S. Pontificis. De cæteris autem Sanctis,
» de quibus non habetur hujusmodi licentia, nullo
» modo fiat Officium, Magistro Ordinis vel S. Congre-
» gatione inconsultis.

72. « Quod si Sanctus ille, cujus Corpus seu insignis
» Reliquia in nostris asservatur Ecclesiis habuerit so-
» cium aut socios, quorum Corpora seu insignes Re-
» liquiæ non asservantur in nostris Ecclesiis, debet
» Festum Sancti cujus Corpus seu Reliquiam insignem
» habemus proprio die celebrari, et socii in primam
» Feriam non impeditam transferri, et sub ritu in Ca-
» lendario designato celebrari. Quod etiam est obser-
» vandum, si Sanctus Patronus de Præcepto vel Titu-
» laris Ecclesiæ habuerint socios, qui nec Patroni nec
» Titulares sint. » (*Ibid.*)

### §. III. De aliis festis locorum et Sanctorum quæ Auctoritate Apostolica de novo celebranda approbantur.

73. « De *Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus*,
» et aliis Festis de quibus in Calendario, seu Rubricis
» nihil habetur, uti etiam de *Beatis nondum canonizatis*,
» nil propria auctoritate constituatur, sed omnino con-

» sulatur S. R. Congregatio, prout ipsa per suum spe-
» ciale decretum statuit et mandavit.

74. « Cum Ordinis Nostri ritus in divino Officio re-
» citando sit specialis et a S. Sede Apostolica specia-
» liter approbatus et confirmatus, nón licet alicui pro
» libitu suo disponere recitationem Officiorum, vel re-
» citari facere Officia Sanctorum, quæ a S. Sede Apo-
» stolica recitanda, sive ad libitum, sive de præcepto
» conceduntur omnibus tam sæcularibus quam Regu-
» laribus Urbis et Orbis, qui ad Horas canonicas te-
» nentur, donec specialiter et expresse Ordini nostro
» fuerit concessa ab eadem S. Sede Apostolica, et jussu
» Magistri Ordinis nostro Breviario inserta, et ea die
» ac eo ritu quibus in illo dicta Festa designantur.

75. « Idem quoque est dicendum, si de novo Aucto-
» ritate Apostolica elevatur ritus alicujus Festi pro
» Breviario Romano, et de novo conceditur celebratio
» illius sub ritu majori eo sub quo jam a nobis cele-
» bratur : Quod scilicet illa elevatio ritus, vel nova
» concessio Officii sub ritu majori, licet sit univer-
» salis et Urbis et Orbis debet specialiter et expresse
» Ordini nostro concedi, et nostro Breviario, ut supra,
» inseri, ut illa possimus uti. Quæ omnia ab initio
» Ordinis usque ad hæc nostra tempora servata fue-
« runt.

76. « Ex concessione speciali S. Mem. SS. D. N.
» Benedicti Papæ XIII, Ordinis nostri, ad instantiam
« Magistri Ordinis, possumus celebrare Officia et Mis-
» sas illorum Sanctorum de quibus in aliquo Regno,
» Provincia vel Civitate, ex concessione Apostolica spe-
» ciali, vel ex approbata consuetudine, universis ab
» omnibus tam sæcularibus quam Regularibus, Offi-
» cium cum Missa celebratur, sub ritu tamen et
» forma juxta Rubricas Breviarii Ordinis. Pro usu
» igitur hujusmodi gratiæ, maxime debent Superiores
» et Directores divini Officii, pro illo Regno, Provincia,

» vel Civitate prius attendere de quibus Festis ut supra
» universim fiat Officium, ut de illis a nobis fieri pos-
» sit (*Ibid. XXXI.*)

### §. IV. De Festis Votivis infra hebdomadam.

77. Diebus Sabbati non impeditis, ut infra dicetur, fit de B. Maria Virgine, Feriis V. de Venerabili Sacramento, Feriis III. de B. Dominico Patre nostro, Feriis IV. in omnibus Conventibus ubi viget studium artium simul et Theologiæ, (dummodo tali die ex consuetudine vel privilegio non celebretur Officium de alio Sancto Ordinis nostri) fit de S. Thoma Aquinate. (*Ex Brev. XVII*).

78. « Ex consuetudine antiqua et approbata aliqua-
» rum Provinciarum, vel Conventuum, in illis fit Fe-
» ria IV., vel in alia Feria Officium de aliquo Sancto
» Ordinis nostri, quæ consuetudo servanda est. (*Ibid.*)

79. « Ex speciali concessione Clementis Papæ X.
» (19. *Sept.* 1674.) recitari potest in toto Ordine Of-
» ficium de S. Vincentio Ferrerio sub ritu Trium Le-
» ctionum, semel in mense, hoc est prima Feria II.
» non impedita, et impeditis omnibus II. Feriis men-
» sis, prima pariter Feria VI. non impedita. »(*Ibid.*)

Festa autem prædicta, propter Festa occurrentia majoris solemnitatis, remanent fere semper impedita, et quam rarissime nunc possunt celebrari.

## ARTICULUS IV.

## DE MODO ORDINANDI OFFICIA TAM DE TEMPORE QUAM DE SANCTIS IN CASU CONCURRENTIÆ.

### §. I. De Præcellentia Officiorum ad invicem, quoad Concurrentiam.

80. Ex prædictis in duobus articulis præcedentibus, jam determinari possunt Officia, sive de Tempore,

sive de Sanctis, celebranda per totum annum, et dies occurrentiæ, ac ritus eorumdem. Superest de illis ordinandis dicere in casu *concurrentiæ*.

Concurrere dicuntur Officia, cum Officium aliquod mobile, vel aliud incidit in aliquam diem ab aliquo Festo occupatam : in quo casu fit Officium de uno, scilicet digniori, de altero autem impedito disponitur prout in sequentibus §. §. declarabitur.

Digniora autem habeantur, in casu, Officia quæ infra sub prioribus numeris vel litteris continentur.

81. Cæteris præponuntur et nulli cedunt:

— Dominica I. Adventus ;

— Vigilia, Festum et tota Octava Nativitatis Domini, cum Festis infra eam occurrentibus :

— Circumcisio Domini ;

— Vigilia, Festum et dies Octava Epiphaniæ Domini;

— Feria IV. Cinerum ;

— Dominicæ I. Quadragesimæ, Passionis et Palmarum ;

— Feria II. Majoris Hebdomadæ, et deinceps usque ad Dominicam in Albis inclusive ;

— Ascensio Domini :

— Vigilia, Festum et tota Octava Pentecostes ;

— Festum SS. Trinitatis ;

— Festum SS. Corporis Christi.

82. Alia Festa Tota Duplicia quæ Duplicibus I. classis æquiparantur, hoc tamen ordine : ut quæ sub priori littera continentur cæteris præferuntur.

*A*. Assumptio B. M. Virginis, S. Dominici Patris Nostri, et Omnium Sanctorum.

*B*. Festum Patroni principalis de præcepto Regni, Provinciæ, aut Civitatis. (V. n. 63.) De quorum concurrentia ad invicem et cum aliquibus aliis Festis vid. n.° 124.

*C*. Festa Purificationis et SS. Rosarii B. M. V. de quibus etiam n^is^ 121 et 124.

*D*. Dedicatio Ecclesiæ nostræ consecratæ, seu Anniversarium ejusdem.

*E*. S. Tituli principalis Ecclesiæ nostræ.

*F*. Nativitas S. Joannis Baptistæ et Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.

83. *G*. Dominicæ II., III., IV. Adventus; in Septuagesima, in Sexagesima, in Quinquagesima; II., III., et IV. Quadragesimæ; item dies Octava, et infra Octavam SS. Corporis Christi, necnon dies Octava Ascensionis.

84. Festa Tota Duplicia, quæ Duplicibus II. Classis æquiparantur, hoc ordine:

*H*. Festa B. Mariæ Virginis hujus dignitatis; (V. n. 15.)

*I*. Festa natalitia duodecim Apostolorum;

*J*. Festum Patroni minus principalis de præcepto; (V. n. 64 et 125.)

*K*. Festa Sanctorum Ordinis Nostri;

*L*. Festum Sancti cujus Corpus in Ecclesiis nostris asservatur; (V. n. 69. et 127.)

*M*. Cætera Festa Tota Duplicia hujusmodi dignitatis.

85. *N*. Festa Tota Duplicia communia. Quæ si occurrant ad invicem aut cum pluribus aliis, vide casus particulares §. V. sequenti.

86. *O*. Dies Octavæ solemnes.

Octavæ autem Trium Lectionum, necnon dies infra Octavam Epiphaniæ, quamvis de illis non sit specialis Rubrica, de facto huc reduci possunt quoad præcedentiam.

87. *P*. Festa Duplicia quæcumque.

88. *Q*. Dies Octavæ Simplices et Festa Simplicia infra Octavas Solemnes solemnitatem earumdem induunt, et eas præcedunt; et si concurrant ad invicem servatur eadem regula ac infra n. 90. Excipitur dies Octava Simplex infra Octavam Ascensionis, quæ cedit tam Festo Simplici, quam diei infra eamdem Octavam, et Dominicæ infra eam.

*R*. Dies infra Octavam Solemnem.

89. *S*. Dominicæ dies aliæ ac supra notatæ.

90. *T*. Dies Octavæ Simplices extra Octavas Solemnes, excepta die Octava Epiphaniæ de qua supra. Si autem dies Octava Simplex concurrat cum Festo Simplici quod transferri nequit, ipsi cedit.

91. *U*. Festa Simplicia extra Octavas Solemnes, quæ si nequeunt transferri, præponuntur diebus Octavis Simplicibus.

92. Dies infra Octavas Simplices, quæ si concurrant ad invicem dignior erit :

*V*. Octava de B. Maria Virgine ;

*X*. Octava de aliquo Sancto, et si plures occurrerint præfertur prior in ordine.

*Y*. Octava Dedicationis, quando celebrari potest. (V. n.° 65.)

Hic ordo servatur etiam pro diebus infra Octavas Solemnes, si plures concurrant ad invicem.

93. *Z*. Feriæ Quadragesimæ, a Feria V. post Cineres usque ad Sabbatum in Ramis Palmarum inclusive ;

Feriæ II., III., et IV. Rogationum ;

Feriæ IV., VI., et Sabbata Quatuor temporum Adventus et Septembris ;

Item Feriæ III., et V., ante Festum Nativitatis Domini.

*a*. Vigiliæ habentes Homiliam et Missam propriam.

94. *b*. Festa Votiva B. Mariæ in Sabbato, SS. Sacramenti in Feria V., S. Patris Dominici in Feria III., Sancti Ordinis nostri in Feria IV., et S. Vincentii in prima cujusque mensis Feria II., aut Feria VI.

95. *c*. Festa Trium Lectionum. Quando autem non possunt transferri præponuntur Festo Votivo de Sancto Ordinis nostri Feria IV., et S. Vincentii, ut supra.

96. *d*. Denique aliæ Feriæ aut Vigiliæ non habentes Homiliam aut Missam propriam. (*Ex Brev. pass.*)

## §. II. De officiis impeditis transferendis aut omittendis, etc.

97. Si Officium de aliquo *Sancto* fuerit a majori impeditum, in proximam Feriam vacantem transferatur. Cum autem contingit illud non posse transferri, de illo fiat Memoria proprio die secundum Rubricas infra positas n. 149. et seq.

98. Si Officium transferendum habuerit *Octavam aut Memoriam* annexam, transferatur simul Octava vel Memoria. Sed si dies Octava aut infra Octavam impediatur, non potest transferri separatim a Festo, sed solum de illa fiet Memoria. « Quæcumque autem Octava » Solemnis occurrens in Dominicis Adventus et a Se- » ptuagesima usque ad Pascha, in Missa et in illa » parte Officii quæ est de Dominica incipiendo a Ve- » speris Sabbati præcedentis, si sint a Capitulo, consi- » deretur tamquam Octava Simplex : ita tamen, quod » ad Matutinum Dominicæ Palmarum omnino cesset » qualiscumque Octava. » Si autem qualiscumque Octava Feria IV. Cinerum occurrerit, totum Officium fiet de Feria usque ad Nonam inclusive, perinde ac si Octava non existat, excepta tamen Memoria ejusdem.

99. Si Festum habens *Vigiliam* transferatur, non transfertur Officium Vigiliæ sed omittatur. Si tamen Vigilia S. Andreæ Apostoli inciderit in Sabbatum et Festum transferatur in Feriam II. sequentem, fiat Officium Vigiliæ, nisi fuerit aliter impeditum. Jejunium cujuscumque Vigiliæ transfertur pridie diei in qua celebratur hujusmodi Festum translatum, et si fuerit Dominica jejunetur in Sabbato præcedenti. Quando autem impeditur Officium Vigiliæ de ea nihil fiat, nisi fuerit impeditum a die Octava Simplici, vel infra Octavam Simplicem aut Solemnem, in quo casu legitur Homilia Vigiliæ, si fuerit propria, eo modo quo n.° 262 et seq.

100. Si *Dominica* impediatur ab aliquo Festo, tunc regulariter fit ejus Memoria proprio die, et transfertur ejus Homilia et Historia infra hebdomadam eo modo quo infra dicetur; quæ si non potest transferri omittitur illo anno. Si vero Officium Dominicæ impediatur ab aliquo die Octava solemni, idem fiat, et si Homilia non possit transferri, eo die legatur; si autem ab aliqua die infra Octavam Solemnem impediatur, fiat de Octava Officium novem Lectionum cum Lectionibus I. Nocturni, Homilia, Memoria et Missa Dominicæ. De Dominica IV. Adventus, quando impeditur a Vigilia Nativitatis Domini, vide in Rubricis propriis.

101. De *Feriis* Adventus, Quadragesimæ et Rogationum quocumque modo impeditis fiat Memoria; si autem dictæ Feriæ ab aliqua die Octava vel infra Octavam Simplicem et Solemnem impediantur, de his etiam legatur Homilia. Similiter legatur Homilia de Feriis et Sabbato Quatuor Temporum Septembris in dicto casu, sed de his Memoria non fiat.

De cæteris autem Feriis quocumque modo impeditis, nihil fiat.

102. Festa *Votiva* infra hebdomadam, si impedita fuerint non transferantur, sed de illis fiat Memoria aut etiam prorsus omittantur, ut dicetur infra.

### §. III. De diebus vacantibus pro translatione.

103. Dies vacantes in quas transferri possunt *Homiliæ Dominicales* infra hebdomadam sunt sequentes; quæ hic positæ sunt incipiendo a minoribus:

*A*. Feria aut Vigilia non habens Homiliam propriam.

*B*. Feria IV.

*C*. Festum Trium Lectionum.

*D*. Feria III.

*E*. Feria V.
*F*. Sabbato.
*G*. Dies infra Octavam Simplicem vel Solemnem.
*H*. Dies Octava Simplex.
*I*. Dies Octava Solemnis.

In hujusmodi autem translatione hæc observanda sunt : 1.° Si fuerint plures ex prædictis diebus vacantes infra hebdomadam, eligatur semper dies minus solemnis ; 2.° Si in aliqua ex sex prioribus diebus legatur Homilia Dominicæ, totum Officium fiat de Feria ; 3.° Si in die infra Octavam legenda fuerit, eligatur prima dies vacans, non considerato ordine Feriarum, ut supra ; 4.° Si propter majora Festa transferenda omittendæ sint Homiliæ Dominicales, eæ potius omittuntur quæ infra annum posteriores inveniuntur.

104. *Historia Dominicalis* (seu ℟℟. Nocturnorum) si non legatur propria die, neque in aliqua Dominica sequenti pro qua notatur, transferatur legenda in aliquas ex prædictis diebus supra notatis pro Homilia, exceptis diebus sub litteris *G. H. I*, expressis ; imo legi debet in Feriis, vel Vigiliis, habentibus propriam Homiliam, dummodo non habeant ℟℟. propria.

Quomodo autem dividatur secundum ordinem Feriarum vid. in §. De Responsoriis n.° 270. et seq.

105. Festa *Trium Lectionum*, cum infra quindenam tantum et in solam Feriam non habentem Homiliam nec ℟℟. propria transferri possint, jam amplius, propter multitudinem aliorum Festorum transferendorum aut celebrandorum, non habent locum pro sua translatione.

106. Festa *Simplicia* transferuntur infra quindecim dies a die illorum occurrentiæ exclusive in aliquam ex diebus vacantibus sub septem prioribus litteris supra expressis tantum. Si autem infra quindenam non sit alia dies vacans nisi Feria destinata pro legenda Homilia aut Historia Dominicæ, vel Feria aut Vigilia

habens Homiliam propriam in ipsam transferatur, nisi fuerit dies Octava.

107. Festa *Duplicia* non habent regulariter tempus determinatum pro translatione, et in dies sub septem prioribus litteris supra contentas, imo in Ferias aut Vigilias habentes Homiliam propriam transferri possunt. Si vero infra annum ad eorum translationem non sufficiant dictæ Feriæ vacantes, tunc transferri debent primo in Ferias destinatas pro legenda Homilia vel Historia Dominicæ, deinde in dies Octavas Simplices, incipiendo a posterioribus, postea similiter in Festa Simplicia, minime vero in dies Octavas solemnes. Si tunc non possunt transferri, fiat illorum Memoria. (V. n. 154.)

Quæ autem hic dicuntur de translatione Festi Duplicis in diem Octavam Simplicem, vel in diem Festi Simplicis et de ejusdem Memoria facienda, intelligenda sunt de Festis Duplicibus quæ sunt in nostro Calendario, non vero de Festis de quibus in n.° 76, quæ in hoc casu omitti debent. (*Ex Rubr. Brev. XXIV.* 17.)

108. Festa *Tota Duplicia* in easdem dies ac Festa Duplicia transferri debent; Festa vero Annuntiationis B. Mariæ, necnon SS. Apostolorum, et SS. Ordinis nostri quæ Duplicibus I. aut II. classis æquiparantur, aliaque Octavam habentia in dies destinatas ad legendam Homiliam vel Historiam Dominicæ, transferri debent etiamsi possint ulterius transferri. Insuper, Festa Tota Duplicia, si ad eorum translationem infra annum non sufficiant dies vacantes Duplicibus concessæ etiam in dies Octavas Solemnes transferantur. (*Ibid.*)

### §. IV. De Ordine Translationis.

109. Cum plura Festa simul transferenda occurrunt, sciendum est a quibus incipi debet hujusmodi translatio, et quo ordine successive Festa transferenda in

dies proxime vacantes poni debent. In primis autem quando Festa *extraordinaria* locorum vel inter se vel » cum Sanctis Ordinis vel aliis nostri Calendarii ea» dem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt ut » translatio alicujus seu aliquorum sit perpetua, tunc » prima dies proxima non impedita censeatur as» signata in perpetuum pro die propria Festi translati » respective » : ita ut de illo fiet eodem modo ac si non fuisset translatum sed fixum illa die in Calendario. (*XXXI*, 5).

110. « Festa *Duplicia et supra* transferenda sunt eo » ordine quo venerunt, » exceptis infra scriptis, quæ ita inter se ordinantur, ut qui sub prioribus litteris habentur priusquam alia transferantur, videlicet.

*A*. Festa Dominicæ Passionis, quæ cum non possint celebrari extra Quadragesimam, quando ulterius transferri non possunt, cæteris transferendis præponuntur. (Vid. n.° 114, et seq.)

*B*. Festum Annunciationis B. M. V. (V. n.° 117.)

*C*. Festa natalitia duodecim Apostolorum.

*D*. Festa Sanctorum Ordinis nostri (non autem Festa Translationis aut Commemorationis eorumdem, aut Beatorum Ordinis nostri.) (*Ibid. XXIV*. 13.)

*E*. Festa habentia Octavam quamcumque.

111. « Festa *Simplicia* transferenda sunt etiam eo » ordine quo venerunt, sed post Duplicia et supra. » « Si tamen Festum Simplex non sit ulterius transfe» ribile (id est in ultima aut unica die vacanti infra » quindenam,) tunc transferatur priusquam Festum » Duplex et supra. » nisi in casu expresso sub littera *A*. n.° præcedenti, et supra n. 107 et 108. (*Ibid*. 13.)

112. Ordo *Homiliæ aut Historiæ* Dominicalis transferendæ determinandus est juxta qualitatem Feriarum vacantium et Festorum simul transferendorum. Festa enim prædicta n.° 110, et alia quæ non possunt ulterius transferri, eam præcedunt in translatione, etiamsi ipsa

debeat propter hoc ulterius transferri aut plane omitti. De cætero autem pro Homilia aut Historia transferenda eligatur dies vacans eo ordine quo supra n.° 103 dictum est, non attentis Festis transferendis, hæc enim dies non est vacans pro ipsis.

## §. V. De regulis particularibus pro translatione aliquorum Festorum.

Cum in nostris Rubricis inveniantur multæ exceptiones, seu regulæ speciales, in Festis transferendis, illas hic subnectimus secundum ordinem Calendarii.

113. *Dominica infra Octavam Epiphaniæ.* Festum Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum : « Si hoc » Festum evenerit in diem 10. mensis, tunc Festum » B. Gundisalvi transfertur in Feriam II. immediate » sequentem. Si dies Epiphaniæ fuerit Dominica, Fe» stum Inventionis fiet in sequenti Feria IV. id est die » 9 Januarii. » (*Rubr. propr.*)

114. *Feria III. post Dominicam Septuagesimæ* « Festum » Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti et ea quæ se» quuntur de Passione in Feria III. Sexagesimæ et » Feriis VI. Quadragesimæ, non possunt transferri » ad aliam diem nisi occurrente Festo potioris ritus, » et tunc transferenda sunt ordine quo venerunt dum» modo infra Quadragesimam hæc translatio fiat; » nam illa Festa non sunt celebranda extra Quadrage» simam, nec sunt omittenda. » (*XXIV.* 2.)

115. *Feria V. post Dominicam Quinquagesimæ.* « Fe» stum Translationis S. Catharinæ Senensis, transferri » debet ad primam sequentem diem liberam, juxta » Rubricas, quando impedita occurrit ob Festa vel » Purificationis, vel S. Mathiæ Apostoli. »

116. *Feria VI. post Dominicam Passionis.* « Festum » Compassionis B. M. Virginis, non est transferendum » propter aliud Festum, nisi Festum S. Joseph aut

» Annunciationis, aut alicujus Sancti Ordinis nostri » (vel majus) occurrerit in illa Feria. Et tunc Festum » Compassionis transfertur in Sabbatum subsequens. » Si tamen in dicto Sabbato aliquod Festum occurrerit, » illud transferatur post Octavam Paschæ, ut de » mandato summi Pontificis in Urbe fuit factum. » Ideoque Festum Compassionis non est celebran- » dum extra Quadragesimam, nec est omittendum. » (*Ibid.*)

117. *Die* 25 *Martii.* Festum Annunciationis B. Mariæ V. Istud Festum præponitur in ordine translationis Festis Apostolorum. (V. n.° 110.) Si occurrerit « Feria VI. in Parasceve aut Sabbato sancto, trans- » ferri debet una cum præcepto audiendi Missam et » vacandi ab operibus (ubi lex viget) ad Feriam II. » post Dominicam in albis, quocumque alio Festo » etiam impeditam, ita ut prædicto casu eveniente, » eadem Feria II. pro die propria et fixa memorato » Festo Annunciationis assignata perpetuo intelligatur, » translatis tamen ad aliam diem non impeditam juxta » Rubricas omnibus aliis Festis eadem Feria occur- » rentibus (*S. C. R.* 11 *Martii* 1690). Quod non fit si » Festum Annunciationis inciderit in aliam Feriam » Hebdomadæ sanctæ, vel in die Paschæ. » (*Ibid.* 13.)

118. *Die* 24 *Aprilis.* Festum SS. Coronæ Domini extra Tempus Paschale non celebratur. Cum autem contigerit illud impediri, in diem 4 Maii transferatur (*Pius VII.* 30. *Aug.* 1807) translato festo S. Monicæ illo anno in proximam Feriam vacantem, juxta Rubricas. (*Ex. rec. Rubr.*)

119. (1) *Dominica I. post Octavam Trinitatis.* « Fe-

---

(1) De Festis SS. Cordis Jesu, et S. Joannis Baptistæ SS. Ap. Petri et Pauli, nec non de Festis concurrentibus in Dominicis infra Octavas Assumptionis et Nativitatis B. M. et 11 Novembris de quibus in Rubricis Breviarii, jam provisum supra n.is 84 et 85.

» stum Purissimi Cordis Mariæ transferatur si ea die » occurrerit Festum Totum Duplex. »

120. *Die* 15. *Septembris.* Festum Commemorationis S. Patris Dominici, in proximam Feriam non impeditam transferatur si ea die fuerit Dominica infra Octavam Nativitatis B. Mariæ in qua celebrandum est Festum SS. Nominis ejusdem B. Virginis. (*XXIV. ex n.°* 9.)

121. *Dominica I Octobris.* Festum SS. Rosarii B. Mariæ Virginis. Si Festum S. Patroni principalis de præcepto occurrerit Dominica I. Octobris, « Festum Ro» sarii cum sua Octava transferatur in proxime va» cantem Feriam, sed quoad Officium tantum, non » vero quoad solemnitatem Processionis, quæ tali die » a Confratribus SS. Rosarii publice fieri consuevit. » (*XXVII.* 2.)

122. *Die* 2. *Novembris.* Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum. Si Festum Omnium Sanctorum Sabbato evenerit, in crastino totum Officium tam diei quam noctis erit de Octava; tunc eadem die post Vesperas de Octava Vesperæ Defunctorum dicuntur, et Feria II. fiat Officium Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, translato Festo B. Simonis in aliam diem non impeditam (*Ex Rubr. in corp. Brev.*)

123. *Die* 8. *Decembris.* Festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis. « Si in II. Dominica Adven» tus istud Festum inciderit transferendum est in Fe» riam II. immediate sequentem, quocumque Festo » etiam æqualis non tamen altioris ritus in eadem in» cidente. (*XXIV.* 13.)

124. Si Festum *S. Patroni de præcepto* propter Festum majus transferendum sit, « tunc transferatur juxta » consuetudinem Ecclesiæ Matricis, cui in hujus Festi» vitatis celebratione debent Ecclesiæ nostræ confor» mari. (*XXVI.* 1 ) Item « si concurrat cum Festivi» tatibus B. M. V. (ut sunt Festa Purificationis et SS.

» Rosarii. *XXV.* n° 4.) aut aliis majoribus, servandus » est mos Matricis Ecclesiæ tam in translatione quam » in concomitantia. De occursu vero seu concursu » Patroni principalis Regni cum Patrono principali » Provinciæ aut Civitatis, nihil statui potest. Observe» tur tamen consuetudo Ecclesiæ Matricis.

« Festa autem *Dedicationis Ecclesiæ nostræ* conse» cratæ et *Tituli principalis nostræ Ecclesiæ* nequeunt » celebrari in illis diebus quibus non potest fieri Of» ficium de S. Patrono principali de præcepto. (*XXVIII.* *4. et XXIX.* 2.)

125. « De concursu Festi *S. Patroni minus principalis* » *de præcepto* cum aliis Festivitatibus observetur mos » Ecclesiæ Matricis, nisi forte ob peculiarem Festivi» tatem illius Ecclesiæ propriam, debeat Festum Pa» troni non principalis transferri : nam tunc fieri debet » Officium de S. Patrono proprio die. Si in die San» ctorum Ordinis nostri occurrerit prædictum Festum, » transferatur Festum S. Ordinis nostri; secus vero, » si de præcepto non fuerit. (*XXVII.* 6.)

126. Festum *S. Tituli minus principalis Ecclesiæ nostræ* in concurrentia cum Festo S. Patroni minus principalis de præcepto debet transferri. « Si vero Festum » Patroni non sit de præcepto et occurrerit in die S. » Tituli minus principalis Ecclesiæ nostræ, fiat trans» latio juxta qualitatem solemnitatis Festorum. Sed » si ejusdem solemnitatis sint, præferatur Festum S. » Tituli minus principalis, nisi propter maximam po» puli devotionem, aliter fieri oporteat. » (*XXIX.*)

127. De translatione Festi Sancti *cujus Corpus conditum est in Ecclesiis nostris* « judicandum est secundum » morem Patriæ et devotionem populi. Si nulla fuerit » consuetudo servetur regula ut supra n° 84. »

128. « Tandem circa occurrentiam aliorum Festorum » quæ in diversis locis conceduntur vel prædictorum » est etiam regula sequens : si aliquod Festum ex dictis

» occurrerit in die S. Ordinis nostri, vel alterius no- » stri Calendarii, transferendum est, et fieri debet de » S. Ordinis, vel de S. nostri Calendarii, nisi illud » Festum sit Patroni principalis loci de præcepto, vel » Patroni minus principalis etiam de præcepto, vel » aliud Festum solemne et de præcepto in Patria, » quæ semper præferenda sunt Festis SS. Ordinis et » SS. nostri Calendarii, etiamsi hæc sint ejusdem vel » majoris solemnitatis; et debet fieri Officium de San- » cto Patriæ et nostra Festa transferenda sunt. » (*XXXI*. 4.)

## ARTICULUS V.

### DE MODO ORDINANDI VESPERAS OFFICIORUM IN CASU CONCOMITANTIÆ.

#### §. I. De Concomitantia in genere.

128. « Concomitari dicuntur Festivitates cum una » post aliam immediate celebratur, et præcedens Fe- » stum in secundis Vesperis, cum sequenti Festo in » primis Vesperis concurrit. » (*XXV*. 1.)

129. « Si Festum minoris solemnitatis ante vel post » Festum majoris solemnitatis occurrerit, Festum ma- » jus duas Vesperas integras habebit, et de minori » tantum fiet Memoria. » Quod autem hic de Vesperis integris dicitur sic intelligendum est : si agatur de Festo Duplici, primæ vesperæ integræ censentur quando fuerint ab Antiphona, si autem de die Octava, de Dominica, de Festo Simplici, et Trium Lectionum, eædem primæ Vesperæ integræ reputantur quando incipiunt a Capitulo, ut supra dictum est n.° 26.

130. Vesperæ Festi Totius Duplicis numquam dimidiantur in concomitantia, (exceptis Vesperis Sanctorum infra Octavam Nativitatis Domini occurrentium,

ut suo loco dicetur) sed integræ semper dicuntur. Secus autem de Festo Duplici et cæteris.

131. In hujusmodi concomitantia plures casus distinguendi sunt, videlicet : 1.° Concomitantia duorum Officiorum diversæ dignitatis ; 2.° Concomitantia duorum Officiorum ejusdem dignitatis ; 3.° Concomitantia trium aut plurium Officiorum ejusdem dignitatis. Hæc tria explananda veniunt in sequentibus §§. circa diversos Officiorum gradus de quibus agitur.

## §. II. De concomitantia Festorum Totorum Duplicium.

132. *Quoad primum casum*, Officia ita disponuntur secundum ordinem suæ dignitatis, in hoc §. et seq., ut si fiat de uno sub littera præcedenti posito et immediate de altero sub quacumque littera posteriori, Vesperæ intermediæ erunt integræ de præcedenti cum Memoria de sequenti, nisi hæc Memoria etiam impediatur. Quando duo Festa Tota Duplicia diversæ dignitatis concomitantur, ea quæ correspondent Duplicibus I. classis primo loco veniunt, et ita inter se ordinantur.

*A*. Nativitas D. N. J. C., Epiphania et Ascensio ejusdem, Festa SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi, Assumptionis B. Mariæ, S. P. N. Dominici et Omnium Sanctorum semper utrasque Vesperas habere debent, quocumque alio Festo concomitante.

*B*. Festa Patroni principalis de præcepto Regni, Provinciæ, Civitatis ; de quibus tamen, si concomitantur ad invicem, aut cum sequentibus sub littera *C*., servandus est mos Ecclesiæ Matricis.

*C*. Festa Purificationis et SS. Rosarii B. Mariæ V.

*D*. Dedicatio Ecclesiæ nostræ consecratæ et Anniversarium ejusdem, non autem Ecclesiæ Matricis.

*E*. Festum Tituli principalis Ecclesiæ nostræ.

*F*. Huc accedunt : Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festa SS. Apostolorum Petri et Pauli, et S. P. Francisci, vi regulæ generalis supra positæ n.° 129.

133. Festa quæ correspondent Duplicibus II. classis hoc ordine :

*G*. Festa B. M. Virginis istiusmódi dignitatis ;

*H*. Festa natalitia Apostolorum ;

*I*. Festa Sanctorum Ordinis nostri ;

*J*. Dies Octava Solemnissima Paschæ et SS. Corporis Christi. Si autem Festa Tota Duplicia infra scripta n.° 134 secundis Vesperis careant, habebunt primas Vesperas in concomitantia cum prædictis diebus Octavis.

*K*. Cætera Festa quæ Duplicibus II. classis æquiparantur, ut Festum Exaltationis S. Crucis.

De Festis autem Patroni minus principalis de præcepto, S. Tituli principalis Ecclesiæ nostræ, Sancti cujus Corpus conditum est in Ecclesiis nostris, in concomitantia cum Festis prædictis in præsenti n.° nihil certum statui potest, sed revocanda sunt ea quæ dicta sunt n.is 124. et seq.

134. *L*. Festa Tota Duplicia communia. Ordo præcellentiæ eorum ad invicem quoad concomitantiam non datur in Rubricis, nisi Festis B. Mariæ super quæcumque alia Festa Tota Duplicia communia.

135. *Quoad secundum casum*, videlicet, quando duo tantum Festa Tota Duplicia ejusdem dignitatis, seu sub eadem littera supra posita sibi succedunt immediate, primum in ordine habebit utrasque Vesperas integras, secundum vero secundas tantum.

136. *In tertio casu*, scilicet, quando tria aut plura Tota Duplicia sibi succedunt immediate, si fuerint ejusdem dignitatis ut supra, n.° præcedenti, idem observetur; si vero fuerint diversæ dignitatis, Festum superioris dignitatis (id est sub aliqua ex litteris præcedentibus posito) habebit utrasque Vesperas integras, sive sit primum, sive medium, sive ultimum ;

cætera vero carebunt primis vel secundis, et ita disponi debent ut quodlibet Festum Totum Duplex ad minus semel integras Vesperas habeat. « Excipitur » Festum Patrocinii S. Joseph, si celebretur proprio » die, et si præcesserit Festum majoris solemnitatis, » nam tunc semper carebit secundis Vesperis, quam» vis contingat carere primis, ne primis privetur » Festum S. Petri Martyris. *Ex decreto Pii VII.* 1809.» (*XXV.* 3.)

### §. III. De concomitantia dierum Octavarum Solemnium et Festorum Duplicium.

137. *Quoad primum casum,* sequitur ordo dignitatis hujusmodi Officiorum in concomitantia cum præcedentibus et sequentibus.

*M:* Dies Octava Solemnis habebit solum Memoriam in Vesperis si cum præcedentibus concomitetur, sive præcedat sive sequatur : si vero infrascripta Officia præcedat, habebit secundas Vesperas ; et si sequatur, de præcedenti fiet usque ad Capitulum, de die vero Octava a Capitulo sine ℟° cum Memoria præcedentis. Et si duæ dies Octavæ Solemnes sibi immediate succedant, eadem servetur regula ac pro duobus Festis Duplicibus sibi succedentibus (V. n^is^ 140 et 141), hoc observato : quod primæ Vesperæ de die Octava erunt integræ si incipiant a Capitulo.

138. *N.* Festum Duplex Vesperas cedit Officiis sub prioribus litteris supra positis. Si vero infrascripta præcedat, habebit Vesperas secundas integras; si autem sequatur, primas Vesperas habebit integras (id est ab Antiphona cum Responsorio), et Psalmi erunt de præcedenti.

139. Si tamen successerit cuilibet Dominicæ, aut Festo Simplici vel diei Octavæ Simplici quæ celebrantur infra Octavam Solemnem, aut alicui diei infra

eamdem Octavam, primæ ejus Vesperæ incipient tantum a Capitulo, et Psalmi cum Antiphona aut Antiphonis super eos erunt de præcedenti.

140. *Quoad secundum casum,* scilicet quando duo Festa Duplicia concomitantur, sic distinguendum est: si primum Duplex habuerit primas Vesperas integras (id est ab Antiphona) et secundum habiturum sit etiam secundas integras, fiet usque ad Capitulum de primo, et a Capitulo de secundo cum Memoria de primo.

Idem observandum est si nec primum primas Vesperas integras habuerit, nec secundum secundas habiturum sit integras.

141. Si autem primum Duplex habuerit primas Vesperas ab Antiphona, et secundum caruerit secundis, tunc Vesperæ intermediæ erunt de secundo ab Antiphona, cum Memoria de primo. E converso, si primum Duplex non habuerit primas Vesperas integras, et secundum habiturum sit secundas integras, Vesperæ intermediæ erunt integræ de primo cum Memoria de secundo.

142. *In tertio autem casu*, quando videlicet tria aut plura Festa Duplicia sibi succedunt immediate, servetur quantum fieri potest, ut primum Duplex utrasque Vesperas integras habeat, de reliquis vero disponatur secundum modum superius præscriptum: ita ut primum Duplex, etiamsi habuerit primas Vesperas ab Antiphona vel a Capitulo, habebit secundas etiam integras; et pariter alia Duplicia sequentia habebunt integras secundas Vesperas. Si vero Vesperæ ultimi Duplicis fuerint totaliter impeditæ, tunc ille habebit primas Vesperas dimidiatas a Capitulo cum præcedenti (*Ex XXV.* 10).

## §. IV. De Concomitantia cæterorum Officiorum.

143. *In primo casu,* diebus infra Octavas Solemnes,

et Festis Simplicibus vel diebus Octavis Simplicibus infra eas, sic disponuntur Vesperæ :

*O*. Festa Simplicia et dies Octavæ Simplices infra Octavam Solemnem in concomitantia cujuscumque Festi Duplicis et supra ipsi cedunt Vesperas et fit Memoria de illis (V. n. 139.); ante vel post dies infra notatos, primis gaudent a Capitulo et secundis integris.

*P*. Dies infra Octavam Solemnem cedit prædictis, sed in concomitantia cum inferioribus infra scriptis habet regulariter suas Vesperas integras, id est secundas.

144. *Q*. Dies Dominica caret Vesperis si concomitetur cum suprascriptis. Excipiuntur Dominicæ Adventus, et a Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum inclusive in concomitantia cum diebus n.° præcedenti ; quia, ut dictum est, intermittitur solemnitas Octavæ : ideo si dictæ Dominicæ illos præcesserint, habebunt secundas Vesperas integras ; si sequantur, Vesperas habebunt a Capitulo cum Responsorio Sabbato præcedenti, et tunc dicentur Vesperæ et Completorium B. M. V. et Preces in Completorio diei.

145. Dies Dominica in concomitantia cum diebus infra scriptis habebit utrasque Vesperas integras ; excepto casu quo Festum Simplex quod non habuit primas Vesperas concomitetur die Sabbato Dominicam habentem secundas integras ; tunc, si Dominica non habeat Responsorium in Vesperis Sabbati, dictæ Vesperæ erunt integræ de Festo Simplici cum Memoria Dominicæ ; si autem Dominica habeat Responsorium, Vesperæ erunt a Capitulo de Dominica.

146. *R*. Festa Simplicia et dies Octavæ Simplices : circa illorum concomitantiam cum supradictis vel cum infra scriptis servanda est regula generalis n.° 129. Excepta die Octava Epiphaniæ quæ in concomitantia cum Dominica sequenti habebit secundas Vesperas integras.

147. *In secundo autem et in tertio casu*, videlicet,

quando duo aut plura Festa Simplicia aut dies Octavæ Simplices sibi succedunt, aut (quod idem est) Festum Simplex diei Octavæ Simplici et vice versa, eædem servandæ sunt regulæ ac pro duobus Festis Duplicibus sibi succedentibus, hoc tamen observato quod primæ Vesperæ illorum Simplicium integræ censendæ sunt si incipiant a Capitulo. (*Ibid.*)

148. *S.* Dies infra Octavam simplicem.

*T.* Festa Votiva infra hebdomadam.

*U.* Festa Trium Lectionum.

*V.* Feriæ quæcumque.

## ARTICULUS VI.

## DE MEMORIIS.

### §. I. De quibus et in quibus horis faciendæ sunt Memoriæ.

149. Quando impeditur aliquod Officium quod transferri nequit, aut Vesperæ illius tantum, vel posterior pars Vesperarum, de illo fit Memoria hoc modo :

— Si Officium habens utrasque Vesperas totaliter impeditur, fit Memoria illius in utrisque Vesperis et Laudibus, exceptis infra excipiendis.

— Si Officium totaliter impeditum non habuerit de se nisi primas aut secundas Vesperas (V. n.° 26.), fit Memoria illius in Laudibus et Vesperis impeditis tantum.

— Si vero solæ Vesperæ primæ vel secundæ, vel sola ultima pars earum impediantur, fit tantum Memoria de Vesperis impeditis.

150. Item quotiescumque occurrit Festum aut Octava solius Memoriæ, hujusmodi Memoria facienda est prout præscribitur in Calendario : sive in utrisque Vesperis et Laudibus, sive in primis vel secundis tantum et Laudibus, sive in Laudibus tantum.

151. Item quotiescumque aliqua specialis Memoria Rubricis addenda præscribitur in Officio de Tempore aut de Sanctis.

In Officio autem de Tempore sic faciendæ sunt :

*A*. Dominicis diebus per totum annum fit Memoria de B. Maria V. in Laudibus et secundis Vesperis : præterquam per Octavas Solemnes et supra, necnon per Octavas etiam Simplices ejusdem B. Mariæ V.

*B*. A die 2 Januarii usque ad Octavam diem Epiphaniæ inclusive, fit Memoria B. Mariæ V. : præterquam in Laudibus Vigiliæ Epiphaniæ, et in utrisque Vesperis et Laudibus Festorum Epiphaniæ, Inventionis S. Pueri Jesu, et B. Gundisalvi.

*C*. Die Paschæ et duobus diebus sequentibus fit Memoria in secundis Vesperis tantum : 1.° de S. Cruce, 2.° de B. Maria V. Triduo autem sequenti fit Memoria de S. Cruce tantum in secundis Vesperis.

*D*. A primis Vesperis Dominicæ in Albis usque ad Laudes Vigiliæ Ascensionis exclusive, fit Memoria de S. Cruce in Vesperis et Laudibus, quotidie : exceptis Festis Duplicibus et supra, et infra Octavas Solemnes.

152. In Festis Sanctorum sic præscribuntur faciendæ.

*A*. In omnibus Feriis III. de S. P. Dominico addenda est Memoria S. P. Francisci, in 1.is Vesperis et Laudibus.

*B*. In Feriis IV., ubi fit ex consuetudine de Sancto Ordinis, addenda est Memoria de S. Thoma Aquinate, si ibi vigeat studium artium simul et Theologiæ.

*C*. Memoriæ propriæ fiunt etiam semper in Officio quotidiano B. Mariæ V.

## §. II. Quando non faciendæ vel omittendæ sunt Memoriæ.

153. Nullæ faciendæ sunt Memoriæ in sequentibus diebus, præter eas quæ ibidem et n.° seq. excipiuntur :

*A*. In Laudibus Vigiliæ Nativitatis Domini, (exce-

pta Memoria Dominicæ IV. Adventus, si in dictam Vigiliam inciderit) et in primis Vesperis et Laudibus hujus Festi;

*B.* In Vigilia et in toto Officio Epiphaniæ Domini;

*C.* A Vesperis Feriæ IV. infra Hebdomadam sanctam usque ad Laudes Sabbati in Octava Paschæ (exceptis notatis n.° 151. *C.*;)

*D.* In primis Vesperis et Laudibus Dominicæ in Albis, excepta Memoria de Cruce;

*E.* In Laudibus diei Ascensionis Domini;

*F.* A Vigilia Pentecostes usque ad Laudes Dominicæ SS. Trinitatis inclusive;

*G.* In Laudibus SS. Corporis Christi;

*H.* In Laudibus diei Animarum.

154. Si in aliquo ex prædictis diebus occurrerit Festum Duplex adnotatum in Calendario (non autem aliud non insertum, nam plane omittitur in casu) quod transferri nequit eo quod in reliquo anno non sit Feria vacans fiet illius Memoria, præterquam a Vesperis Feriæ IV. Hebdomadæ majoris usque ad Feriam III. post Pascha inclusive, et a Vigilia Pentecostes usque ad Feriam III. post eamdem inclusive, et in die Animarum. (*R. Brev. XXIV.* 17.)

155. Non fit Memoria Dominicæ incidentis in diem Nativitatis Domini, aut in Festa Sanctorum subsequentium his diebus; sed in crastino S. Thomæ fit in Laudibus et Vesperis, et si Sabbatum fuerit, omittitur. (V. n.° 38.) Item vacat Memoria Dominicæ a die 1.ª Januarii usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclusive. Item omittitur Memoria Dominicæ, Sabbato præcedenti ad Vesperas, infra Octavas Ascensionis et SS. Corporis Christi.

156. Omittitur Memoria Festi Simplicis et infra, necnon diei Octavæ Simplicis et infra, et diei infra Octavam etiam Solemnem in utrisque Vesperis Ascensionis, SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi et Assum-

ptionis B. Mariæ V.; fiet tamen Memoria diei Octavæ Solemnis in Vesperis tantum.

157. A Matutinis Dominicæ in Ramis Palmarum omittitur etiam Memoria qualiscumque Octavæ inceptæ. Item omittitur Memoria cujuscumque Octavæ per totam Octavam SS. Corporis Christi, præterquam Octavarum SS. Trinitatis, S. Joannis Baptistæ, et SS. Apostolorum Petri et Pauli; servatis tamen quæ dicuntur n.° præcedenti. Item temporibus in quibus celebrari nequeunt Octavæ Dedicationis (V. n. 65.), etiam illarum Memoria omittenda est.

158. Omittitur Memoria de Festo Trium Lectionum in secundis Vesperis Festi Duplicis et supra, et diei Octavæ Solemnis et supra, si de ipso fiat Officium die sequenti. Si vero tale Officium non possit proprio die celebrari nec transferri ulterius, Memoria de primis Vesperis et Laudibus illius fiat etiam in Festis Totis Duplicibus, præterquam diebus supra memoratis n.° 151. et infra Octavas Ascensionis et SS. Trinitatis, in quibus omittitur dicta Memoria.

159. Omittitur Memoria de Festo Votivo quocumque infra hebdomadam, necnon Memoria diei infra Octavam solius Memoriæ, in Vesperis et Laudibus Festi Duplicis et supra, diei Octavæ Solemnis et infra Octavam Solemnem et supra; item in Festis Simplicibus aut Octavis Simplicibus infra Octavas Solemnes occurrentibus; item ab Octava die S. Stephani usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclusive.

160. Nulla fit Memoria de Feriis quæ non sunt Adventus, aut Quadragesimæ, aut Rogationum, nec de Vigiliis, nec de S. Vincentio in aliqua Feria mensis, si impediantur.

161. In eodem Officio non fit bis de eodem: unde si Festum Inventionis S. Pueri Jesu immediate post Festum Epiphaniæ celebretur nulla fit Memoria de primis Vesperis illius; fiet tamen Memoria de Octava

Epiphaniæ in utrisque Vesperis et Laudibus dicti Festi. Item nihil fit de SS. Corde Jesu in secundis Vesperis diei Octavæ SS. Corporis Christi. Item nihil fit de SS. Nomine Mariæ si istud Festum celebretur immediate post Festum Nativitatis ejusdem. Item diebus Dominicis infra Octavas B. Mariæ, quando fit de Dominica, omittitur Memoria solita ejusdem B. Mariæ Virginis. Item in utrisque Vesperis et Laudibus Translationis Almæ Domus Lauretanæ omittitur Memoria Octavæ Immaculatæ Conceptionis : et sic in consimilibus casibus. Attamen Memoriæ propriæ Officii quotidiani B. Mariæ Virginis non impediunt quominus eædem Memoriæ in Officio principali fiant.

### §. III. De Ordine Memoriarum.

162. Memoriæ fieri debent secundum ordinem dignitatis earum, prout infra notatur per litteras alphabeti :

*A*. De Festo Toto Duplici, prout n.° 132 et seq.

*B*. De die Octava solemni.

*C*. De Festo Duplici.

*D*. De Dominicis Adventus et a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive.

163. *E*. De die Octava Simplici infra Octavam Solemnem, excepta Octava Ascensionis, infra quam Memoria de Octava Simplici postponitur Memoriæ Festi Simplicis et diei infra Octavam Ascensionis.

*F*. De Festo Simplici infra Octavam Solemnem et Solemnissimam. (V. etiam 164. *K*.)

*G*. De die infra Octavam Solemnissimam et de aliis Octavis infra eam occurrentibus secundum earum dignitatem vel secundum ordinem earum occurrentiæ.

*H*. De die infra Octavam Solemnem; Memoria autem dignioris, vel, si fuerint æqualis dignitatis, Memoria prius occurrentis præcedit aliam.

*I*. De cæteris Dominicis.

164. *J*. De die Octava Simplici extra Octavas Solemnes, excepto casu sub littera sequenti.

*K*. De Festo Simplici. Si tamen Festum Simplex occurrerit in die Octavæ Simplicis, et hac die fiat de eo Officium quia transferri nequit, Memoria Festi Simplicis in Vesperis præcedit Memoriam diei Octavæ Simplicis.

165. *L*. De die infra Octavam Simplicem.

Memoria autem dignioris Octavæ præcedit aliam (V. n.° 92); et si fuerint paris dignitatis, Memoria Festi prius occurrentis fiet etiam primo loco; idem fit pro Memoriis de Octavis Trium Lectionum.

166. *M*. De Feriis Adventus, Quadragesimæ et Rogationum. Item Memoria de Dominica post Octavam Epiphaniæ vel post Octavam Trinitatis, quando fit in aliqua Feria infra hebdomadam.

167. *N*. De Festis Votivis infra hebdomadam.

*O*. De Festo Trium Lectionum. Quod si de eo fiat Officium Feria IV., et in primis Vesperis fiat de eo Memoria, hæc præcedet Memoriam de S. Ordinis vel de S. Thoma.

168. *P*. De die Octava solius Memoriæ.

*Q*. De Festo solius Memoriæ in Vesperis et Laudibus proprio die; hæc autem præcedit Memoriam hujusmodi Festi translati.

*R*. De Festo solius Memoriæ in Laudibus tantum; hæc autem præcedit Memoriam hujusmodi Festi translati.

*S*. De S. P. Francisco Feria III.; item de die infra Octavam solius Memoriæ.

169. *T*. De Cruce Tempore Paschali.

*U*. De B. Maria V. diebus Dominicis, et ab Octava S. Stephani usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclusive. (*Ex Brev. XXXIII. et alibi.*)

## §. IV. De modo faciendi Memorias.

170. Post Orationem Officii de quo agitur, fiunt Memoriæ, si quæ sint. « Memoria quæcumque, tam in Ve» speris quam in Laudibus, fiat per Antiphonam, Ver» siculum et Orationem. » (*XXXII.* 5).

171. Quandocumque facienda est in I. Vesperis sequentis diei Memoria præcedentis Officii, sumitur primo loco Antiphona ad *Magnificat* de II. Vesperis hujus Officii ex Proprio, alioquin ex Communi. Eadem autem respective Antiphona sumenda erit quotquot Memoriæ hujusmodi occurrerint faciendæ ex Proprio vel ex diverso Communi. Si autem, in prædicto casu, plures Memoriæ fuerint faciendæ ex eodem Communi, extra Tempus Paschale, sumpta eadem Antiphona quæ supra pro prima Memoria, pro secunda Memoria Antiphona erit prima Laudum, pro tertia vero Antiphona quarta Laudum.

172. In Laudibus, sumitur Antiphona ad *Benedictus* quoties Memoriæ occurrerint faciendæ ex Proprio vel ex diverso Communi. Et si plures ex eodem Communi extra Tempus Paschale faciendæ fuerint, tunc, dicta primo loco Antiphona prædicta ex Communi, secundo loco dicitur Antiphona II. Laudum, tertio loco tertia, quarto loco quarta.

173. In II. Vesperis, Memoria sequentis Officii fit cum Antiphona ad *Magnificat*, de I. Vesperis hujus Officii, ex Proprio, alioquin ex Communi; et similiter fit quotquot Memoriæ de I. Vesperis fuerint faciendæ ex Proprio vel ex diverso Communi. Si autem, in dicto casu, plures Memoriæ sint faciendæ ex eodem Communi, extra Tempus Paschale, tunc, dicta Antiphona quæ supra pro prima Memoria, pro secunda sumitur Antiphona super Psalmos in I. Vesperis, pro tertia vero Antiphona IV. Laudum.

174. Tempore Paschali, post Antiphonas ad *Magnificat* et ad *Benedictus* ex Communi illius temporis, sumuntur, si plures Memoriæ ex eodem Communi sint faciendæ, Antiphonæ ad *Benedictus* et ad *Magnificat* extra Tempus Paschale, deinde cæteræ ordine supradicto, addito singulis *alleluia*.

175. Versiculus dicendus post dictas Antiphonas, tam in utrisque Vesperis quam in Laudibus, sumitur primo loco ille qui post Hymnum respective habetur proprius, alioquin ex Communi. Si vero plures Memoriæ ex eodem Communi faciendæ fuerint, dicto primo loco Versiculo ut supra, sumuntur deinceps Versiculi Nocturnorum incipiendo, in Laudibus a tertio Nocturno, in Vesperis vero incipiendo a primo Nocturno; hoc tamen observato : quod Versiculus *Ora pro nobis*, etc. (prout proprius) ad diversas Memorias quoties fuerit dicendus repetitur; et si Versiculus primi Nocturni idem fuerit ac Versiculus primo loco dictus, sumitur secundo loco Versiculus secundi Nocturni, et sic deinceps.

176. Oratio dicitur (præmisso solum *Oremus*) propria, alioquin ex Communi. Si vero Oratio assignata pro Memoria jam dicta fuerit in Officio, sumitur alia Oratio posterior in ordine ex eodem Communi. In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, si facienda fuerit Memoria Anniversarii alterius Ecclesiæ, pro Memoria dicatur Oratio propria diei Dedicationis. *Deus qui invisibiliter* (*S. R. C.* 25. *Sept.* 1706.)

177. De cæteris Memoriis, quæ supra sub n.° 151 notantur, servetur quoad Antiphonam, Versiculum et Orationem modus proprius, prout habetur in Breviario, tam in Vesperis quam in Laudibus. Idem dicendum est de Memoriis de Tempore, scilicet de Dominica aut de Feria, quoties contigerit eas fieri; hoc tamen observato : quod quando Memoria alicujus Dominicæ, quæ non potest celebrari post Octavam Epipha-

niæ vel Trinitatis, in aliqua Feria infra hebdomadam facienda est, adhibentur Versiculus ferialis cum Antiphona et Oratione hujus Dominicæ, tam in Laudibus quam in Vesperis.

De conclusione prædictarum Orationum vide infra n.° 204. et seq.

## ARTICULUS VII.

## DE VESPERIS ET COMPLETORIO.

### §. I. De inceptione, Psalmis et Antiphonis super Psalmos.

178. Ante Vesperas (1) dicitur secreto *Pater noster*, deinde ℣. *Deus in adjutorium*... ℟. *Domine ad adjuvandum*... Postea immediate sequitur *Gloria Patri*... *Sicut erat*, *Alleluia*, vel infra Septuagesimam *Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ*. Quando hæc omittenda sunt dicetur infra in Rubricis propriis.

179. In quibuscumque Vesperis dicuntur regulariter quinque Psalmi, in Breviario notati, terminando singulos per *Gloria Patri*... *Sicut erat*... In Vesperis, in diebus Paschæ et Pentecostes et infra eorum Octavas, dicuntur tres tantum Psalmi, Sabbato sancto unus solus.

180. In primis Vesperis cujuscumque Festi Totius Duplicis, dicuntur quinque Psalmi sequentes : Ps. 112. *Laudate pueri*, Ps. 116. *Laudate Dominum omnes gentes*, Ps. 145. *Lauda anima mea*, Ps. 146. *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus*, Ps. 147. *Lauda Jerusalem*.

---

(1) In multis Conventibus, quum Fratres in Chorum venerint, coram SS. Sacramento, laudabiliter recitari solet ante Officium Ant. *O sacrum*, cum ℣. et Oratione ejusdem SS. Sacramenti. Solet etiam Officio præmitti, tam in Choro quam in privato, Oratio *Aperi Domine*, etc...

Excipiuntur Festa Commemorationis Dominicæ Passionis, Quinque Vulnerum D. N. J. C. et Compassionis B. M. V. quæ in utrisque Vesperis habent Psalmos proprios.

181. In primis Vesperis Festi Duplicis, et infra, incipientibus ab Antiphona vel a Capitulo, dicuntur Psalmi Vesperarum Officii præcedentis, quod si terminetur in Nona, dicuntur Psalmi feriales, vel Octavæ si infra Octavam fuerit.

182. Super Psalmos, in utrisque Vesperis Nativitatis D. N. J. C. et infra ejus Octavam, necnon in Vesperis de Feria aut de Dominica, etiamsi usque ad Capitulum solummodo dicantur, extra Tempus Paschale, quinque Antiphonæ singulæ super singulos Psalmos dicuntur. Alias in Vesperis, tam Tempore Paschali quam extra, unica dicitur Antiphona super quinque Psalmos, in primis Vesperis de Sanctis (quando dicenda est) regulariter specialis, in secundis vero semper prima Laudum.

### §. II. De Capitulo, Responsorio, Hymno, Versiculo et Cantico.

183. *Capitulum* post Antiphonam unicam vel ultimam dicitur, nisi a Feria V. in Cœna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, in quibus diebus nullum dicitur Capitulum, neque Hymnus, neque Versiculus. Post Capitulum autem respondetur *Deo gratias*. Capitulum primarum Vesperarum dicitur etiam ad Laudes et Tertiam, et in secundis Vesperis, nisi speciale habeatur pro singulis Horis, ut in Officio de Tempore per annum, et in aliquibus aliis casibus.

184. *Responsorium* post Capitulum in primis Vesperis tantum dicendum est, videlicet : omnibus Sabbatis Adventus, Sabbato ante Dominicam I. post Octavam Epiphaniæ, necnon omnibus Sabbatis a Sabbato

ante Septuagesimam usque ad Dominicam Palmarum; item, Sabbato ante Dominicam I. post Octavam Trinitatis; similiter Sabbatis ante Dominicam I. Augusti, I. et III. Septembris, I. Octobris et Novembris, si tamen prædictis Sabbatis Vesperæ fiant a Capitulo de Dominica sequenti.

185. Item Responsorium dicendum est in primis Vesperis cujuslibet Festi Duplicis, dummodo illas habeat a Capitulo, et Festi Totius Duplicis; minime vero in secundis nec in primis Vesperis cujuslibet alterius Officii. Quando autem nomen Sancti interponitur in Responsorio vel in aliquo Versu, attendendum est ut dicatur integrum prout habetur in Collecta illius Sancti.

186. Responsorium hoc modo dicatur, sive in Vesperis sive in Matutinis: primo recitetur totum usque ad Versum, deinde dicatur Versus, et post eum pars resumenda, seu resumptio, repetatur ab asterisco * usque ad Versum exclusive; postea alius Versus (si adsit) recitetur, vel *Gloria Patri* (prout communiter in Vesperis et in ultimis ℟℟. Nocturnorum habetur); denique eadem resumptio quæ supra, vel ultima ejus pars, prout notatum est, usque ad Versum exclusive. Quando autem Responsorium resumendum fuerit, (V. n. 282.) totum repetitur a principio usque ad primum Versum exclusive. Tempore Passionis omittitur *Gloria Patri* in omnibus Responsoriis, et ejus loco, post resumptionem, reincipitur Responsorium prædicto modo.

187. *Hymnus* post Responsorium aut Capitulum dicitur regulariter. Advertendum est, si agatur de Sancto Confessore altera die ac ejus natali, quod in Hymno *Iste confessor* omitti debent tres ultimi Versus primæ strophæ et primus secundæ, et sic dicatur: *Iste confessor Domini sacratus, Sobrius,* etc... Advertendæ sunt pariter aliæ variationes vel divisiones

aliquorum Hymnorum in Breviario notatæ, sive in Proprio sive in Communi.

188. *Conclusio*, seu *doxologia*, dicitur propria in singulis Hymnis ejusdem metri in aliquibus diebus et temporibus anni, prout sequitur :

A primis Vesperis Nativitatis Domini usque ad Nonam Vigiliæ Epiphaniæ ejusdem inclusive ; et similiter a I. Vesperis SS. Corporis Christi et per totam Octavam (excepto *Verbum supernum*) dicitur ultima stropha Hymnorum *Gloria tibi, Domine, Qui natus es*, etc...

189. A I. Vesperis Epiphaniæ Domini usque ad Completorium diei Octavæ inclusive, et similiter in Festo Transfigurationis Domini dicitur ultima stropha: *Gloria tibi, Domine, Qui apparuisti*, etc... Excepto tamen infra dictam Octavam Festo Inventionis D. N. J. C., in cujus singulis Horis dicitur ultima stropha : *Jesu, tibi sit gloria, Qui te revelas*, etc...

190. A Vesperis Sabbati ante Dominicam in Albis usque ad Nonam Vigiliæ Ascensionis inclusive, dicuntur duæ ultimæ strophæ paschales: *Quæsumus, auctor*, etc... *Gloria tibi, Domine, Qui surrexisti*, etc... nisi occurrerit Festum aut Octava habens duas strophas proprias.

191. Similiter, a I. Vesperis Ascensionis Domini usque ad Nonam Vigiliæ Pentecostes inclusive dicuntur duæ ultimæ strophæ propriæ : *Tu esto nostrum... Gloria tibi, Domine, Qui scandis*, etc...

192. A I. Vesperis Pentecostes usque ad Nonam Sabbati sequentis inclusive (excepto Hymno *Veni, creator*) dicuntur duæ ultimæ strophæ : *Dudum sacrata... Sit laus Patri*, etc...

193. In Festo Commemorationis Dominicæ Passionis, Feria III. post Sexagesimam, dicitur ultima stropha : *Sit laus Patri ac Paraclito*, etc... in Hymnis Completorii et Horarum tantum.

194. In omnibus Festis B. Mariæ Virginis et per integras Octavas Solemnes eorumdem, etiam in Festis

Sanctorum infra eas occurrentibus et non habentibus stropham propriam (nisi intermittatur solemnitas Octavæ), et per Octavas Simplices ejusdem B. M. V., quando fit de Octava, et in Sabbatis, si contingat fieri Officium de B. Maria V., dicuntur duæ ultimæ strophæ : *Maria, mater gratiæ... Gloria tibi, Domine*, *Qui natus es*, etc... Excepto Festo *Expectationis Partus* ejusdem B. M. V., in cujus Hymnis ejusdem metri loco *Gloria tibi, Domine*, etc... dicitur *Laus, honor*, etc... ut in Hymnis Adventus; exceptis etiam Hymnis propriis Vesperarum, Matutini et Laudum in Solemnitate SS. Rosarii, in quibus omittuntur duæ strophæ communes, quarum loco dicitur doxologia propria : *Sit Trinitati*, etc. In Festo autem et per totam Octavam Annuntiationis, si transferatur post Pascha, ante duas strophas B. Mariæ Virginis dicitur prima stropha paschalis *Quæsumus, auctor*, etc...

195. In Vesperis autem Festorum prædictorum, Octavam Solemnem non habentium, et in Vesperis de Octava Simplici B. Mariæ Virginis, non dicuntur ultimæ strophæ propriæ, nisi sint saltem a Capitulo, et consequenter omittuntur etiam in Completorio sequenti; secus autem si fuerit Octava Solemnis.

196. In Festo aut in die Octava S. P. Francisci incidente infra Octavam SS. Rosarii, non omissa ultima stropha Hymnorum in primis Vesperis et Matutino, adduntur post illam duæ ultimæ strophæ B. Mariæ Virginis; in Laudibus vero, ante ultimam stropham propriam additur tantum *Maria mater*, etc... In secundis Vesperis Hymnus *Deus morum*, etc... non est ejusdem metri. (*Ex Brev. pass. et decl. authenticis.*)

197. Post Hymnum dicitur *Versiculus* diversus pro varietate temporum. Ferialibus diebus idem dicitur Versiculus ac in secundis Vesperis Dominicæ, exceptis diebus Sabbatis per annum in quibus dicitur ℣. *Vespertina oratio*, etc... In Festis autem et Octavis San-

ctorum dicitur Versiculus de Proprio, alioquin de Communi. Versiculus *Ora pro nobis*, etc... in omnibus Officiis Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri (exceptis BB. Dominico et Gregorio), necnon in Festis B. Joannæ de Aza, S. Augustini, S. Patris Francisci, (die 4 Octobris tantum), et in pluribus Festis B. Mariæ dicendus est.

198. Canticum *Magnificat* in quibuscumque Vesperis dicitur, et terminatur per *Gloria Patri*, etc... Antiphona super Canticum ante et post illud dicitur integra in omnibus Festis Totis Duplicibus, cæteris vero diebus semel tantum post ipsum.

199. Attendendum est autem quomodo se habet prædicta Antiphona in Breviario, videlicet : diebus Sabbatis et Dominicis (etiamsi resumatur Dominica infra hebdomadam) dicitur semper propria, hoc observato : quod in Sabbato præcedente Dominicam I. Augusti et deinceps in Sabbatis usque ad Adventum, dicatur Antiphona secundum ordinem Dominicæ sequentis in mense; Ferialibus diebus in Adventu, in Quadragesima, in Rogationibus quotidie dicitur propria; infra Septuagesimam et Tempore Paschali una sola Antiphona invenitur propria pro hebdomada; alias sumatur ex Psalterio. In Officio de Sanctis, ex Proprio sumenda est, alioquin ex Communi.

### §. III. De Oratione et ejus Conclusione.

200. Ante *Orationem*, quæ dicitur *Collecta*, præmittuntur Preces, de quibus n.° 323, si dicendæ fuerint; deinde *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus.* Si autem is qui loquitur non sit Sacerdos, aut Diaconus, loco *Dominus vobiscum*, dicat : *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat ;* et sic quotiescumque dicendum erit *Dominus vobiscum.*

201. Dominicis diebus, in utrisque Vesperis et Laudibus, in Tertia, Sexta et Nona dicitur Oratio propria diei. A Feria IV Cinerum usque ad Vesperas Feriæ IV. Hebdomadæ Sanctæ, dicitur singulis diebus Oratio propria in Laudibus et Horis, et altera propria in Vesperis. In Feriis et Sabbato IV. Temporum Adventus et Septembris, et Feriis II. et III. Rogationum Oratio propria dicitur in Laudibus tantum, in Horis autem et Vesperis dicitur Oratio Dominicæ præcedentis. In cæteris vero Feriis dicitur, quando fit de eis, Oratio Dominicæ præcedentis in Laudibus, Tertia, Sexta, Nona et Vesperis, nisi resumatur Officium alicujus Dominicæ quæ celebrari non potest post Octavam Epiphaniæ vel Trinitatis (V. n.is 44 et 45) in quo casu dicitur Oratio propria hujus Dominicæ in Laudibus et Vesperis tantum; in Tertia vero, Sexta et Nona dicitur Oratio Dominicæ præcedentis.

202. In Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Pentecostes Oratio propria dicitur in Laudibus, Tertia, Sexta, Nona et Vesperis. In cæteris autem Vigiliis Sanctorum Oratio Vigiliæ dicitur in Vesperis tantum. Hæc autem Oratio intermittitur, si Festum transferatur, et ejus loco dicitur in I. Vesperis Oratio ut in Laudibus diei.

203. In cæteris vero Officiis tam de Tempore quam de Sanctis cujuscumque ritus, dicitur eadem Oratio ex Proprio vel ex Communi in utrisque Vesperis, Laudibus et Horis prædictis. De Oratione autem in Prima et Completorio dicetur infra. (*Ex Brev. pass.*)

204. *Orationum Conclusio* duplex distinguitur: longior scilicet et brevior, utraque vero differt prout dirigitur ad Patrem vel ad Filium.

Si Oratio dirigatur ad Deum Patrem sine mentione Filii, Conclusio longior talis est: *Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.*

℟. *Amen*. Brevior autem talis est : *Per Christum Dominum nostrum*.

205. Si facta fuerit mentio Filii, sive in principio, sive in corpore Orationis, utraque Conclusio sic incipit : *Per eumdem*, etc... ut supra. Si autem dicta mentio Filii fiat in fine Orationis, conclusio longior, omissis prioribus verbis, incipit ad *Qui tecum vivit et regnat in unitate*, etc... ut supra; brevior vero sic habet : *Qui tecum vivit et regnat per omnia*, etc. Si tandem finis Orationis habeat pro complemento personam Filii, in utraque Conclusione omittitur vocula *Per*, et sic dicitur, v. g : *suscipere Dominum nostrum*, etc... ut supra, vel : *exorare Christum Dominum*, etc.

206. Si Oratio dirigatur ad Filium, Conclusio longior talis est : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*; brevior ita se habet : *Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*. (1).

207. In Orationibus quæ diriguntur sive ad Patrem sive ad Filium, si fiat mentio Spiritus Sancti, additur in Conclusione longiori tantum vox *ejusdem* ante nomen *Spiritus Sancti*. (2)

208. Ut autem dignoscatur an longiori vel breviori Conclusione utendum sit, Orationes variæ dis-

(1) Non invenitur in ritu nostro (excepta Oratione ante Communionem) conclusio : *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum*. Item non reperitur, neque in Officio, neque in Missa, conclusio Orationis ad S. Trinitatem de qua in Collectario.

(2) In Missali edito 1629 inveniuntur sequentes versus de modo terminandi Orationes :

Cum Patrem postulas : *Per Dominum* dicere debes.
Cum Christo supplicas, dicas : *Qui vivis et regnas*.
Si Christum præponas : *Per eumdem* dicere debes;
Sed si postponas : *Qui tecum vivit et regnat*.
Si Spiritum nominas : *In unitate ejusdem* dicas.
Cum nominas Matrem dicendo *Dei Genitricem*,
In fine concludas : *Qui tecum* vel *Per eumdem*.

tinguendæ sunt, videlicet : prima, intermedia, ultima et unica. Oratio prima, vel ultima, aut unica terminatur cum longiori Conclusione in singulis Horis Officii tam de Tempore quam de Sanctis. Orationes intermediæ, scilicet ad Memorias, tam in Vesperis quam in Laudibus, terminantur cum Conclusione breviori.

209. Quando plures Orationes ad invicem immediate subsequuntur absque interpositis Antiphonis, Versiculis, vel *Oremus*, prout in terminatione Horarum, vel post Litanias Sanctorum, ultima tantum habet Conclusionem quæ est brevior. De cæteris Orationibus extra Officium, vel Triduo ante Pascha, aut in Officio quotidiano B. M. V. et Defunctorum, reperientur infra Rubricæ speciales. (*Ex Collect.*)

### §. IV. De Terminatione Horarum, excepto Completorio.

210. Completa ultima Oratione, dicitur *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*; deinde *Benedicamus Domino*. ℟. *Deo gratias*. Et si non sequatur alia Hora, vel Missa conventualis, dicitur ℣. *Fidelium animæ*, etc... ℟. *Amen*; postea *Pater noster*, etc...

211. Si alia Hora vel Missa immediate sequitur, tunc ℣. *Fidelium* et *Pater noster* in fine Missæ, vel ultimæ Horæ, quando a Choro discedendum est, dicatur. Quando autem dicta ultima Hora sequitur Missa de *Requiem*, vel Vesperæ aut Vigiliæ Defunctorum, omittitur ℣. *Fidelium* de quo supra, et dicto *Requiescant in pace*. ℟. *Amen*, sequitur *Pater noster*.

212. Dicto igitur *Pater noster* ut supra, recitantur Antiphonæ *Salve, Regina... Pie Pater* cum Versiculis et Orationibus, prout habetur in extenso in Breviario vel Collectario. Ultimo dicitur *Pater noster*. (*Ibid.*) Subinde dici potest oratio *Sacrosanctæ*, deinde *Pater noster* et *Ave Maria* pro statu summi Ponti-

ficis. (*Collect.*) (1) Et hoc modo semper terminantur Horæ quoties Fratres recedunt a Choro, tam de die quam de nocte, excepto Completorio. Aliæ exceptiones notabuntur in Rubricis particularibus.

## §. V. De Completorio.

213. Completorium incipit absolute, præmisso *Jube domne benedicere*, per Benedictionem : *Noctem quietam*, etc... ℟. *Amen*. Sequitur Lectio brevis : *Fratres, sobrii estote*, etc... quæ terminatur per *Tu autem, Domine, miserere nostri*. ℟. *Deo gratias*. Deinde dicitur ℣. *Adjutorium nostrum*, etc... ℟. *Qui fecit cœlum et terram*; postea *Pater noster*, et *Confiteor*, hoc modo :

214. Qui primus dicit *Confiteor*, dicat : *Et vobis Fratres*, cæteri vero subjungant : *Misereatur tui* in singulari; et responso *Amen* ab illo qui incepit, dicant ipsi *Confiteor* cum clausula *Et tibi Pater*. Tunc ille qui primus dixit *Confiteor*, subjungat : *Misereatur vestri* in plurali, et ab aliis respondeatur : *Amen*. Et hoc modo semper dici debet *Confiteor* et *Misereatur*, tum ab eo qui præest (etiamsi unus solus fuerit assistens), tum ab eo aut ab iis qui respondere debent, tam in Choro quam in Missa conventuali vel privata.

215. Si vero aliquis solus recitat Officium, omisso *et vobis Fratres*, dicat : *precor Beatam Mariam semper Virginem, et Beatum Dominicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos orare pro me*. Deinde subjungat : *Misereatur mei* in prima persona et in numero singulari.

216. His præmissis, dicitur ℣. *Converte nos*, etc...

---

(1) An ad lucrandam indulgentiam vel fructus Orationis *Sacrosanctæ*, necessario flexis genibus hæc oratio sit dicenda; vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat? — S. Ind. C. ita rescripsit : « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. » (26 *Jul.* 1855.)

℣. *Et averte, etc...* deinde *Deus in adjutorium*, et cætera prout notatur supra n.° 178. Sequuntur regulariter quatuor Psalmi : Ps. 4. *Cum invocarem*, Ps. 30. *In te Domine*, Ps. 90. *Qui habitat*, et Ps. 133. *Ecce nunc*, super quos dicitur Antiphona *Miserere*, vel alia propria tempore Nativitatis et Epiphaniæ, toto Tempore Paschali, et in Festis B. Mariæ Virginis; postea dicitur Capitulum *Tu in nobis es*, in Officio tam de Tempore quam de Sanctis.

217. Responsorium *In manus* post Capitulum hoc modo regulariter dicitur : Bis dicitur ℟. usque ad Versum, deinde Versus; quo dicto, resumitur posterior pars seu resumptio Responsorii, ab asterisco * usque ad Versum; postea dicitur *Gloria Patri* absque *Sicut erat*, et tandem repetitur totum ℟. usque ad Versum exclusive : quod faciendum est etiam post resumptionem quando, tempore Passionis, omittitur *Gloria Patri*. Et sic regulariter dicuntur ℟℟. Horarum in Officio tam de Tempore quam de Sanctis.

218. Sabbato ante Dominicam I. Quadragesimæ et deinceps usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis exclusive, in omnibus Sabbatis et Dominicis diebus, necnon in Festis Duplicibus et supra et infra Octavas Solemnes, in utroque Completorio, loco ℟. *In manus* dicitur. ℟. *In pace* cum hac differentia quod semel dicitur Responsorium ante Versum. Et eodem modo dicenda sunt ℟℟. ad Tertiam, Sextam et Nonam, in Officio de Tempore tantum, sive Dominicis diebus infra Septuagesimam, sive quotidie a Dominica I. Quadragesimæ usque ad Feriam IV. Hebdomadæ sanctæ inclusive.

219. In Totis Duplicibus et per integras Octavas Solemnes et supra extra Septuagesimam, necnon quotidie a Nativitate Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive (excepto Festo SS. Innocentium extra Dominicam), et toto Tempore Paschali, ad omnes

Horas post Responsorium , quotiescumque integrum, dicitur, adduntur duo *Alleluia,* et eadem resumuntur post Versum.

220. Dicto Responsorio ut supra, sequitur Hymnus per annum *Te lucis ;* infra Quadragesimam *Christe qui lux es*...Tempore autem Paschali *Jesu nostra redemptio*... cum variis Conclusionibus seu ultimis strophis , ut supra. n.° 187 et seq. dictum est. Post Hymnum vero dicitur Versiculus *Custodi nos*... ℟. *Sub umbra,* etc...

221. Sequitur deinde Canticum *Nunc dimittis* cum Antiphona *Salva nos,* quæ dicitur quotidie per annum. Tempore autem Nativitatis et Epiphaniæ, infra Quadragesimam et Tempore Paschali , necnon in Festis de B. Maria Virgine et per integras Octavas Solemnes eorumdem dicitur ad *Nunc dimittis* Antiphona cuique tempori aut diei respective propria, quæ in Festis et Octavis B. Mariæ dicendà est quoties in Hymno dicuntur duæ ultimæ propriæ ejusdem B. Mariæ.

222. Deinde , si Preces dicendæ fuerint, dicantur eo modo quo infra ; quibus finitis, præmisso *Dominus vobiscum,* dicitur Oratio *Visita quæsumus,* nisi in Cœna Domini et deinceps usque ad Feriam III. Paschæ inclusive, ut infra dicetur ; postea *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias ;* et datur Benedictio nisi in die Cœnæ et Parasceve. Si Prælatus benedicit, dicat *super vos* , et si alius, dicat : *super nos.*

223. Terminatur Completorium per Antiphonam *Salve Regina,* quovis tempore, nisi in Cœna Domini et Parasceve, cum Versiculo *Dignare me*... ℟. *Da mihi,* etc... et Oratione *Concede nos,* etc... ℟. *Amen.* Poterit deinde addi Antiphona, Versiculus et Oratio de Sancto aliquo Ordinis nostri, vel alio secundum morem Provinciæ vel Conventus. Nulla vero alia Antiphona est addenda. (De Litaniis B. M. V. et ℟. *O spem miram* vid. infra Art. de Processionibus). Deinde dicitur. *Fidelium,* etc., etiamsi sequatur Matutinum, denique *Pater noster* et

*Credo in Deum.* Et sic regulariter finitur Completorium, nisi aliter notetur, addita etiam Oratione *Sacrosanctæ,* ut sup. *n.°* 212. De Litaniis Sanctorum et Disciplinis post Completorium vid. n.° 327 et seq. (*Ex Brev.*)

## ARTICULUS VIII.

## DE MATUTINIS.

### §. I. De Inceptione, Invitatorio et Hymno.

224. Dicto *Pater noster* et *Credo,* dicitur ℣. *Domine, labia mea aperies.* ℟. Et *os meum,* etc... deinde *Deus in adjutorium,* et cætera ut supra n.° 178.

225. Incœpto itaque Matutino, immediate dicatur *Invitatorium* cum Ps. *Venite exultemus* hoc modo : primo semel dicitur Invitatorium integrum, deinde primus Versus Psalmi, et iterum totum Invitatorium; postea secundus Versus Psalmi, et resumitur posterior pars Invitatorii ab asterisco * usque ad finem. Et sic deinceps dicuntur successive sequentes Versus Psalmi cum Versu *Gloria Patri... Sicut erat...,* et post quemlibet Versum dicitur alternatim Invitatorium integrum et resumptio illius. In fine repetitur totum Invitatorium, etiamsi omitteretur *Gloria Patri.*

226. Quando verba Invitatorii sunt eadem ac initium aut finis alicujus Versus prædicti Psalmi, hæc eadem verba omittuntur in Psalmo; exempli gratia : Dominicis diebus per annum, dicto ut supra Invitatorio *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro,* Versus Psalmi incipit : *Præoccupemus,* etc... Et sic in similibus casibus. (*Ex Brev. fol.* 1.)

227. Invitatorium sequitur *Hymnus,* specialis pro Matutinis, alioquin ut in Vesperis, prout habetur in Breviario, in Officio tam de Tempore quam de Sanctis. De quo vid. supra n.° 187 et seq. Et quando

Invitatorium et Hymnus omittenda erunt, vid. in Rubricis propriis.

### §. II. De Psalmis, Antiphonis et Versiculis Nocturnorum extra Tempus Paschale.

228. *In Officio novem Lectionum.* Dominicis diebus, in primo Nocturno recitantur duodecim Psalmi, prout in Breviario. Versus autem *Gloria Patri* non dicitur post singulos eorum, sed tantum post quemlibet quartum. Antiphona similiter post quemlibet quartum dicitur, nisi tempore Adventus et Passionis, quia tunc una sola Antiphona dicitur super omnes Psalmos cujuslibet Nocturni. In II et III Nocturno tres dicuntur Psalmi et totidem regulariter Antiphonæ, una post quemlibet Psalmum.

229. In cæteris Officiis novem Lectionum, scilicet, in Festis Simplicibus et supra, et in diebus Octavis Simplicibus et supra, tria similiter fiunt Nocturna, et in quolibet eorum dicuntur tres diversi Psalmi, singulos terminando per *Gloria Patri*, sive proprii, sive ex competenti Communi, cum totidem Antiphonis, una post quamlibet Psalmum.

230. Versiculus, tam diebus Dominicis quam in supradictis Officiis novem Lectionum, post unicam aut ultimam Antiphonam cujuslibet Nocturni dicitur diversus : in Dominicis quidem proprius pro tempore, in cæteris vero Officiis hujusmodi ex Proprio, vel ex Communi.

231. *In Officio trium Lectionum.* Ferialibus diebus, dicuntur duodecim Psalmi, in unico Nocturno, addendo, post quemlibet secundum Psalmum Versum *Gloria Patri*, etc... et unam Antiphonam ut in Psalterio. Post ultimam Antiphonam dicitur Versiculus proprius in singulis Feriis per annum ; in Adventu autem, infra Quadragesimam et tempore Passionis,

Versiculus assumitur ex Nocturnis Dominicæ præcedentis, secundum ordinem Feriarum.

232. Ordo autem Feriarum in hujusmodi casibus sic intelligi debet, scilicet : quod Dominica, Feriis II. et V., dicatur de I. Nocturno; Feriis III. et VI., de II. Nocturno; Feria IV. et Sabbato, de III. Nocturno. (*VII.* 1.)

233. Infra Octavas Simplices et supra, in Festis Votivis infra hebdomadam, et in Festis et Octavis Trium Lectionum dicuntur novem Psalmi, in unico Nocturno, quemlibet terminando per *Gloria Patri*, qui assumuntur ex Proprio, alioquin ex Communi; et super eos dicitur una Antiphona. Hæc autem Antiphona, infra Octavas pro prima die erit prima I. Nocturni, pro secunda die, secunda, et sic deinceps, nisi aliter notetur. Versiculus post Antiphonam dicendus, ex Nocturnis Festi principalis assumitur secundum ordinem Feriarum, ut supra 232, exceptis diebus Octavis Trium Lectionum, in quibus assumitur ex III. Nocturno. (*Ex Brev. pass.*)

### §. III. De Psalmis, Antiphonis et Versiculis Nocturnorum Tempore Paschali.

234. Durante toto Tempore Paschali, unum tantum Nocturnum dicitur in quolibet Officio tam de Tempore quam de Sanctis. Psalmi vero, Antiphonæ et Versiculus sic disponuntur:

In Festis de Tempore et eorum diebus Octavis tres tantum Psalmi et totidem Antiphonæ cum Versu in Proprio notati dicuntur; Dominicis vero et Ferialibus diebus tres similiter tantum Psalmi dicuntur, pro qualibet die specialiter notati, cum Antiphona unica pro Dominicis ex Proprio desumpta, pro Feriis ex Psalterio, quæ est *Alleluia.* Dicuntur autem Versus secundum ordinem Feriarum, ut supra 232.

235. In Officio quocumque de Sanctis tres tantum Psalmi dicuntur in Proprio specialiter notati, alioquin ex Communi, regulariter secundum ordinem Feriarum, ut supra. Item, quando non celebratur Festum vel dies Octava de Sancto vel de Beato Ordinis nostri, vel quando aliter in Proprio non est notatum, dicitur una sola Antiphona super Psalmos, prout habetur in Proprio vel in Communi hujus temporis, quæ, si de sanctis Mulieribus agatur, ea est quæ respective notatur pro Festis Trium Lectionum, cum *alleluia*. Versiculus pariter secundum ordinem Feriarum dicitur, nisi aliter in propriis locis notetur.

236. In Festis et in diebus Octavis Sanctorum vel Beatorum Ordinis nostri, tres Psalmi cum totidem Antiphonis et Versiculo ex Proprio desumuntur, alioquin semper ex I. Nocturno de Communi extra Tempus Paschale, addito *alleluia.*

237. Infra Octavas, si fuerint de Tempore, Psalmi, Antiphona et Versus dicuntur prout notatur in Proprio; si fuerint de Sanctis, très Psalmi et Versus dicuntur secundum ordinem Feriarum, Antiphona vero prout extra Tempus Paschale notatur. (*Ex Brev. pass.*)

## §. IV. De Benedictionibus.

238. Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur *Pater noster... ℣. Et ne nos... ℟. Sed libera nos,* etc...; deinde ante quamlibet Lectionem petitur Benedictio dicendo : *Jube, Domne, benedicere,* et immediate sequitur Benedictio hoc ordine.

239. Novem Benedictiones ante Lectiones matutinas dicendæ sunt eo ordine quo in Breviario positæ sunt, quandocumque novem dicuntur Lectiones. Et si fiat Officium de B. Maria Virgine, dicantur Benedictiones propriæ ejusdem. Cuilibet autem Benedictioni respondeatur : *Amen.*

**240.** Quando autem dicuntur tantum tres Lectiones, tunc etiam dicendæ sunt tantum tres Benedictiones, quæ invariabiliter secundum ordinem Feriarum ut supra dicuntur, nisi legatur Homilia. Quotiescumque enim legitur Homilia, toties dicendæ sunt Benedictiones III. Nocturni, scilicet : *Evangelica lectio*, etc...

**241.** Quandocumque legi debent Lectiones III. Nocturni, si non sequatur Homilia, dicatur : *Ille nos*, etc... vel si fuerit Officium de B. Maria : *Oret pro nobis*, etc... In Festo autem Nativitatis Domini, cum tres leguntur Homiliæ, loco VIII. et IX. Benedictionis communis dicuntur propriæ ibidem signatæ. Omittuntur Benedictiones Triduo ante Pascha et in quocumque Officio Defunctorum. (*Brev. pass.*)

### §. V. De Lectionibus in Officio de Tempore.

**242.** Titulus Libri ex quo depromptæ sunt Lectiones, legendus est sive in principio Lectionum de Scriptura sacra (nisi in I. Nocturno Nativitatis Domini), sive in principio Lectionum de Sermone, aut Evangelio, aut Homilia, prout in propriis locis notatur.

**243.** Lectiones quæ legi debent in Matutinis, quando fit de Tempore, pro qualibet die, sive Festiva, sive Dominica, sive Feriali, per totum annum, et pro singulis Nocturnis, in extensum positæ inveniuntur in Proprio Breviarii, et exacte secundum earum ordinem sunt recitandæ. Regulariter autem sic disponuntur :

**244.** *In I. Nocturno* Officii novem Lectionum, vel in Nocturno unico de Feria, tres Lectiones de sacra Scriptura, in Festis quidem speciales, cæteris vero diebus de Libro currente leguntur. A Dominica autem I. Augusti usque ad Adventum hæ Lectiones disponuntur secundum ordinem cujusque Dominicæ in mense, servatis sequentibus Rubricis in quolibet mense :

**245.** Si mensis Augustus habuerit quinque Domi-

nicas, in quinta hebdomada repetantur Lectiones hebdomadæ præcedentis, vel quæ superfuerint propter Festa habentia Lectiones proprias.

246. In mense Septembri, si fuerint tantum quatuor hebdomadæ, tunc Feria V. infra hebdomadam IV. dimittuntur reliquæ Lectiones hujus hebdomadæ, et assumuntur tres priores Lectiones hebdomadæ quintæ.

247. In mense Octobri, si fuerint tantum quatuor Dominicæ, omittuntur Lectiones quæ pro quinta hebdomada ponuntur.

248. In mense Novembri, si fuerint tantum quatuor Dominicæ, relinquuntur Lectiones quæ pro Dominica II. et infra ejus hebdomadam notatæ sunt, et leguntur successive quæ pro tribus hebdomadibus sequentibus positæ sunt. (*Ex Brev. in Prop. de Temp.*)

249. In Feriis et Sabbatis Quatuor temporum, in Rogationibus, in Vigiliis de Tempore et quotidie infra Quadragesimam (exceptis Feriis III. et IV. Hebdomadæ sanctæ) loco Lectionum de Scriptura currente, ut supra, dicuntur Lectiones de Evangelio et Homilia. Idem fit in Feriis destinatis ad legendam Homiliam Dominicæ, prout supra dictum est, vel in Vigiliis Sanctorum habentibus Homiliam.

250. Quandocumque autem Lectiones de Scriptura currente, vel ultima eorum impediuntur, sive propter Homiliam, ut mox dictum est, sive propter Lectiones proprias aut de Communi Sanctorum, tunc omittuntur illó anno.

251. Infra Octavas, excepta Dominica, duæ primæ Lectiones Nocturni communiter leguntur de Scriptura, tertia vero de die infra Octavam secundum ordinem numericum; vel etiam (ut infra Octavas Paschæ et Pentecostes) legitur quotidie de Evangelio et Homilia super illud, prout in Proprio. Hactenus de I. vel unico Nocturno in Officiis de tempore.

252. *In II. Nocturno*, diebus Festivis et Octavis de

Tempore, ordinarie Lectiones sunt de Sermone alicujus S. Doctoris; diebus vero Dominicis, extra Quadragesimam, regulariter recitantur de Epistolis Apostoli Pauli. Inveniuntur hujusmodi Lectiones, sicuti et sequentes de Homilia, secundum ordinem numericum Dominicarum post Octavam Epiphaniæ vel Trinitatis positæ in Proprio de Tempore.

253. *In III. Nocturno*, semper legitur Lectio de Evangelio cum Homilia super illud. Et si impedita fuerit Homilia Dominicæ, propter Festum majus occurrens, transferenda erit infra Hebdomadam, prout supra dictum est. Si autem in aliquam Feriam aut diem Oct. transferatur, legatur integra; si vero in aliquam diem infra Oct., vel in diem Oct. Temp. Pasch. duæ primæ Lectiones de Homilia, tertia vero de Octava recitatur.

254. *Tempore Paschali*, tres Lectiones communiter sic se habent: Diebus Dominicis et Festivis de tempore legitur de Evangelio et Homilia; Ferialibus autem diebus Vigiliis et Octavis, legitur prout supra notatum est extra Tempus Paschale. (*Ex Brev. pass.*)

### §. VI. De Lectionibus in Officiis Sanctorum.

255. *In I. Nocturno.* « In Festis novem Lectionum » et in diebus Octavis eorum (præterquam in Festo » Omnium Sanctorum, et eorum Octava die, et in Com» memoratione Omnium Fidelium Defunctorum), tres » Lectiones I. Nocturni erunt ex Sacra Scriptura, quæ » vel in propriis locis reperiuntur vel in currenti » Feria, prout supra n.° 244. Si vero Feria currens » omnes tres Lectiones in tali Festo dicendas non ha» buerit, pro tertia Lectione assumetur prima ex illis, » quæ in Communi illius Sancti de quo fit Officium, » ex Sacra Scriptura pro I. Nocturno notantur. Si au» tem Feria currens nullas Lectiones de Scriptura ha» buerit, (ut supra n. 249.) tunc in I. Nocturno Festi

» assumuntur tres Lectiones ex Communi pro primo
» Nocturno notatæ » (*X*. 5)

256. « In prædictis Festis novem Lectionum, sive
» infra Octavas, aut in die Octava eorum, quæ in Do-
» minicis celebrari possunt, si proprias Lectiones de
» Sacra Scriptura non habuerint, tres primæ erunt
» Apostoli Pauli, signatæ in Dominicis post Octavam
» Epiphaniæ pro primo Nocturno, et post Octavam
» Trinitatis pro secundo. Idem fiet si contingat Festum
» Patroni loci celebrari in aliqua Dominica Adventus,
» vel in Septuagesima, vel in aliis sequentibus. In
» Quadragesima vero legentur Lectiones notatæ pro
» primo Nocturno Dominicæ. » (*Ibid*. 6.)

257. In Festis autem Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri (exceptis BB. Dominici et Gregorii extra Tempus Paschale, et B. Margaritæ de Castello Tempore Paschali) tres Lectiones I. Nocturni, si non sint propriæ, leguntur de Communi, non autem de Feria, vel de Dominica.

258. In Octavis diebus, quando Lectiones non indicantur in Proprio, et desunt Lectiones de Scriptura in Feria currente, leguntur tres Lectiones ut in Festo principali, non autem ex Communi; si vero una tantum desit Lectio de Scriptura in Feria currente, tunc pro tertia Lectione I. Nocturni assumitur I. Lectio Festi.

259. *In II. Nocturno* tres Lectiones sunt propriæ regulariter, sive de Festo, sive de die Octava, aut de Dominica infra Octavam solemnem agatur. Si vero aliquæ desunt in Proprio, sumantur ex Communi primo loco, incipiendo a IV. quæ est prima ejusdem Nocturni. In Festo autem BB. Dominici et Gregorii leguntur extra tempus Paschale Lectiones IV. et V. de Communi plurimorum Martyrum.

260. In Festis extraordinariis Sanctorum, sumuntur Lectiones, si desint in nostro Breviario, ex Proprio

Loci, dummodo fuerint approbatæ a S. Sede, (vi concess. spec. Bened. P. XIII.), alioquin ex Communi nostri Breviarii primo loco. « Quando autem fit Festum de » Sancto principali et non de sociis, separentur in » Matutino Lectiones, si commode fieri potest, et di» centur in Festo Sancti principalis, quæ ejus vitam » et acta referunt, relictis pro sociis aliis Lectioni» bus quarum numerus debet ex Communi compleri. » Si vero Historia vitæ separabilis non sit, legantur » omnes Lectiones in Festo principali, et pro Sociis » sumentur ex Communi. Idemque de Oratione, si » Sanctorum nomina possunt separari. » (*XXX*. 5)

261. *In III. Nocturno* tres Lectiones leguntur communiter de Evangelio diei et Homilia. In Octava autem die SS. Rosarii, in Festo Omnium Sanctorum, et ejus Octava, necnon in die Animarum non legitur Homilia, sed de Sermone ut in Proprio.

262. In diebus Octavis Simplicibus, si occurrerint in Dominica vel infra Quadragesimam, vel in Vigilia, vel in Rogationibus, vel in Quatuor Temporibus, loco Homiliæ Octavæ (nisi fuerit propria) legitur Homilia Dominicæ, vel Feriæ ut supra, vel Vigiliæ; et similiter legitur Homilia Dominicæ in die Octava Simplici, quoties in eam fuerit translata. Item, legitur semper Homilia Dominicæ currentis, diebus Dominicis infra Octavas Solemnes de Sanctis, quando fit Officium de Octava.

263. In diebus Octavis Solemnibus, si infra Quadragesimam occurrerint, legitur Homilia Feriæ; et, si fuerint destinatæ ad legendam Homiliam Dominicæ præcedentis, hæc Homilia pariter in eis legitur. Minime vero his diebus legendæ sunt Homiliæ Vigiliarum, Rogationum vel Quatuor Temporum.

264. *In Nocturno unico* Officii trium Lectionum, videlicet infra Octavas de Sanctis (extra Dominicam), duæ primæ Lectiones erunt regulariter de Scriptura cur-

rente, vel in casibus expressis n.° 262, de Homilia Feriæ, vel Vigiliæ, vel Dominicæ; tertia vero Lectio erit de die prima, vel secunda, etc., infra Octavam secundum occurrentiam. In diebus Octavis Trium Lectionum, Lectiones notantur per asteriscum. *

265. In Festis Votivis infra hebdomadam, duæ primæ Lectiones de Scriptura currente, tertia vero propria pro quolibet mense leguntur. Item in Festis Trium Lectionum duæ primæ de Scriptura, altera vero propria de Sancto vel Communi habentur.

266. *Tempore Paschali.* In Festis Sanctorum, prima Lectio erit de Scriptura, vel propria, vel de Communi, alioquin de Feria currente : secunda vero et tertia erunt de sancto prout jacent. Si autem fuerint tres Lectiones propriæ de vita Sancti (prout evenit quando agitur de Sanctis qui habent suum Officium etiam extra Tempus Paschale) tunc assumuntur regulariter prima et tertia signatæ per asteriscum, * vel omnes tres in duas per asteriscum divisæ, sicuti in propriis locis notatum est.

267. In diebus Octavis et infra Octavas duæ primæ Lectiones assumuntur de Scriptura currente, tertia vero de Octava. De Homiliis legendis his diebus serventur eædem Rubricæ ac extra Tempus Paschale. Idem dicendum de Festis Votivis et Trium Lectionum.

268. Et si contingat Lectiones de Scriptura currente deesse, prout evenit in singulis Dominicis hujus temporis et in Feriis II. et IV. Rogationum; tunc, tam pro Festis, quam pro Octavis, eadem servetur regula ac extra Tempus Paschale.

269. Per hanc clausulam : *Tu autem Domine miserere nostri*, terminantur semper Lectiones, nisi in triduo ante Pascha et in die Animarum : et nisi, ubi loco *Tu autem* erit, signatum ut dicatur : *Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini ad me, et salvi eritis.* In quolibet casu, post

hujusmodi clausulas, respondetur : *Deo gratias.* (*Ex Brev. pass.*)

### §. VII. De Responsoriis.

270. Post quamlibet Lectionem in Matutinis dicitur unum Responsorium, cum suo Versu, hoc ordine :

*In Festis de Tempore* novem ℟℟., tempore vero Paschali tria ℟℟. notantur in Proprio. Infra Octavas eorumdem Festorum sumuntur ex Nocturnis Festi secundum ordinem Feriarum; tempore vero Paschali, alia propria ℟℟. in duobus vel tribus primis diebus infra Octavam reperiuntur, quæ in Feriis subsequentibus per ordinem repetuntur. In die Octava, et in Dominica infra eam, ℟℟. dicuntur ut in Festo quovis tempore. In Vigiliis vero prout notatur in propriis locis.

271. *Dominicis diebus* per Adventum et a Septuagesima usque ad Pascha novem ℟℟., seu Historia Dominicalis, dicuntur in singulis Dominicis propria. Ferialibus autem diebus, dicto tempore, (exceptis Feriis IV. Temporum Adventus in quibus singulis habentur ℟℟. propria, et si ℟℟. Feriæ IV. non fuerint lecta hac die, dicuntur in Feria V. sequenti) dicuntur ℟℟. Dominicæ præcedentis secundum ordinem Feriarum, saltem regulariter. (V. n.° 232).

272. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam exclusive in singulis Dominicis dicitur Historia *Domine, ne in ira;* — Ab Octava Trinitatis usque ad Dominicam I. Augusti similiter dicitur Historia *Deus omnium ;* — In singulis Dominicis mensis Augusti Historia *In principio ;* — Duabus primis Dominicis Septembris Historia *Si bona ;* cæteris Dominicis ejusdem mensis Historia *Peto Domine ;* — Dominicis Octobris Historia *Adaperiat*; — Mense vero Novembri Historia *Vidi Dominum.*

273. Observandum est quod dicto semel ultimo Re-

sponsorio in prædictis Historiis, loco illius dicitur in sequentibus Dominicis IX. Responsorium *Honor*, quod est sextum in ordine in Matutinis SS. Trinitatis.

274. *Ferialibus diebus*, toto prædicto tempore per annum, dicuntur tria ℟℟. signata pro singulis Feriis infra hebdomadam post Dominicam I. post Octavam Epiphaniæ vel Trinitatis, nisi in illas transferatur Historia Dominicalis.

275. « Si Dominicæ, in quibus dicenda fuerit Histo-
» ria, omnes impeditæ sint Festis Duplicibus et supra,
» Historia semel dividetur per Ferias secundum ordi-
» nem Feriarum : qui si servari non possit propter oc-
» curentiam Festorum (prout jam nunc semper accidit)
» in Feria primo loco vacante, quæcumque illa sit, tria
» prima; in secundo loco vacante, tria media; et in alia
» tertio loco vacante, tria ultima Responsoria dican-
» tur. » (*VII.* 2) Et si non inveniuntur sufficientes Feriæ vacantes, illo anno omittuntur Responsoria hujus Historiæ incipiendo ab ultimis.

276. *Tempore Paschali* a Feria II. infra Hebdomadam Dominicæ in Octava Paschæ usque ad Dominicam III. post Octavam Paschæ dicitur Historia *Dignus est;* a dicta autem Dominica usque ad Ascensionem exclusive Historia *Si oblitus*, quarum ℟℟. dividuntur infra Hebdomadam secundum ordinem Feriarum ut supra, cum hoc tamen addito :

277. « Quod si a prima hebdomada post Octavam
» Paschæ usque ad III. Dominicam exclusive, propter
» concurrentiam Festorum, duæ tantum sint Feriæ
» vacantes in prima vel secunda hebdomada, et in
» sequenti solum secunda Dominica sit vacans, tunc ut
» tota Historia recitetur debent legi tria Responsoria in
» prima Feria vacante; tria media in secunda Feria
» vacante; et tria ultima in tali Dominica. » (*Ibid.* 3)

278. « Similiter, si in prima vel secunda hebdomada
» sit solum una Feria vacans, et Dominica secunda

» non sit impedita, ac sit in hebdomada sequenti solum » una Feria vacans, legantur tunc in prima Feria tria » prima Responsoria, in Dominica tria media, et in se» quenti Feria vacante tria ultima. Quod proportionali» ter observandum est pro Historia *Si oblitus.* » (*Ibid.*)

279. *In Festis Sanctorum* necnon in diebus Octavis eorumdem et Dominicis infra eas, extra Tempus Paschale, dicuntur novem ℟℟. prout in Proprio notatur, alioquin ex Communi. Idem fit pro tribus ℟℟. Nocturni, Tempore Paschali, his tamen observatis : 1.° Quod si fuerint de Communi, assumantur de Communi illius temporis; 2.° quod si agatur de Sanctis Virginibus non Martyribus dicantur semper de III. Nocturno de Communi extra Tempus Paschale, addito *alleluia;* 3.° Quod si agatur de aliis sanctis Mulieribus dicantur similiter ex communi ordinario secundum ordinem Feriarum.

280. Infra Octavas Sanctorum, extra tempus Paschale, tria Responsoria sumuntur ex Nocturnis Festi secundum ordinem Feriarum ; Tempore vero Paschali prout in Festo, nisi aliter notetur.Diebus Octavis Trium Lectionum, sumuntur ex tertio Nocturno Festi. In Festis autem Votivis infra hebdomadam dicuntur tria ℟℟. propria, vel ex III. Nocturno sive Festi sive de Communi, prout notatur in propriis locis. In Festo Trium Lectionum tria Responsoria dicantur secundum ordinem Feriarum, de suo Communi, exceptis, ut supra, Festis SS. Virginum non Martyrum.

281. De modo dicendi ℟℟. vide supra n.° 186. — In Matutinis Versus *Gloria Patri* dicitur post quodlibet tertium Responsorium, eodem modo ac in Responsorio Vesperarum, nisi tempore Passionis.

282. Resumitur Nonum Responsorium in Dominicis diebus per totum Adventum; item in Dominicis diebus et in Festis ac diebus Octavis Simplicibus a Septuagesima usque ad Pascha ; item in Festo SS. Innocentium extra Dominicam. Tertium autem Responsorium re-

sumitur a Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum, infra Octavas Simplices, necnon in Festis Votivis infra hebdomadam. Item tempore Passionis quoties in ℟℟. omittitur *Gloria Patri*, quod alias diceretur. Alia ℟℟. resumuntur; de quibus in propriis Rubricis. (*Ex Brev. pass.*)

## §. VIII. De Hymno *Te Deum*.

283. Dicitur *Te Deum* quovis tempore in Festis Duplicibus et supra et in diebus Octavis Solemnibus et supra, et infra dictas Octavas, sive fiat Officium de Tempore, sive fiat de Sanctis.

284. Item dicitur *Te Deum*, extra Septuagesimam, in Festis Simplicibus (excepto festo SS. Innocentium si venerit extra Dominicam) necnon in diebus Octavis Simplicibus et infra dictas Octavas, et in Festis Votivis infra hebdomadam. Dicitur etiam in diebus Octavis Trium Lectionum (etiam SS. Innocentium) et in Vigilia Epiphaniæ.

285. Dicitur pariter *Te Deum* singulis Dominicis diebus, exceptis Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum inclusive.

286. In cæteris vero Officiis, videlicet: in Festis Trium Lectionum, in Feriis et Vigiliis quibuscumque numquam dicitur *Te Deum*. In Officio quotidiano B. Mariæ Virginis dicitur vel omittitur prout in Officio diei. — (*Ex Brev. passim.*)

# ARTICULUS IX.

## DE LAUDIBUS, PRETIOSA ET CÆTERIS HORIS.

### §. I. De Laudibus.

**287.** In incœptione Laudum, præmittitur Versiculus, in Officio de Tempore pro variis anni temporibus diversus, prout notatur in Breviario, vel Collectario; in Officio vero de Sanctis ex Proprio, alioquin ex Communi sumendus. Deinde immediate dicitur ℣. *Deus in adjutorium...*, et cætera ut supra n. 178.

**288.** In omnibus Festis et Octavis, sive de Tempore, sive de Sanctis, necnon in Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini, et in omnibus Dominicis extra Septuagesimam, et quotidie Tempore Paschali dicuntur in Laudibus Psalmi *Dominus regnavit*, etc., terminando singulos cum *Gloria Patri*; exceptis Ps. *Deus, Deus meus*, Cantico *Benedicite* (quod habet Doxologiam propriam), et Ps. *Laudate Dominum de cœlis* cum Ps. *Cantate Domino*.

In Dominicis à Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum inclusive, et in Feriis et Vigiliis extra Tempus Paschale, dicuntur Psalmi *Miserere* cum cæteris, prout notatur suo loco in Breviario.

**289.** Quinque Antiphonæ super Psalmos dicuntur singulæ post quodlibet *Gloria Patri*, et post Canticum, in diebus Dominicis per Adventum et infra Septuagesimam, prout in Proprio de Tempore. Item, Ferialibus diebus extra Tempus Paschale quinque Antiphonæ communes dicuntur, ut in Psalterio; in sex Feriis præcedentibus Festum Nativitatis Domini, necnon infra Hebdomadam sanctam, ut in Proprio. Item, dicuntur quinque Antiphonæ propriæ vel de Communi in omnibus Festis Simplicibus et supra, et diebus Octavis Simplicibus et supra, quovis tempore.

**290.** Una tantum Antiphona dicitur in Laudibus diebus Dominicis per annum et Tempore Paschali, et in

Feriis et Vigiliis quibuscumque Tempore Paschali. Item, quovis tempore, infra Octavas quascumque, necnon in Festis Votivis per hebdomadam, et Trium Lectionum, dicitur una sola Antiphona : quæ est prima Laudum de Festo, si fiat de Octava, alias de Proprio aut de Communi.

291. De Capitulo, Hymno. Versiculo, Cantico *Benedictus* et Antiphona super illud, necnon de Oratione, quæ successive dicuntur, eædem serventur Rubricæ ac in Vesperis n<sup>is</sup> 183, 187. et seq. Deinde fiunt Memoriæ, si quæ sint, et post ultimam Orationem dicitur *Dominus vobiscum... Benedicamus Domino*, etc. Si tunc terminetur Officium, vel discedendum sit a Choro, subjungatur ℣. *Fidelium*, *Pater noster*, et cætera ut in terminatione Vesperarum : alioquin hæc dicuntur post *Pretiosa*. (V. n. 212.) (*Ex Brev. pass.*)

## §. II. De *Pretiosa*.

292. Post *Benedicamus* Laudum, (vel post terminationem earum si tunc tenendum sit Capitulum), vel similiter post Primam, si Laudes ante mediam noctem absolvantur, quotidie legitur Martyrologium in Conventu. Pronuntiatis Calendis, vel Nonis, vel Idibus sequentis diei, et quantitate Lunæ, (hæc autem indicatur quotannis per litteram correspondentem in tabella cujusvis diei notatam) incipit Lectio Martyrologii.

293. Si aliquod Festum mobile occurrat, quæ de ipso notata sunt in principio Martyrologii primo loco legantur. « Festa vero perpetuo in aliam diem translata, sunt prænuncianda in Martyrologio eo ipso die, quo celebrantur. » (*S. R. C.* 2 *Sept.* 1741. *ad* 9.) Finita Lectione, dicitur clausula : *Et alibi*, etc. ℟. *Deo gratias*.

294. In anno Bissextili, die 23 Februarii, omittitur

Vigilia S. Matthiæ Apostoli, quia transfertur in sequentem diem. Bis pronunciatur *Sexto Calendas Martii* et eadem Luna, scilicet die 24, et 25 ; 24 autem die hoc modo : *Sexto Calendas Martii. Vigilia S. Matthiæ. Item Commemoratio plurimorum*, etc. Elogium vero B. Villanæ de qua semper celebratur die 28, id est in anno Bissextili *Tertio Calendas Martii*, pro hac die legetur in principio Lectionis, et sequenti die omittetur. (*Decl. auth.*)

295. Lecto Martyrologio, (vel dicto *Benedicamus* extra Chorum) dicitur ℣. *Pretiosa est*, etc. ℟. *Mors Sanctorum ejus ;* et cætera prout in Breviario. Dicta Oratione *Dirigere*, absque *Oremus*, petitur Benedictio per *Jube Domne ;* et si legendum sit de Evangelio dicitur Benedictio *Divinum auxilium ;* si vero Lectio sit de Constitutionibus datur Benedictio *Regularibus disciplinis*, etc., et semper respondetur : *Amen.*

296. De Evangelio legendum est in Dominicis diebus, et in Festis Simplicibus et supra ; item in diebus Octavis Simplicibus et supra, et infra Octavas Solemnes et supra. His autem diebus Octavis vel infra Octavas, si non sit Evangelium proprium legitur ut in Festo ; si vero lectum fuerit in Matutinis, dictis diebus, Evangelium Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ, istud legi debet in *Pretiosa.* Item, de Evangelio legitur in Vigiliis Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, Feriis IV. Cinerum, et V. in Cœna Domini, et in die Animarum. Cum de Evangelio legitur, simpliciter pro titulo dicatur : *Secundum Mattheum*, vel *Lucam*, etc... Fratres qui extra Chorum sunt, si Evangelium in promptu non habeant, dicant : *Secundum Joannem. In principio*, etc.

297. Infra Octavas Simplices, in diebus Octavis Trium Lectionum, et Vigilia Epiphaniæ (nisi fuerit Dominica), necnon cæteris diebus supra non notatis, etiamsi in ipsis fuerit lectum Evangelium in Matutinis, legitur de Constitutionibus, præmisso titulo :

*Incipit Prologus Constitutionum Fratrum S. Ordinis Præd.*; vel : *Sequitur in Prologo Constitutionum;* vel : *Incipit Prima Distinctio Constitutionum, De Officio Ecclesiæ, primum Capitulum;* vel : *Sequitur in Constitutionibus, Distinctione prima, de Officio Ecclesiæ primo Capitulo*, si jam cœptũm fuit legi Capitulum ; et sic in aliis.

298. Terminata Lectione de Evangelio vel de Constitutionibus, per *Tu autem*, etc. ℟. *Deo gratias*, dicitur; *Commemoratio Fratrum*, etc. deinde : *Requiescant in pace*. Si vero illo die mensis qui pronuntiatus est in Martyrologio , aliquis Magister Ordinis obierit, vel Anniversarium fuerit, illico post *Deo gratias* dicitur : *Obitus Venerabilis Fratris N. Magistri Ordinis;* vel : *Anniversarium*, etc., vel utrumque si simul inciderint, et semper addatur : *Commemoratio*, ut supra.

299. Si tenendum sit Capitulum, sive solemne sive de culpis, tunc quæ in eo servanda sunt expleantur prout in Art. de Capitulis dicitur. Si vero non sit tenendum Capitulum , neque sermo habendus sit , tunc immediate dicitur Ps. *Laudate Dominum omnes gentes,* etc., ℣. *Ostende,* etc., Oratio *Actiones,* et postea ℣. *Adjutorium*. Cætera ut supra n.° 211..

300. Si recitatus fuerit obitus alicujus Magistri Generalis, vel Anniversarium, ut supra n.° 298, tunc dicto *Fidelium* in Choro, vel *Adjutorium* in Capitulo, dicatur Ps. *De profundis* cum ℣. *Requiem* in fine ; deinde ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue Domine animas eorum. Dominus vobiscum:.. Oremus. Deus qui inter Apostolicos,* vel *Deus indulgentiarum,* vel utraque Oratio sub uno *Per Christum* si simul evenerint. Et si plures fuerint obitus, Oratio *Deus qui inter* dicatur in plurali. Responsoque *Amen,* dicatur : *Requiescant in pace*. Cætera ut supra n.° 211. — (*Ex Brev. Collect. et Martyr.*)

## §. III. De Prima.

301. Ad Primam, dictis *Pater* et *Credo*, incipiatur *Deus in adjutorium*, ut in incœptione Vesperarum; deinde dicatur Hymnus *Jam lucis orto sidere*, etc., Ps. 53. *Deus in nomine*, Ps. 118. *Beati immaculati*, *Retribue*, et Antiphona super eos. Hæc autem Antiphona Dominicis diebus per Adventum est prima Laudum, a Septuagesima usque ad Pascha est propria, cæteris Dominicis de Psalterio. Ferialibus diebus dicitur Antiphona communis, pro varietate temporum, ut in Psalterio. In Festis autem et Octavis, tam de Tempore quam de Sanctis, semper est prima Laudum, sive de Proprio, sive de Communi.

302. Diebus autem Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum inclusive, dicuntur novem Psalmi, prout notatur in Breviario, et in fine cujuslibet secundi tantum, et post Ps. *Retribue* dicitur *Gloria Patri*.

303. Præterea, singulis diebus Dominicis, in quibus non fit de Festo Toto Duplici, necnon in Festo SS. Trinitatis, post Psalmos ut supra, dicitur Symbolum *Quicumque*, terminando illud per *Gloria Patri*.

304. Capitulum *Regi sæculorum*... dicitur in diebus Dominicis et in Festis et Octavis quibuscumque. Ferialibus autem diebus et in Vigiliis, præterquam Nativitatis et Epiphaniæ Domini, dicitur Capitulum *Pacem*, etc.

305. Responsorium *Jesu Christe* eodem modo dicitur ac supra ℟. *In manus* n.° 217., cum Versu communi *Qui sedes*, vel alio proprio, ut sequitur:

— Per Adventum. ℣. *Qui venturus es in mundum*. Idem ℣. dicitur in Festo Expectationis Partus B. M. V.

— A Nativitate Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive. ℣. *Qui natus es de Virgine Maria*. Idem ℣. di-

citur in Festis SS. Nominis Jesu, necnon SS. Corporis Christi, et per totam Octavam ejusdem. Item in omnibus Festis de B. Maria Virgine (exceptis Festis Expectationis et Compassionis ejusdem), et per Octavas Solemnes eorumdem Festorum, et alias quandocumque fit Officium de B. Virgine.

— In Festo et per totam Octavam Epiphaniæ, dicitur ℣. *Qui apparuisti hodie.* Item in Festo Transfigurationis Domini.

— Tempore Paschali. ℣. *Qui surrexisti a mortuis.*

— Tempore Ascensionis. ℣. *Qui scandis supra sidera.*

306. In aliquibus aliis Festis, videlicet : In Festo Inventionis S. Pueri Jesu : *Qui inventus est in templo.*

— In solemni Commemoratione Passionis D. N. J. C. ℣. *Qui pro nobis pati dignatus es.*

— In Festo SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. ℣. *Qui vulneratus es pro nobis.*

— In Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. ℣. *Qui tuo nos Sanguine redemisti.*

— In Compassione B. M. V. ℣. *Qui passus es coram Virgine Maria.*

— In Festo SS. Cordis Jesu. ℣. *Per quem salvati, et liberati sumus.*

307. Infra Octavas Solemnes dicitur ℣. proprius Festi, etiam in Festis Sanctorum infra eas occurrentibus, minime vero in Dominicis Adventus et a Septuagesima usque ad Pascha infra dictas Octavas incidentibus, si fiat de Dominica, quia tunc intermittitur solemnitas Octavæ et dicitur Versus de Tempore. Infra Octavas Simplices non dicitur Versus proprius Festi nisi quando de Octava agitur.

308. Versus autem qui dicitur ratione alicujus Octavæ, per Adventum et Tempus Paschale, antefertur illi qui dicitur ratione temporis ; et Versus proprius alicujus Festi præponitur Versui de Octava infra quam celebratur.

309. Totum ℟. *Jesu Christe* omittitur quando fit de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum in Octava Paschæ inclusive.

310. Dicto ut supra ℟., subsequitur ℣. *Exurge*, etc., deinde Preces, si dicendæ fuerint, *Confiteor*, et Oratio. Quoties præcesserit Capitulum *Regi*, etc., dicitur Oratio. *In hac hora*.., nisi in die Paschæ et duobus diebus sequentibus. Si vero dictum fuerit Capitulum *Pacem*, sequitur Oratio. *Domine Deus omnipotens*. Cætera vid. n.° 210 et seq. (*Ex Brev. passim*.)

## §. IV. De Tertia, Sexta et Nona.

311. In his Horis, præmissa incœptione ut in Vesperis n.° 178, dicitur Hymnus cuilibet Horæ respective competens, cum conclusione communi vel propria pro tempore. Deinde dicuntur tres Psalmi ex Ps. 118, cum *Gloria Patri* in fine singulorum, sub una ex Antiphonis Laudum, scilicet : Ad Tertiam secunda, ad Sextam tertia, ad Nonam quinta, quarta prætermissa, nisi habeantur Antiphonæ speciales, prout supra n.° 301 ad Primam notatur.

312. Postea dicitur Capitulum, quod ad Tertiam idem esse solet ac Capitulum Vesperarum et Laudum. Tempore Adventus, Passionis et Paschali, Capitula Horarum tam Dominicis quam Ferialibus diebus eadem dicuntur, propria pro tempore. In Quadragesima vero, alia pro Dominicis, alia pro Ferialibus diebus (incipiendo a Feria IV. Cinerum) propria notantur; et similiter per annum Capitula Dominicarum in singulis prædictis Horis, a Feriarum Capitulis diversa habentur. In Festis autem assumuntur ex Proprio, alioquin ex Communi; et per Octavas, ut in Festo.

313. ℟℟. Horarum eodem modo dicuntur ac ℟. *In manus*, de quo n.° 217. et seq., pro qualitate et ritu diei. Per Adventum, et a Dominica I. Quadragesimæ

usque ad Feriam V. in Cœna Domini, et a Dominica in Octava Paschæ usque ad Ascensionem exclusive, ℟℟. Dominicarum propria pro tempore repetuntur infra hebdomadam in Horis. Dominicis autem in Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima, et quotidie infra Quadragesimam, ℟℟. Horarum dicuntur prout supra n.° 218. In reliquis vero Dominicis ℟℟. Horarum dicantur ut in Dominica I. post Octavam Epiphaniæ; et similiter cæteris Feriis ut in Feria II. post eamdem Dominicam. In Festis et Octavis, tam de Tempore quam de Sanctis, sumuntur ex Proprio, alioquin ex Communi.

314. Dicto ut supra Responsorio, sequitur Versiculus, qui in Tertia et Sexta, maxime quando de Sanctis agitur, idem esse solet ac ℟. Horæ sequentis; in Nona vero idem ac Versiculus qui post Hymnum in Laudibus dicitur, nisi aliter notetur.

315. Si Preces dicendæ sint, tunc dicatur *Kyrie eleison*, etc. *Pater noster.* ℣. *Et ne nos*, etc.; alioquin præmissis tantum *Dominus vobiscum*... et *Oremus* dicatur Oratio conveniens de qua supra n.° 200 et seq.; et dicto iterum *Dominus vobiscum*... et *Benedicamus*..., absolvuntur Horæ prout supra n.° 210. (*Ex Brev. pass.*)

## ARTICULUS X.

## DE OFFICIO QUOTIDIANO B. MARIÆ V., PRECIBUS, LITANIIS, DISCIPLINIS, PSALMIS GRADUALIBUS ET POENITENTIALIBUS.

### §. I. De Officio quotidiano B. M. Virginis.

316. Officium quotidianum B. Mariæ dicitur (ex obligatione etiam extra Chorum) quando fit de quacumque Feria, exceptis Vesperis et Completorio Feriæ IV. Hebdomadæ sanctæ, et Triduo ante Pascha;

item quando fit de Vigilia, exceptis Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini; item quando fit de aliquo Festo Votivo infra hebdomadam, excepto Sabbato in quo fit de B. Maria V., tunc enim dicuntur Psalmi Graduales, prout infra; item quando fit de Festo Trium Lectionum; item quando fit de Octava Simplici, exceptis Octavis Epiphaniæ et B. Mariæ V.; item quando fit de Festo Simplici extra Octavas Solemnes et supra

317. Istud autem Officium intermittitur Dominicis diebus, a Matutinis tantum usque ad Completorium diei inclusive; item infra Octavas Solemnes et supra, etiamsi fiat Officium de Festo aut de die Octava Simplici; item in diebus Octavis earumdem, et in diebus Octavis Trium Lectionum. Si vero intermittatur solemnitas Octavæ, quando scilicet occurrit infra eam aliqua Dominica Adventus, aut a Septuagesima usque ad Pascha, vel Feria IV. Cinerum: tunc in Vesperis et Completorio Sabbati præcedentis dictas Dominicas, si fiat de eo, dicitur Officium B. Mariæ; et similiter in dicta Feria, a Matutinis usque ad Nonam inclusive. Item in Festis Duplicibus et supra omittitur Officium B. Mariæ V. (*Ex Brev.*) Si qui tamen in supradictis diebus illud dicere ex devotione voluerint, per se submisse illud dicant (*Ord.*)

318. Istud Officium proprio ritu dicitur, cum aliquibus variationibus pro tempore. Quod consistit in Vesperis et Completorio, Matutinis, Laudibus et Horis, cum suis Psalmis, Hymnis, Antiphonis propriis ad instar Officii principalis.

319. In principio omnium Horarum dicitur ℣. *Ave Maria*, etc., et cætera prout in inchoatione Horarum diei respective. Item finiuntur omnes et singulæ Horæ (absque *Fidelium*) cum prædicto Versiculo, nisi sequatur immediate alia Hora ejusdem Officii: tunc enim sufficit ut dicatur semel ℣. *Ave Maria* pro inceptione Horæ sequentis, et in fine ultimæ Horæ.

Et si Completorium dicatur conjunctim post Completorium diei, omisso ℣. *Ave Maria*, statim post *Benedicamus* inchoatur *Salve Regina* pro terminando Officio principali.

320. In Vesperis dicuntur Psalmi de B. Maria, Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum *Magnificat* et Antiphona super illud, Oratio et Memoriæ, prout jacent in Breviario; et similiter in aliis Horis respective.

321. In Matutinis iidem tres Psalmi sub una Antiphona et totidem Lectiones dicuntur quovis tempore. Hymnus *Te Deum* recitatur vel omittitur prout in Matutinis diei; et ultimum ℟. *Felix* usque ad ℣. repetendum erit, quoties in aliis Matutinis resumitur tertium vel nonum Responsorium. (V. n.° 282 et seq.)

322. Antiphonæ ad *Magnificat* et ad *Benedictus* et prima Oratio habentur propriæ respective per Adventum, et post Adventum usque ad Purificationem; item Tempore Paschali prædictæ Antiphonæ dicuntur propriæ, cum variatione *Jam ascendit* in Antiphona *Regina cœli*. De cætero nullibi additur *Alleluia* hoc tempore, nisi in prædictis Antiphonis. Oratio quæ dicta fuit in Laudibus quovis tempore etiam dicatur ad Tertiam. Cæteræ vero Horæ Orationem habent propriam, quæ numquam mutatur. (*Ex Brev. pass.*) De modo recitandi Officium quotidianum in Conventu, vid. n.° 670 et seq.

## §. II. De Precibus.

323. Preces dicuntur, extra Tempus Paschale, in omnibus Horis, videlicet: in Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis et Completorio, quando in dictis Horis fit de Feria. Intermittuntur in Nona, quando die sequenti fit de Dominica aut de Festo novem Lectionum: præterquam Feria IV. Cinerum, et

deinceps in tota Quadragesima, quo tempore dicuntur Preces et fiunt prostrationes etiam in Nona. Item intermittuntur in Vesperis (etiamsi fiant de Feria) in quibus dicuntur Antiphonæ *O* in Adventu. Item intermittuntur in Vesperis Feriæ IV. Majoris Hebdomadæ, et deinceps usque ad Completorium Feriæ V: in Cœna Domini inclusive. Feria autem sexta in Parasceve et Sabbato Sancto dicuntur prout videre est in propriis locis.

324. Preces dicuntur in Prima et Completorio tantum, (absque prostrationibus) in Festis Simplicibus et infra, necnon in diebus Octavis Simplicibus et infra quovis tempore, nisi incidant infra Octavas Solemnes et supra, aut in die Dominica. Insuper dicuntur Preces similiter infra Octavas Simplices, quovis Tempore, et Ferialibus diebus et Vigiliis quibuscumque Tempore Paschali. Similiter dicuntur in Completorio diebus Sabbatis, quoties in eo recitandum erit Officium B. Mariæ, ut supra. Extra casus prædictos non dicuntur Preces.

325. Modus autem dicendi Preces talis est : In Completorio, finita Antiphona super Canticum, incipit *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.* ℣. *Et ne nos inducas,* etc.; deinde ℣. *In pace,* etc.; *Credo.* ℣. *Carnis resurrectionem,* etc.; postea ℣. *Dignare,* etc. et Oratio solita.

326. In Prima, dicto ℣. *Exurge,* etc., sequitur *Kyrie eleison* et cætera ut supra, excepto quod loco ℣. *In pace* dicuntur Versiculi *Vivet,* etc., *Erravi,* etc., et post *Credo* additur *Confiteor* more solito. In cæteris autem Horis ante Orationem dicitur solummodo *Kyrie eleison... Pater noster.* ℣. *Et ne nos...* (*Ex Brev. et Collect.*) De Cæremoniis adimplendis dum dicuntur Preces vid. n.° 672 et seq.

### §. III. De Litaniis Sanctorum dicendis post Completorium.

327. « Post Completorium, quantumvis ea die solemne » Festum fuerit, si nihilominus die sequenti fiat Officium » de Feria, tam extra tempus Paschale quam intra, » semper legantur sero præcedenti in Choro Litaniæ » Sanctorum cum Psalmo *Deus in adjutorium*, Preci- » bus, Versiculis et Orationibus, ut designantur in Bre- » viario post Commune Sanctorum. Qui autem non fue- » rint in Choro ad eas minime tenentur » (*XXXVIII.*)

328. « In Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini, » Feria V. in Cœna Domini, et Feria sexta in Para- » sceve, Litaniæ, etc. omnino dimittuntur. Sabbato » autem Sancto, tribus diebus Rogationum, et Vigilia » Pentecostes, Litaniæ dicuntur ante Missam Feriæ : » sed in tribus diebus Rogationum (si fiat de Feria) » et in Vigilia Pentecostes, dicentur in sero præce- » denti post Completorium Psalmus *Deus in adjuto- » rium*, Preces et Orationes Litaniarum. (*Ibid.* 1.)

329. Litaniæ autem dicuntur ut in Breviario, Choro Versus repetente usque ad *Sancta Maria* exclusive, ad cæteros vero respondente. Bis pronunciatur invocatio S. Patris nostri Dominici. « Et si aliqua ex causa aut » necessitate Litaniæ recitantur, addenda est Oratio et » Versiculus pro illa necessitate », ut habetur in Processionario.

De modo illas recitandi vel cantandi vid. n.° 675. Et de Litaniis B. Mariæ, vid. in Art. de Processionibus.

### §. IV. De Disciplinis recipiendis post Completorium.

330. « Diebus quibus Completorium fuit de Feria » cum prostrationibus, etiam Tempore Paschali, » diebus illis in quibus fierent prostrationes si non » esset Tempus Paschale, excepto die ante Vigiliam

» Pentecostes et tribus diebus ante Pascha, terminatis » Litaniis Sanctorum, vel Psalmo *Deus in adjutorium* » cum suis Orationibus, si alias hæc sint dicenda; si » vero hæc dicenda non sint, tunc immediate post » Completorium recipiendæ sunt Disciplinæ », recitando Ps. *Miserere* cum Versiculis et Oratione. (*Collect.*)

331. « Quod si post Completorium ubi talis est » consuetudo, Disciplina dari non possit propter sæ» culares, detur in Sacristia vel in Capitulo : aut si » tunc fuerit grave impedimentum relinquatur post » Matutinas. » (*Brev. ibid.*)

332. « Debent autem omnes Fratres tam Conversi » quam Clerici qui non sunt legitime occupati tam » Disciplinis quam etiam Litaniis interesse (*Ord.*) » Fratres vero clerici qui Disciplinis non intersunt » tenentur recitare Psalmum *Miserere*, Versiculos et ». Orationes » quæ in Choro dicuntur, cum hæc sint de integritate Officii. (*Brev. ibid.*) (Vid. n.° 679.)

## §. V. De Cantico Graduum et Psalmis Pœnitentialibus.

333. Quindecim Psalmi Graduales, a Ps. 119. *Ad Dominum* usque ad Ps. 133. *Ecce nunc* inclusive, recitandi sunt die Sabbato (a Fratribus stantibus in Dormitorio ante Matutinum diei) quando fit Festum Votivum de B. Maria Virgine hac die assignatum : et debent recitari, ex obligatione etiam extra Chorum, hoc ordine.

334. Quinque primi Psalmi dicuntur sub uno *Requiem æternam*; deinde *Pater noster*. ℣. *Et ne nos*, etc... ℣. *A porta inferi*, etc. *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi*, etc... et Oratio. *Absolve*.

Alii quinque terminantur singuli cum *Gloria Patri*; deinde dicitur *Kyrie eleison*, etc.. *Pater noster*. ℣. *Et ne nos*, etc.. ℣. *Memor esto* .. *Dominus vobiscum*, ut supra, et Oratio. *Deus cui proprium est*, etc.

Ultimi quinque similiter dicuntur, exceptis ℣. *Salvos fac* post *Pater noster*, et Oratione. *Prætende*, prout in extensum habetur in Breviario.

335. Prædicti Psalmi etiam dicuntur, absque interjectis Versiculis et Orationibus ut supra, et terminando singulos per *Gloria Patri*, dum defertur SS. Sacramentum per modum Viatici, et quando contigit illud reportari. Item in Officio Sepulturæ Fratrum, prout fusius in suo loco dicetur.

336. Septem Psalmi Pœnitentiales recitantur Feria IV. Cinerum, in Choro tantum, post Nonam; et similiter Feria V. in Cœna Domini. (*Ex Miss.*) Item recitandi sunt a Fratribus adstantibus dum ministratur Sacramentum Extremæ Unctionis, et in Officio Sepulturæ Fratrum ab iis qui non habent libellos. Item triginta vicibus dici debent infra annum privatim a Fratribus clericis pro suffragiis mortuorum.(*Ex Process. et Const.*)

## §. VI. De Officio recitando extra Conventum.

337. « Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ debent recitare Officium prout recitatur in Choro, licet morentur alibi. » (*S. R. C.* 30 *Aug.* 1602 *ad* 5.) Unde apud Regulares Patres Concionatores in Quadragesima, et Patres Missionarii exercitationum spiritualium tempore, recitare debent Officium prout notatur in Calendario Conventus eorum residentiæ. Ad Officium pariter Conventus eorum residentiæ tenentur qui ex qualibet alia causa a proprio Conventu absunt.

338. « Fratres vero hospites, dum sunt præsentes in » aliquo Conventu Ordinis, facere debent Officium » sicut fit in Conventu illo, tam de Festis quam » de Octavis, quamvis per Ordinem generaliter de iis » non fiat. Postquam vero recesserint de illo Conventu, » ad Officium consuetum redeant. » (*Brev. IX.* 2).

# CAPUT SECUNDUM

## DE ORDINE MISSÆ CELEBRANDÆ

### IN IV. ART. DIVISUM.

ART. I. De quo Missa celebranda est singulis diebus.
II. De Orationibus dicendis in Missa.
III. De ordinandis cæteris partibus Missæ pro qualitate diei.
IV. De Missa celebranda extra propriam Ecclesiam.

---

## ARTICULUS I,

### DE QUO MISSA CELEBRANDA EST SINGULIS DIEBUS.

#### § I. De Divisione Missarum.

339. Missæ distinguuntur eodem modo ac Officia ut supra, scilicet : in Missis de Tempore et de Sanctis, de Vigilia et Octava, Votivis et Defunctorum ; et similiter quoad dignitatem ritus, in Missis de Toto Duplici, Duplici, Simplici, etc.

340. Insuper distinguuntur Missæ *Conventuales*, quæ a Conventu tanquam pars obligationis choralis celebrantur ; Missæ *Solemnes*, sive Conventuales, sive Votivæ aut Defunctorum, quæ cum cantu et Ministris, necnon quadam adhibita solemnitate fiunt ; Missæ

*privatæ*, quæ omnibus prædictis conditionibus carent, etiamsi in publico celebrentur.

341. In qualibet Missa pariter diversæ partes distingui debent : quædam enim propriæ sunt tali et tali Missæ, seu respondent Officio de quo dicitur Missa. Hæ sunt : Officium seu Introitus, Collecta seu Oratio, Epistola, cum Responsorio seu Graduali, *Alleluia*, Tractus vel Sequentia pro tempore, Evangelium, Offertorium, Secreta, Communio et Postcommunio.

342. Aliæ partes communiores in singulis Missis inveniuntur, prout sunt : *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, Præfatio, *Sanctus*, aliæque preces, et tandem Canon, qui est potior pars sacrosancti Sacrificii Missæ.

343. « Habita igitur prius Rubricarum notitia, si » celebraturus velit Missam diei ordinare, recurrat ad » Ordinarium Missarum de Tempore vel de Sanctis » secundum qualitatem temporis ; si propriam non ha- » beat, recurrat ad Commune Sanctorum (prout indi- » catum fuerit in Proprio.) Si vero de Feria agen- » dum sit, et propriam Missam non habuerit, dicatur » Missa præcedentis Dominicæ », (omissis omittendis de quibus infra). Si fiat de Octava, dicatur ut in die, aliquibus omissis, nisi adsit Missa propria. « Si Missa » Votiva dici debeat, requiratur post Commune San- » ctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, » requiratur post Missas Votivas suo loco de singulis » rebus singulæ. Si pro Defunctis celebranda sit Mis- » sa, habetur post Missas Votivas cum Orationibus » diversis circa finem Missalis. » (*Miss. XXXVI.*)

Ordo autem communiter servandorum in Missis de quibus n.° 342 invenitur in corpore Missalis post Missam Sabbati Sancti.

## §. II. De Missis Conventualibus.

344 « Missa in Conventu quotidie celebrari debet. »

(*Miss.*) Hujus autem celebratio diversimode præscribitur a Rubricis. Etenim 1.° et quidem regulariter, celebratur unica et secundum ordinem Officii; 2.° aliquando celebranda est unica pariter, sed extra ordinem Officii; 3.° aliquando etiam plures dicuntur.

345. *Quoad primum*, regulariter Missa Conventualis dicenda est unica et secundum ordinem Officii, id est de Festo, vel de Dominica, aut Feria, aut Vigilia, aut Octava de qua fit illo die Officium juxta Calendarium annuale: quæ enim superius de Officiorum ordine, translatione, Memoriis dictum est, de Missa correspondenti proportionaliter intelligendum est. Hæc autem Missa respondens Officio diei nunquam omittenda est, nisi in casibus infra expressis n.is 346 et 347; et, extra hos casus, cum propter paucitatem Fratrum unica Missa celebratur in Conventu, quibuscumque aliis Missis simul occurrentibus est præferenda. (*Rubr. Gen. Miss.. VI et XVI.*)

346. *Quoad secundum*, Missa Conventualis unica et extra ordinem Officii dicenda est quando in aliqua die infra Octavam Simplicem vel Solemnem (vel etiam in die Octava Simplici, ubi propter paucitatem Fratrum duæ Missæ celebrari non possunt) legitur Homilia Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ: tunc enim, loco Missæ de Octava, dicitur Missa illius de quo lecta fuit Homilia, proprio quidem ritu si fuerit de Feria aut Vigilia, ritu vero Octavæ si fuerit de Dominica, cum Memoria Octavæ de qua factum est Officium. (*Ibid. V. et VI.*)

347. Præterea, Missa Conventualis unica et extra ordinem Officii celebranda est quando agitur de die infra Octavam Simplicem (præterquam Epiphaniæ), vel de Festo Votivo infra hebdomadam, vel de Festo Trium Lectionum, vel de Feria II. aut VI., si occurrerit ea die Missa pro Defunctis secundum præscri-

ptum Constitutionum infra hebdomadam vel in Anniversario celebranda, vel etiam præsens Defunctus fuerit pro quo oporteat celebrare : tunc enim loco Missæ de Octava, vel de Festo, vel de Feria, ut supra, celebratur Missa de *Requiem* (sine mentione illius de quo factum est Officium), dummodo his diebus non fuerit lecta Homilia, ut n.° præcedenti dictum est. Missis autem de S. Cruce, et cæteris de quibus in Rubr. Miss. XIV. imo Missis de Festis Votivis infra hebdomadam, jam amplius locus non datur propter continua impedimenta. (*Ibid. X.* 1.)

348. *Quoad tertium*, una quidem Missa Conventualis solemnior secundum ordinem et ritum Officii, sine mentione alterius secundo loco celebratur ; altera vero minus solemnis, primo loco, cum omnibus Memoriis faciendis aut Orationibus addendis, sine mentione solemnioris, dicitur in Conventibus ubi est multitudo Fratrum celebrantium, in sequentibus casibus, videlicet :

349. Prima Missa *de Dominica* dicitur : 1.° Proprio die et proprio ritu, quando Officium Dominicæ impeditur aliquo Festo majoris ritus, et non potest, propter Festa occurrentia, transferri Homilia ejusdem infra hebdomadam. Si autem fuerit Dominica infra Octavam solemnem et supra, hæc Missa dicitur ritu illius Octavæ. 2.° Prima Missa de Dominica celebratur infra hebdomadam in die Octava Simplici vel Solemni, sub ritu illius Octavæ, quando legitur Homilia ejusdem his diebus. 3.° Quando (etiam omissa Homilia) fit Memoria infra hebdomadam in Festo Simplici et supra alicujus Dominicæ, quæ non potest resumi post Octavam Epiphaniæ vel Trinitatis, dicitur Missa hujus Dominicæ cum *Gloria, Alleluia* et *Credo* secundum ritum illius Festi. 4.° Si in Dominica IV. Adventus evenerit Vigilia Nativitatis Domini, prima Missa dicitur de Dominica proprio ritu, et secunda de Vigilia (*Miss. IX.* 3, 4.)

350. Prima Missa *de Feria et Vigilia* habentibus propriam Missam dicitur proprio ritu, quoties hujusmodi Feria aut Vigilia occurrit in Festo Simplici et supra, (excepto Festo SS. Corporis Christi), vel in die Octava Simplici et supra, vel die Dominica. Feriæ autem et Vigiliæ de quibus in casu sunt sequentes: Feriæ IV. et VI. et Sabbata Quatuor Temporum Adventus et Septembris; Feriæ Quadragesimæ, a V. post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum inclusive; Feriæ II. et III. Rogationum, et Vigilia Ascensionis; Vigiliæ S. Andreæ Apost., S. Joannis Baptistæ, SS. Apost. Petri et Pauli, S. Laurentii, Assumptionis B. Mariæ, S. Matthæi Apost. et Evang., SS. Simonis et Judæ Apost., et Omnium Sanctorum. (*Ibid. VI.* 1.)

351. Si autem Feria et Vigilia habentes utraque propriam Missam eodem die simul occurrerint, primo loco dicitur Missa de Feria et secundo loco Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, in qua dicitur sola Missa Vigiliæ cum Memoria Rogationum. Et si cum Feria et Vigilia occurrerit etiam Festum vel dies Octava ut supra, tertia Missa dicitur de Festo vel de Octava proprio ritu, sine mentione aliarum.

352. « In Ecclesia, ubi Titulus est Ecclesiæ, vel con» cursus populi ad celebrandum Festum, quod bene » transferri non potest, poterunt cantari duæ Missæ: » una de die quo fit Officium, alia de Festo; præter» quam diebus infra excipiendis n.° 355. » (*Miss. XVI.*)

353. Plures etiam Missæ similiter celebrantur quando occurrunt Missæ solemnes Votivæ vel pro Defunctis celebrandæ, de quibus infra, servatis tamen in omnibus Rubricis suprapositis Missæ Conventualis. Si autem fuerit paucitas Fratrum in Conventu, tunc celebretur unica Missa Conventualis, quæ dicenda est conformiter ad Officium, exceptis casibus n.is 346 et 347; et pro Orationibus et ultimo Evangelio serventur Rubricæ infra scriptæ n.is 367 et seq. et 432.

« Quando autem incertum est de quo Missa debeat » celebrari Cantori erit providere de quo celebratur, et » illi qui celebraturus est competenti hora intimare. » (*Miss. VIII.* 2.)

## §. III. De Missis Votivis.

354. Missæ Votivæ in Conventu celebrandæ juxta ordinem Festorum Votivorum infra hebdomadam, ut dictum est supra, jam nunc propter impedimenta nequeunt celebrari. Sunt autem aliæ Missæ Votivæ quæ, præter Missam Conventualem, permittuntur aut præscribuntur, cum certis conditionibus, prout solemniter vel non celebrantur, de quibus in præsenti paragrapho.

355. « Si Missa Solemnis Votiva *pro re gravi* vel » publica Ecclesiæ causa petatur, poterit dici cum » una Oratione tantum, modo altera dicatur Conventualis de die : præterquam tamen in Dominica I. » Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominicis I. Quadragesimæ et Palmarum cum tota Hebdomada Majori, » Dominicis Resurrectionis et Pentecostes cum duobus » diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et Festo SS. Corporis Christi, » in quibus diebus sola propria Missa dici potest. » (*Miss. VII.* 3.)

356. « In primis abstinendum est quantum fieri potest a celebranda Missa, præter solemnem, coram » SS. Sacramento, etiam in Tabernaculo occluso, nisi » ferat necessitas aut suadeat justa causa (*Miss. De* » *his*, etc. 1.) Quandocumque autem exponitur SS. » Sacramentum in diebus aliis ac ejus Festo et Octavis, Missa solemnis celebranda est de SS. Sacramento cum debitis Memoriis, sed tunc etiam dici debet Missa Conventualis de eo de quo fit Officium ; » vel una Missa cantatur de die cum Memoria Sacramenti, sicut et id fieri debet in diebus in quibus sola

» propria Missa dici potest, et prohibentur dici Missæ » Votivæ etiam Solemnes, si in illis diebus SS. Sacra- » mentum exponitur. » (*Ibid.* 2.)

357. Missa Votiva de Spiritu Sancto celebrari debet in quolibet Conventu totius Ordinis ipsa die electionis Magistri Generalis Ordinis, cum Orationibus de B. M. V. et de B. Dominico. (*Ord. Vid. etiam infra in propriis locis.*) Exceptis diebus supra notatis n.° 355. Eodem modo cantatur Missa de Spiritu Sancto in Conventu in quo celebratur electio Provincialis. (*Process.*) In electione Prioris Conventualis idem fiat. (*Ibid.*)

358. De aliis Missis Votivis, *quæ non sunt pro re gravi*, vel publica Ecclesiæ causa, sive ex dispositione Testatorum acceptatis . sive alia de causa celebrandis, serventur Decreta S. R. Congregationis, vel specialia Indulta, si quæ habeantur. Regulariter autem prohibentur Missæ Votivæ et Defunctorum, etiamsi cantentur in Conventu videlicet : « in Festo Duplici et supra, et » Dominica, vel Octava Solemnissima, vel die Octava » Octavæ Solemnis ; in Vigilia Nativitatis Domini et » deinceps usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclu » sive; Feria IV. Cinerum, in tota Hebdomada Majori, » et Vigilia Pentecostes. » (*Ex Miss. et Decret.*)

359. Cæteris diebus supra non expressis. videlicet : in Festo Simplici et in die Octava Simplici, necnon diebus infra Octavas Solemnes et Simplices, in Festis Votivis infra hebdomadam, in Festis Trium Lectionum, et in quibuscumque Feriis et Vigiliis aliis ac supra, possunt celebrari Missæ Votivæ vel Defunctorum. « Id autem passim non fiat, ut, quoad » fieri potest, Missa cum Officio concordet » (*Ex Miss. VIII.* 2.)

360. Quæcumque autem Missæ Votivæ approbatæ, sive ex his quæ ad calcem Missalis inter Votivas ponuntur, (servata temporum varietate, prout ibidem notatur), sive ex Missis Sanctorum aut Festorum positis

in corpore Missalis, possunt indifferenter dici, dummodo in istis serventur S. R. C. Decreta. (1)

361. Missa de Spiritu Sancto celebranda ante Officium ad ponendum Velam Monialibus, cum secunda Oratione. *Quæsumus*, etc., dici nequit, tam in vestitione quam in professione Monialium, occurrentibus Duplicibus et Dominicis. (*S. R. C.* 26 *Aug.* 1702.)

362. Missæ pro Sponso et Sponsa prohibentur « a Dominica I. Adventus usque in diem Epiphaniæ, et a Feria IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive ». (*Miss. in principio.*) Quibus temporibus neque addi potest pro eis Oratio in Missa currenti, neque Preces pro Benedictione Nuptiarum recitandæ. (*S. R. C.* 31 *Aug.* 1839.) In aliis vero temporibus prædictæ Missæ celebrari permittuntur ad modum Missæ Votivæ privatæ (8 *Mart.* 1818), ut infra n.° 363, exceptis diebus Dominicis et Féstivis, seu diebus de præcepto, vel in quibus occurrat Festum Duplex primæ aut secundæ classis (*Ead. S. C.* 20 *Decemb.* 1783); « in quo casu dicitur Missa » de Dominica aut de Festo, cum *Gloria* et *Credo*, si illa » Missa id requirit, necnon commemoratione Missæ pro » Sponso et Sponsa (primo loco post alias de præcepto), » et reliquis quæ pro Communione et complemento Be» nedictionis in ea habentur. » (*Miss. loco proprio.*)

363. Quoad ritum prædictarum Missarum Votivarum, sic distinguendum est : 1.° Missæ solemnes pro re gravi aut publica Ecclesiæ causa celebrantur cum

---

(1) Inter quæ habentur seq.: Missæ et Collectæ quæ sunt propriæ Solemnitatum, v. g. Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, et aliæ ejusmodi, extra proprias dies vel Octavas dici nequeunt tanquam Votivæ, quia tunc in illis verborum ritus et veritas violarentur; sed dici possunt tanquam Votivæ Missæ Festorum in quibus ritus et veritas verborum servarentur.

An infra Octavas Festivitatum B. M. V. Missæ Votivæ ejusdem celebrari possint? — Negative. (*S. R. C.* 13 *Jan.* 1674. *Idem confirm. ex decr. S. R. C. in una Bahien.* 26 *Jan.* 1793, et 12 *Nov.* 1831.)

unica Oratione, *Gloria in excelsis*, *Alleluia*, vel Tractu pro tempore, et *Credo*. Idem observetur in Missa in die Creationis et Coronationis Papæ et ejusdem diei Anniversario. (*Ex Miss. pass. et Decret. S. R. C.*) 2.° Aliæ Missæ Votivæ, etsi Conventuales sint, sequuntur in prædictis ritum illius diei in quo celebrantur, videlicet: dicantur in eis *Gloria in excelsis*, *Alleluia*, Tractus, necnon debitæ Orationes prout ritus diei expostulat; non autem in eis fiat Memoria illius de quo factum est Officium, quia altera Missa celebranda est de eo; neque legatur Evangelium Feriæ, si prima Missa de ea celebrata fuerit. 3.° Similiter in Missis privatis Votivis servetur ritus diei in dicendis vel omittendis *Gloria in excelsis*, *Alleluia*, vel Tractu pro tempore, et fiat Memoria primo loco illius de quo factum est Officium, et alia Memoria, vel Memoriæ et Orationes, si quæ occurrerint, et legitur, casu occurrente, Evangelium Feriæ in fine. (*Ex Miss. pass.*)

### §. IV. De Missis privatis.

364. Quoties prohibentur Missæ Votivæ et Defunctorum, Missæ privatæ semper legi debent in nostris Ecclesiis secundum ordinem Officii diei: præterquam diebus Dominicis infra Octavas Solemnissimas et Solemnes quando Officium fit de Octava, in quo casu legitur Missa Dominicæ infra dictas Octavas occurrentis, non autem Missa de Octava; idem observatur in die infra Octavam Nativitatis, in qua legitur Homilia Dominicæ. De cætero, in Missis privatis serventur Rubricæ infra positæ in sequentibus Articulis de Orationibus, etc.

365. Diebus n.° 359 descriptis, Missæ privatæ legi possunt Votivæ, prout ibidem et in sequentibus n.is; vel Defunctorum de obitu, aut anniversario, vel quotidianæ, prout in ultimo Articulo hujus libri dicetur. « Fratres autem Missas privatas non celebrent Tri-

» duo ante Pascha », tam in Conventu quam extra.(*Ex Miss. prop. loc.*)

## ARTICULUS II.

### DE ORATIONIBUS DICENDIS IN MISSA.

366. Multiplici ratione Orationes dicuntur in Missis sive Conventualibus, sive privatis : una est enim in quibuscumque Missis Oratio, seu Collecta principalis, quæ propria est Officio vel Missæ diei ; accedunt aliæ Orationes quæ ad Memorias subjunguntur ; aliæ vero superadduntur ad complendum numerum Orationum qui requiritur in Missis minus solemnibus ; aliæ tandem Collectæ ex diversis causis dicuntur, exempli gratia, de mandato Ordinarii.

#### §. I. De Oratione propria Missæ.

367. Hujusmodi Oratio, in omnibus et singulis Missis dicenda, sola dicitur in Festis Duplicibus et supra, infra Octavas Solemnes et supra, et in diebus Octavis earum, in Dominicis Palmarum et in Albis; nisi occurrerit Memoria facienda, vel alia de causa aliqua Oratio sit addenda his diebus. Item, una Oratio dicitur in Vigilia Nativitatis Domini , necnon Feria V. in Cœna Domini, et in Missis Votivis Solemnibus Vivorum, prout habetur supra, et in Missis Solemnibus Defunctorum. Cæteris vero diebus tres Orationes dici debent de quibus infra. (*Ex Rub. Gen. Miss. I. II. V. et alibi.*)

368. In Missis Feriæ IV. singulorum Quatuor Temporum, necnon Feria IV. post Dominicam IV. Quadragesimæ et Hebdomadæ Sanctæ, duæ Orationes propriæ dicuntur ; in Sabbatis vero eorumdem Quatuor Temporum, sex Orationes habentur : quarum ultima post *Dominus vobiscum* ante Epistolam, priores autem

ante singulas Prophetias recitantur, prout in Proprio Missalis. Et similiter Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes sex Orationes ante Lectiones et Epistolam in Missa Conventuali (unica vero in Missis privatis hujus Vigiliæ) dicuntur. (*Ex loc. prop.*)

369. « Quando autem fit Memoria de Feria Quatuor » Temporum, pro Memoria Feriæ dicatur prima Oratio, » quæ concordat cum Officio, » (*Miss. VI.* 3.) videlicet : in Quatuor Temporibus Adventus, Feria IV. Oratio. *Festina*, Sabbato Oratio. *Deus qui conspicis* ; in Quatuor Temporibus Quadragesimæ, tam Feria IV. quam Sabbato, prima in ordine ; et similiter Feria IV. post Dominicam IV. Quadragesimæ ; in Quatuor Temporibus Septembris Oratio. *Præsta*, sive Feria IV. sive Sabbato. (*Ex Brev.*)

370. Ante Collectam Missæ. (et si fuerint plures, ut supra, ante ultimam solum), dicitur *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus* vero præmittitur singulis Collectis de quibus n.° 368 ; et post *Oremus*, in singulis Feriis Quadragesimæ (exceptis Feria IV. in Cœna Domini et Sabbato Sancto), subjungitur *Flectamus genua.* ℟. *Levate*, ante omnes prædictas Orationes. (*Miss. loc. pr.*)

Dicta autem Oratione post Epistolam, si aliquæ sint Memoriæ vel Orationes, dicitur etiam *Oremus* ante primam ex illis tantum. (*Miss. XXX.* 12.)

### §. II. De Orationibus Memoriarum.

371. Hujusmodi Orationes illæ sunt quæ respondent Memoriis Officii. Memoriæ fiunt in Missa, post Collectam diei quæ sequitur *Dominus vobiscum*, per Orationem illius de quo fit Memoria, ex Proprio vel ex Communi ; deinde, suo loco, per Secretam et Postcommunionem correspondentem. Quæ faciendæ et ordinandæ sunt pro qualitate Missæ, id est in unica

Missa Conventuali, vel in utraque si fuerint plures, vel in Missis privatis, ut sequitur :

372. Quando *unica Missa Conventualis* dicitur, in illa fiant omnes Memoriæ quæ factæ fuerunt in Laudibus diei, et eodem ordine. Insuper, si eodem die occurrerit Feria Quatuor Temporum Septembris vel Vigilia habens propriam Missam, quæ propter paucitatem Fratrum dici non potest, fiat Memoria hujus Feriæ vel Vigiliæ in Missa, quamvis in Laudibus facta non fuerit, sed post alias Memorias quæ factæ fuerunt in Laudibus, excepta Memoria de Cruce Tempore Paschali, quæ facienda est ultimo loco. Item, si eo die fiat Officium de Octava, et Missa Conventualis dicatur de Feria aut de Vigilia, tunc primo loco fiet Memoria hujus Octavæ. (*Ex Miss. V. VI.*)

373. Quando *plures Missæ Conventuales* celebrantur, in prima tantum Missa fiant omnes Memoriæ quæ factæ fuerunt in Laudibus ea die, sine mentione illius de quo factum est Officium. Insuper, addendæ sunt in tali Missa Memoriæ omnes, puta B. Mariæ V., aut de Cruce, aut de Officio Votivo infra hebdomadam, quæ factæ fuissent in Laudibus, si de Feria aut de Vigilia aut Dominica factum esset Officium : præterquam in prima Missa Dominicæ quæ resumitur infra hebdomadam, quia hujusmodi Missa sequitur quoad hoc ritum diei in quo celebratur.

374. In altera vero Missa solemniori, etiamsi de Octava Simplici, aut de Festo Simplici, aut de Dominica fuerit, nulla fit Memoria ex his quæ factæ fuerunt in priori Missa, vel in Officio, et unica Oratio dicitur regulariter sicut in Festo Duplici. (*Miss. ex V. IX.*) Si autem altera Missa celebretur Votiva pro re gravi, aut alia de quà supra 356 et seq., vel pro præsenti Defuncto, aut de Anniversario Ordinis, in ista serventur Rubricæ speciales quoad numerum Orationum et solemnitatem Missæ, sine respectu ad Missam Officii.

Et similiter in Missa Conventuali, quæ tunc secundum ordinem Officii celebranda est, « tot dicendæ sunt Ora» tiones quot juxta ritum Officii ordinarie dici debent ». (*Ex Miss. VIII.*) « Quod si tertiam Missam alia de » causa oporteat celebrari, Prælatus ordinet secun» dum quod melius videbitur expedire. » (*Ibid.* 2.)

375. In Missis *privatis*, si Missa Conventualis fuerit unica, Memoriæ fiunt ut in ipsa. Si vero celebrentur plures Missæ Conventuales, eæ tantum faciendæ sunt Memoriæ in Missis privatis quæ factæ fuerunt in Laudibus, omissis Memoriis de Dominica, aut de Feria aut de Vigilia, de quibus prima Missa celebrata fuit, nisi tamen de his in Laudibus Memoria facta fuerit. Si autem Missa privata dicatur Votiva, fiat primo loco Memoria illius de quo factum est Officium, deinde dicuntur aliæ Memoriæ prout supra, vel Orationes ut infra. (*Ex Miss. VI.* 2.)

## §. III. De tribus Orationibus dicendis.

376. Extra Octavas Solemnes et Solemnissimas, in Festis Simplicibus, necnon in diebus Octavis Simplicibus et Dominicis diebus, præterquam Palmarum et in Albis; insuper in diebus infra Octavas Simplices, in diebus Octavis Trium Lectionum, in Feriis et Vigiliis quibuscumque, præterquam in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes et Triduo ante Pascha, dicuntur in Missa, tam Conventuali quam privata, præter Orationem diei de qua supra, duæ aliæ Orationes : ita ut in prædictis diebus tres saltem dicantur, computatis Collecta diei et Memoriis, si quæ sint faciendæ. (*Ex Miss. Rubr. G. pass.*)

377. Ad complendum numerum harum trium Orationum, provisum est in Rubrica Missalis de Orationibus adjungendis, pro varietate temporum et Feriarum, hoc modo :

## TABULA ORATIONUM ORDINARIE DICENDARUM

| DIES HEBDOMADÆ. | TEMPORE ADVENTUS. | A DIE II. JANUARII USQUE AD OCT. EPIPH. | AB OCTAV. EPIPH. USQUE AD CINERES. |
|---|---|---|---|
| Dom. | 2. ———— (1)<br>3. Deus qui charitatis | 2. de B. M. V.<br>3. ad libitum | 2. Deus qui charitatis<br>3. A cunctis |
| Fer. II. | 2. Deus qui de Beatæ<br>3. Omnipotens | 2. de B. M. V.<br>3. ad libitum | 2. de Domin. præced. (2)<br>3. Omnipotens |
| Fer. III. | 2. ————<br>3. Deus qui de Beatæ | 2. de B. Dominico<br>3. de B. M. V. | 2. ————<br>3. de B. M. V. pro temp. (3) |
| Fer. IV. | 2. ————<br>3. Deus qui de Beatæ | 2. de Sancto Ord. N.<br>3. de B. M. V. | 2. de B. M. V. pro temp.<br>3. pro Prædicatoribus |
| Fer. V. | 2. ————<br>3. Deus qui de Beatæ | 2. de Venerab. Sacram.<br>3. de B. M. V. | 2. de B. M. V. pro temp.<br>3. Concede (de omn. Sanct.) |
| Fer. VI. | 2. ———— (4)<br>3. Deus qui de Beatæ | 2. de B. M. V.<br>3. ad libitum | 2. Deus a quo (pro pace)<br>3. A cunctis |
| Sabb. | 2. ————<br>3. Ecclesiæ | 2. de B. M. V.<br>3. ad libitum | 2. De Domin. præced.<br>3. Ecclesiæ |

(1) Ubi non invenitur Oratio notata, sed — , signum est quod semper fieri debet aliqua Memoria, vel B. Mariæ, vel de Festo Votivo, vel de Cruce, pro qualitate diei et diversitate temporis, vel alia.

(2) Si autem dicatur Missa de Dominica præcedenti, secunda Oratio erit de B. M. V. pro tempore, id est, ante vel post Purificationem.

(3) Ante Purificationem Oratio erit *Deus qui salutis*; post Purificationem, *Concede nos*.

(4) Si Missa dicatur de Adventu, secunda Oratio erit de B. M. V., tertia pro iter agentibus.

(5) Post Ascensionem vero 2.ª Oratio erit *Omnipotens* pro Prælatis, et 3.ª *Omnipotens* pro Vivis et Defunctis.

PRÆSERTIM IN MISSA CONVENTUALI.

| DIES HEBDOMADÆ. | INFRA QUADRAGESIMAM. | TEMPORE PASCHALI. | POST OCTAVAM TRINITATIS. |
|---|---|---|---|
| Dom. | 2. Deus qui charitatis<br>3. A cunctis | 2. ———<br>3. A cunctis | 2. Omnipotens (de Trin.)<br>3. A cunctis |
| Fer. II. | 2. Deus qui proprium<br>3. Omnipotens | 2. ———<br>3. Omnipotens | 2. Prætende (pro fam.)<br>3. Omnipotens |
| Fer. III. | 2. ———<br>3. Concede (de omn. SS.) | 2. ———<br>3. ——— | 2. ———<br>3. De omn. SS. Ord. N. |
| Fer. IV. | 2. ———<br>3. A cunctis | 2. ———<br>3. de Spiritu Sancto | 2. Deus qui charitatis<br>3. A cunctis |
| Fer. V. | 2. ———<br>3. Prætende (pro fam.) | 2. ———<br>3. Concede (de omn. SS.) | 2. Pro Prælatis, etc.<br>3. Concede (de omn. SS.) |
| Fer. VI. | 2. Exaudi, quæsumus<br>3. Omnipotens | 2. Deus a quo (5)<br>3. Pro Papa | 2. Deus a quo<br>3. Pro Papa |
| Sabb. | 2. ———<br>3. Ecclesiæ | 2. ———<br>3. Ecclesiæ | 2. Ineffabilem<br>3. Ecclesiæ |

378. Usus hujus Tabellæ talis est : 1.° Si duæ aut plures Memoriæ fieri debeant in Officio de quo Missa celebratur, tunc nulla ex Orationibus supra positis adjungi debet, (exceptis Orationibus *Deus qui de Beatæ*, vel *A cunctis* die Dominica, quæ respondent in Missa Memoriæ B. M. V. quæ fit in Laudibus Dominicæ), et dicuntur tot Orationes in Missa quot in Laudibus Memoriæ factæ fuerint, et eodem ordine ; 2.° si unica Memoria occurrerit facienda, tunc omittitur prima ex Orationibus notatis in Tabula, et ejusdem loco dicitur Oratio Memoriæ ; 3.° si tandem nulla debeat fieri Memoria in Officio, tunc post Collectam diei dicuntur duæ Orationes supra scriptæ.

## §. IV. De Orationibus addendis in quibusdam circumstantiis.

379. « Quandocumque Missa celebratur coram SS. » Sacramento patenter exposito, si non sit Missa de » eo, post omnes Orationes quæ dicendæ sunt in » Missa diei, prout in præcedentibus §. §. dictum est, » addenda est Oratio SS. Sacramenti. (*Miss. de his*, 2.) In Missis vero privatis, intra eamdem Ecclesiam, potest ad arbitrium Sacerdotis fieri Memoria de SS. Sacramento, exceptis Festis I. et II. classis in quibus est omittenda. (*S. R. C.* 2 *Dec*. 1684.)

380. Quando ex præscripto Constitutionum Missa Conventualis (cum non potest celebrari de *Requiem*), applicatur pro Defunctis Ordinis, sive qualibet septimana, sive in quatuor Anniversariis Ordinis, post Orationes Missæ diei de quibus supra, addenda est Oratio. *Omnipotens* pro Vivis et Defunctis, sed in Missa Conventuali tantum quæ applicatur pro mortuis. (*Ex Miss. X.* 1, et 3.) (V. n.° 356.)

381. *Orationes imperatæ* vel ab Episcopo, (vel a Prælato cum licentia Episcopi), post alias de quibus supra addendæ sunt in quibuscumque Missis (etiam in solemniori si plures sint Conventuales) infra non exceptis, quousque tempus in quo præscribuntur expletum fuerit; et si plures sint hujusmodi Orationes imperatæ, secundum ordinem suæ dignitatis dicendæ sunt. Prædictæ autem Orationes, sive sint pro re gravi sive non, semper omitti debent in Duplicibus 1.ª classis, necnon in Dominica Palmarum, Triduo ante Pascha, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; in Duplicibus vero 2.ª classis, dici possunt ad libitum Sacerdotis in Missis

privatis, in Missa autem Solemni et Conventuali (etiamsi non cantetur) omittendæ. (1)

382. In diebus Anniversariis Electionis et Consecrationis Summi Pontificis, adjungenda est de præcepto in Missa Collecta pro eodem. (*S. R. C.* 12 *Martii* 1836.) Omittitur tamen in Duplicibus primæ classis. (*Ead. S. C. in una Baltimoren.* 1841.)

Insuper, occurrente Anniversaria die Consecrationis Episcopi « juxta praxim et Decret. in Portugallen. » 17 Sept. 1785, per universam Diœcesim in omni- » bus Missis..., facienda est a Sacerdotibus omnibus » commemoratio ejusdem Consecrationis », cum Oratione. *Deus omnium... quem Ecclesiæ N.*, etc. (*S. R. C.* 23 *Maii* 1835.)

383. « In Missis privatis pro Orationibus dicendis » servetur ordo supradictus, nisi quod in Missis Vo- » tivis vel Festorum Simplicium et infra, possunt dici » plures Orationes (2) ad libitum Sacerdotis. » (*Miss. XXX.* 14.) « In Missa autem Conventuali, in qua tres Oratio- » nes tantum dicuntur, nisi plures Memoriarum neces- » sitas exigat, » (*Miss. XIX.*) non superaddantur pro arbitrio Sacerdotis Orationes a Rubricis non præscriptæ.

384. « In Missis Vivorum, sive in Conventu sive » extra, non debent dici particulares Orationes pro » Defunctis, sed tantum possunt dici communes pro

(1) « An in Duplicibus primæ et secundæ classis recitanda sit Colle- » cta a Majoribus imperata? — R. Negative in Duplicibus I. Classis, » ut alias responsum fuit. Quoad Duplicia vero II. Classis, poterit ad » libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata in Missis pri- » vatis tantum; in Conventuali et Solemni omittenda » (*S. R. C.* 15 *Maii* 1819.) In subjecta Adnot. sic habetur : « An Oratio. *Deus* » *refugium* quando Sanctissimus eam pro re gravi dicendam jubet, » dicenda sit in Festis primæ classis? — R. Non esse dicendam. » (*Ead. S. C.* 7 *Aug.* 1627.) Decreta in una Namurcen. 23 Maii 1835, et in una Minorum 16 Apr. 1833 idem confirmant.

(2) « Post tertiam et imperatas posse, non tamen teneri superaddere plures. » (*Sic. decl. S. R. C.* 2 *Dec.* 1684).

» Vivis et Defunctis, nisi præsens cadaver Defuncti » fuerit (1); similiter in Missis pro Defunctis non de- » bent dici aliquæ Orationes nisi pro Defunctis, vel » communes pro Vivis et Defunctis. » (*Miss. post Orat. ad diversa.*)

385. Orationes imperatæ ab Episcopo non tenent locum 3.ª Orationis etiam ad libitum in Rubricis præscriptæ, sed ei debent superaddi « per modum præcepti » et obligationis. » (*S. R. C.* 17 *Aug.* 1709.)

386. Collecta Missæ terminatur per Conclusionem longiorem eodem modo ac supra in Officio; et similiter terminantur singulæ Orationes quæ in Quatuor Temporibus et certis Vigiliis dicuntur ante Prophetias. Si autem plures Orationes dicendæ fuerint, altera Conclusio non fit nisi post ultimam in ordine, quæ etiam terminatur per longiorem perorationem. (*Miss. XXX.* 12.)

## ARTICULUS III.

## DE ORDINANDIS CÆTERIS PARTIBUS MISSÆ PRO QUALITATE DIEI.

### §. I. De initio Missæ usque ad *Gloria in excelsis*.

387. Initium Missæ, id est, *In nomine Patris*, etc. *Confitemini*... et Confessio semper dicuntur in omnibus Missis prout notatum est in Ordinario Missalis. Cum

---

(1) « An in Missa privata de Sancto Semiduplici, vel Simplici, seu » Votiva, vel de infra Octavam, sive de Feria non privilegiata dici pos- » sit Collecta pro particulari defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus qui* » *nos Patrem*, et similia ; et an ob istam omitti possit aliqua ex assi- » gnatis pro tempore, puta *A cunctis*, etc. ? » — Resp. S. R. C. « Posse » in penultimo loco, nec omittendam ullam ex Collectis pro tempore » assignatis » (2 *Dec.* 1684.)

autem celebratur coram Summo Pontifice, aut Cardinali Legato, etc.., fiunt aliquæ mutationes quæ in Rubricis de Officio Sacerdotis requirendæ sunt.

388. « *Officium* seu *Introitus* Missæ et Versus cum » *Gloria Patri* semper eodem modo dicuntur ; semper» que post *Gloria Patri* repetitur Introitus usque ad » Versum : præterquam in Missis pro Defunctis, et a » Dominica Passionis usque ad Cœnam Domini in» clusive, quando de Tempore Missa celebratur ; in » quibus *Gloria Patri* omittitur, et post Versum im» mediate Introitus repetitur. » (*Miss. XVIII*) : Tempore autem Paschali duo adduntur *Alleluia* post Introitum.

389. « *Kyrie eleison* post Introitum dicitur alterna» tim cum Ministro, (incipiente Sacerdote), scilicet : » ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison* et ter *Kyrie elei-* » *son.* » (*Ibid.*)

390. « *Gloria in excelsis Deo* dicitur quotiescumque » in Officio ante Laudes dictum fuerit *Te Deum*, » sive in Missa Officio correspondente, sive in prima Missa Dominicæ, quæ hac die resumitur, sive in Missis Votivis; non autem in primis Missis de Feria aut de Vigilia hac die occurrentibus. (*Ibid.*)

391. Item Feria V. in Cœna Domini et Sabbato Sancto, et Vigilia Pentecostes, necnon in Missis Votivis Solemnibus, quæ celebrantur etiam in diebus Feriarum ob publicam necessitatem vel causam, dicitur *Gloria in excelsis*, licet in Officio non fuerit dictum *Te Deum*. Alias vero omittitur *Gloria in excelsis*. (*Ibid.*)

### §. II. De Lectionibus, Epistola, Graduali seu Responsorio, alleluia, Tractu, et Sequentia.

392. *Lectiones* dicuntur diebus in quibus habentur plures Orationes propriæ ut supra, singulæ post dictas Orationes. Item in Vigilia et in tribus Missis Nativitatis

Domini, immediate ante Epistolam, legitur apposita Lectio de Isaia Propheta.

« *Epistola* dicitur post ultimam Orationem vel » Prophetiam, ut mox dictum est; qua finita, nihil » respondetur a Ministris. » (*Miss. XXXII.* 1.)

393. « *Graduale*, quod apud nos vocatur *Responso-* » *rium*, » si fuerint Lectiones, post quamlibet earum dicitur, extra Tempus Paschale : præterquam in Sabbatis Quatuor Temporum, in quibus post V. Lectionem dicitur Hymnus. *Benedictus es.* Similiter post Epistolam regulariter dicitur Responsorium : præterquam Dominica II. Quadragesimæ, et Sabbatis Quatuor Temporum, necnon Feria IV. Hebdomadæ Sanctæ, in quibus loco ℟. dicitur Tractus; præterquam insuper Tempore Paschali, quo tempore loco ℟. dicuntur *Alleluia*, ut infra, in omnibus Missis.

394. *Alleluia.* « A Sabbato Dominicæ in Albis inclu- » sive usque ad Octavam Pentecostes inclusive, tam » in Missis de Tempore quam de Festis quibuscum- » que », (omisso Responsorio cum suo Versu), post Epistolam « dicuntur duo Versus cum quatuor *Alle-* » *luia* hoc ordine, scilicet : ante primum Versum duo » dicuntur *Alleluia*, et post Versum aliud *Alleluia*; » deinde secundus Versus, (secundum exigentiam tem- » poris), et post Versum aliud *Alleluia*. Quando » vero dicitur Sequentia, non dicitur post ultimum » Versum *Alleluia*, sed post Sequentiam. » (*Miss. XXXII.* 1.)

395. « Excipiuntur tamen Festa Trium Lectionum, » et Vigilia Ascensionis, et dies Feriales, in quibus di- » citur tantum semel *Alleluia* ante unicum Versum, » et semel post Versum; qui Versus in Missis de Fe- » riis ex duobus positis pro Dominica alternatim de- » sumi debet. Excipiuntur etiam Missæ Rogationum » et Vigiliæ Pentecostes, in quibus dicitur unum tan- » tum *Alleluia* ante Versum, et post non repetitur. Si-

» militer, post quamlibet Lectionem, in quarta Feria » et Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes dicun- » tur *Alleluia*, eo modo quo ibidem signatur. » (*Ibid.* 1, 2, 3.)

396. « A Festo SS. Trinitatis inclusive, usque ad » Septuagesimam exclusive, dum dicitur Responso- » rium post Epistolam ut supra, dicuntur tria *Alleluia* : » bis ante ultimum Versum, et semel post Versum ; » (si autem dicitur Sequentia, fiat ut supra) ; et hoc » tam in Dominicis quam in omnibus Festis et Octavis » et Missis Votivis ex privilegio vel consuetudine in » Ordine nostro per hebdomadam. » (*Ibid.* 4.) Et similiter in Missis Votivis, quæ ex devotione dicuntur his diebus. (*Loco proprio.*)

397. « In Festis autem Trium Lectionum, duo tan- » tum *Alleluia* dicuntur cum unico Versu post Re- » sponsorium, semel ante Versum et semel post Ver- » sum. In Feriis vero totaliter omittuntur, uti etiam » in Missa Dominicæ quæ dicitur prædictis Ferialibus » diebus; item in Quatuor Temporibus et Vigiliis, quo- » cumque die celebrentur. » (*Ibid.* 6.) In Festo SS. Innocentium, quando non cadit in Dominicam, loco *Alleluia*, dicitur *Laus tua Deus*. In Vigilia autem Nativitatis Domini si occurrerit in Dominica, et in Vigilia Epiphaniæ, quocumque die occurrerit, dicuntur *Alleluia*, eo modo quo appositum est in illis Missis. Tempore vero Septuagesimæ, in Missis tam de tempore quam de Sanctis nullum dicitur *Alleluia*. (*Ibid. et alibi.*) Rubricæ de *Alleluia*, eodem modo serventur ac supra in Missis Votivis, pro tempore, et qualitate diei et Missæ. (*Miss. loc. pr.*)

398. *Tractus*, omisso *Alleluia* et Versu sequenti, dicitur post Responsorium et Versum, vel post Epistolam quando Responsorium non habetur, diebus sequentibus, videlicet : Dominicis diebus a Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum ; item Feriis

II., IV. et VI. infra Quadragesimam; item Sabbatis Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimæ et Septembris, post Epistolam; item Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes post Lectiones et post *Alleluia*, ut ibidem notatur. Cæteris vero Feriis non dicitur, neque in Missis Dominicæ quæ infra Septuagesimam usque ad Feriam IV. Cinerum in diebus Ferialibus dici contingunt. (*Ibid. ex* 7.)

399. Item dicitur Tractus a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam in Ramis Palmarum in omnibus Festis et Octavis Sanctorum, præterquam in Festis Trium Lectionum, in quibus numquam dicitur; item in omnibus Missis Defunctorum semper dicitur Tractus quovis tempore. In Missis autem Votivis infra Septuagesimam, quoad Tractum idem observetur ac supra, pro qualitate diei et Missæ. (*Loc. pr.*)

400. *Sequentia* dicitur ante ultimum *Alleluia* in Nativitate Domini et duobus diebus sequentibus (non autem in eorum diebus Octavis); item in Epiphania Domini, et in die Purificationis B. Mariæ Virginis, si evenerit ante Septuagesimam (alioquin non dicitur Sequentia); item in Dominicis Paschæ et Pentecostes et duobus diebus sequentibus; in Festo et per totam Octavam SS. Corporis Christi (non autem in Festis Sanctorum de quibus infra eam contingit celebrari); item in Festo principali (non autem per Octavam) S. Patris nostri Dominici. In Translatione, Commemoratione et in Missis Votivis ejusdem S. Patris nostri, extra Septuagesimam, dicitur ultima pars illius Sequentiæ. Itèm in Festo S. P. Francisci, minime vero per Octavam ejusdem. Item post Tractum dicitur Sequentia in Compassione B. Mariæ Virginis, et in Missis Defunctorum prout declarabitur infra. (*Ex Miss. pass.*)

### §. III. De Evangelio et Credo.

401. « Dicto Responsorio, vel *Alleluia*, vel Tractu, » vel Sequentia, » ut supra, Sacerdos, antequam legat Evangelium, dicit : *Dominus sit in corde meo*, etc... » Deinde dicitur Evangelium, in cujus principio præ» mittitur : *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum*, etc... *Sequen*» *tia sancti Evangelii secundum*, etc. ℟. *Gloria tibi Do*» *mine*. » Post Evangelium dicitur : *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta*. (*Miss*. *XXXII*. 10.) Quando autem leguntur Passiones, hæc omnia omitti debent. In Missis vero Defunctorum omittuntur solum *Dominus sit*, etc., et *Per evangelica* dicta, etc. (*Ibid*.)

402. « *Credo*, quod vocatur Symbolum Apostolorum, » (id est Nicænum) dicitur post Evangelium diebus infra scriptis : « In Nativitate Domini ad omnes Missas, » et quotidie per Octavam, etiam in Festis Sanctorum. » In Circumcisione, et in die Epiphaniæ et in die Octa» va ; Feria V. in Cœna Domini ; in die Paschæ et per » Octavam ; in Ascensione et in die Octava ; in die » Pentecostes et per Octavam ipsius ; in die SS. Corpo» ris Christi et per Octavam, » etiam in Festis Sanctorum quæ infra eam celebrari possunt. (*Miss*. *XXXIII*.)

403 Item, « in omnibus Dominicis per annum » tam in Missa de Dominica, quam in Missa cujuscumque Festi aut Octavæ incidentis in eam, etiamsi in dicto Festo vel Octava alias non diceretur ; minime vero in Missis Vigiliarum in Dominica dicendis (exceptis Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini) ; neque in Missis Dominicæ infra hebdomadam resumendis, nisi celebrentur in die in qua dicitur *Credo*. (*Ibid*. *et alibi*).

404. Item dicitur *Credo* in omnibus Festis Domini nostri Jesu Christi, nec non in utroque Festo S. Crucis, aliorumve instrumentorum Passionis.

Item in omnibus Festis B. Mariæ Virginis, non au-

tem in Sabbatis de B. Maria, neque in Octavis dictorum Festorum, neque in quibuscumque aliis Octavis, nisi specialiter notetur;

Item in omnibus Festis SS. Angelorum;

Item in omnibus Festis, tum natalitiis, tum aliis SS. Apostolorum et Evangelistarum, necnon in die Octava SS. Petri et Pauli, et in Festo S. Barnabæ;

Item in singulis Festis Sanctorum Canonizatorum Ordinis nostri, necnon in Festo S. Mariæ Magdalenæ ejusdem Ordinis Protectricis, et in Festo principali S. P. Francisci, Confessoris;

Item in singulis Festis Doctorum Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ, videlicet: Augustini, Hyeronimi, Gregorii Papæ, Leonis Papæ, Ambrosii, Thomæ de Aquino, Bonaventuræ, Petri Damiani, Bernardi, Hilarii, Joannis Chrysostomi, Athanasii, Gregorii Nazianzeni et Basilii;

Item in singulis Festis Patronorum loci, vel Tituli Ecclesiarum nostrarum in Ecclesia propria;

Item in Festo Sancti cujus Corpus aut insignis Reliquia in nostris Ecclesiis asservatur; necnon in Festo Sanctorum quorum Reliquiæ, etc. Extra propriam Ecclesiam vero non dicitur *Credo* in dictis Festis. (V. n. 441.)

Item in Festo Omnium Sanctorum, die prima Novembris. (*Ex Miss. ibid.*)

405. Item dicitur *Credo* in omnibus Festis Dedicationum, tum eorum quæ in Calendario describuntur, tum in die et in Anniversario Dedicationis propriæ Ecclesiæ, vel Ecclesiæ Matricis, necnon in Consecratione Altaris.

Item in diebus Creationis et Coronationis Summi Pontificis, et ejusdem diei Anniversario.

Item si aliqua Missa in die qua cantari debet *Credo* occurrerit celebranda, nisi fuerit pro Defunctis aut Vigilia Sancti;

Item in Missis Votivis Solemnibus, quæ pro re gravi,

vel publica Ecclesiæ causa, vel necessitate celebrantur. (*Ibid.*)

Aliis vero diebus non dicatur *Credo*.

### §. IV. De Offertorio, Secretis, et Præfationibus.

406. « Post *Credo*, vel, si non sit dicendum, post » Evangelium, dicitur *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum*, » etc... *Oremus*. Deinde dicitur *Offertorium*. Tempore » Paschali additur semel *Alleluia*; postea fit oblatio, » cum Oratione ut in modo dicendi Missam notatur, » scilicet *Suscipe*, etc..

Oblatione facta, dum Sacerdos abluit digitos dicit : *Lavabo*, etc ; deinde : *In Spiritu*, etc., et *Orate, fratres*, etc.

407. « *Orationes Secretæ* dicuntur secundum nume» rum et ordinem Orationum quæ clara voce in prin» cipio Missæ dictæ sunt ; et ante primam Secretam » non dicitur *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi* » *orationem meam, et clamor meus*, etc., et *Oremus*. Ante » secundam vero, (si fuerit dicenda) dicitur tantum » *Oremus*. Terminatur autem prima et ultima Secreta » eo modo quo supra dictum est in Rubrica de Ora» tionibus » cum longiori conclusione, et secreto di» cendæ sunt usque ad illa verba : *Per omnia sæcula* » ultimæ Secretæ, quæ clara voce dicuntur, et imme» diate simili voce incipitur et prosequitur Præfatio. » (*Miss. XXXIV*.)

408. *Præfatio* semper incipit per *Dominus vobiscum*. ℣. *Et cum*, etc... — *Sursum corda*. ℟. *Habemus*, etc...— *Gratias agamus*, etc... ℟. *Dignum et justum est*. Reliqua vero differunt pro variis temporibus et diebus anni, ut sequitur :

409. Dominicis diebus, etiam in Missis de Sanctis, vel de Octavis, (non autem in Missis Dominicæ infra hebdomadam) quando alia non occurrit ut infra, dicitur Præfatio de SS. Trinitate : *Qui cum Unigenito*, etc.

Eadem dicitur in Festo SS. Trinitatis, et tribus primis diebus infra ejus Octavam, necnon in Missis Votivis ejusdem SS. Trinitatis, et in Festo Transfigurationis Domini. (*Ex Miss.*)

410. « In Nativitate Domini, et quotidie usque ad » Epiphaniam exclusive, etiam in Missis de Sanctis et » de eorum Octavis, præterquam in die Octava S. » Joannis Apostoli, dicitur Præfatio : *Quia per incar-* » *nati*, etc... Item in Festo SS. Nominis Jesu. Item in » omnibus Missis Votivis de B. Maria Virgine usque » ad Purificationem (excepta Missa privilegiata SS. Ro- » sarii), et in Festo ipso Purificationis B. M. V. Item » in Festo SS. Corporis Christi, et quotidie per Octa- » vam usque ad Festum SS. Cordis Jesu inclusive, nisi » occurrat Festum habens propriam Præfationem » ut Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. (*Miss. loc. pr.*)

411. « In die Epiphaniæ et quotidie per totam Octa- » vam, etiam in Festis Sanctorum, et in Festo Inven- » tionis S. Pueri Jesu, dicitur Præfatio : *Quia cum* » *Unigenitus*, etc. » (*Ibid.*)

412. « Feria IV. Cinerum, et deinceps quotidie usque » ad Dominicam Passionis exclusive, etiam in Festis » Sanctorum infra dictum tempus occurrentibus, nisi » propria assignetur, dicitur Præfatio de tempore Qua- » dragesimæ : *Qui corporali.* » (*Ibid.*)

413. Dominica in Passione, et deinceps quotidie ut supra usque ad Feriam V. in Cœna Domini inclusive, dicitur Præfatio : *Qui salutem*, etc.; item in omnibus Festis de Passione Domini infra Septuagesimam et Quadragesimam, et in utroque Festo S. Crucis, et in Missis Votivis de Passione aut de Cruce Domini. (*Ex Miss.*)

414. Sabbato Sancto, et deinceps quotidie ut supra usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, dicitur Præfatio de Tempore Paschali, cum his variationibus: Sab-

bato Sancto : *in hac potissimum nocte;* die Paschæ et per totam Octavam : *in hac potissimum die ;* reliquo tempore : *in hoc potissimum gloriosius*, etc.. (*Ex Miss.*)

415. « In die Ascensionis Domini, et per totam Octa» vam tantum, dicitur Præfatio : *Qui post Resurrectio» nem suam* ». « Feria autem VI. sequenti, si dicatur » Missa de Festo non habente Præfationem propriam, » dicatur Præfatio communis » (*Miss. loc. pr.*) per annum.

416. « In Vigilia Pentecostes, in die, et quotidie » per hebdomadam usque ad Sabbatum sequens in» clusive tantum; item in Missis Votivis de Spiritu San» cto (in quibus omittuntur hæc verba : *hodierna die*), » dicatur Præfatio : *Qui ascendens.* » (*Ibid.*)

417. In Festis et Octavis B. Mariæ Virginis, exceptis iis de quibus supra n.° 410, dicitur Præfatio ejusdem B. M. V.: *Et te in*, etc... cum nomine proprio Festi de quo agitur, vel si non habeat nomen proprium cum nomine *Solemnitatis*. In Missis Votivis et in Vigilia Assumptionis ejusdem dicitur : *Et te in Veneratione;* additis in Missa privilegiata SS. Rosarii tantum (1) verbis : *Sanctissimi Rosarii.* (*Ibid.*)

418. In omnibus Festis et Octavis Apostolorum et Evangelistarum,(præterquam in Festo S. Joannis Apostoli et Evangelistæ, et in Octava solius Memoriæ S. Andreæ), dicitur Præfatio : *Te Domine*, etc. (*Ibid.*)

419. Cum plures ex supradictis Præfationibus simul occurrunt, sequens ordo servetur : Præfatio propria Festi, vel Missæ Votivæ, si eam habuerit, quibuscumque

(1) « In Præfatione Missæ Expectationis dicendum est : *Et te in* » *Expectatione*, etc... et in Festo Rosarii dicendum est : *Et te in So-* » *lemnitate Beatæ Mariæ*. etc., omissis verbis *Partus* et *Rosarii*. » (*Ita dec. S. R. C. 3 Martii* 1761.)

aliis præfertur, excepta Præfatione S. Joannis Apostoli de qua supra; Præfatio autem Octavæ Præfationi de Tempore, scilicet Quadragesimæ, Passionis, et Paschali præponitur; ista autem Præfationi Dominicæ, id est de Trinitate, antefertur. Præfatio communis dicitur quando non occurrit alia ut supra. (*Ex Miss. XXXIV.* 2.)

420. Prædictus ordo Præfationum servandus est in omnibus Missis, tam Conventualibus quam privatis vel Votivis : præterquam in Missis Feriarum vel Vigiliarum, in quibus semper dicitur Præfatio de tempore, vel communis, vel propria si eam habuerint, minime vero Præfatio Octavæ, vel propria Festi occurrentis. (*Ibid. et al.*)

### §. V. De Canone et reliquis usque ad ultimum Evangelium.

421. Completa Præfatione dicitur *Sanctus*, etc ; deinde incipit Canon Missæ, in quo serventur omnia ut in Ordine Missæ. Quædam autem variationes habentur in aliquibus circumstantiis, vel Festis et Octavis, ut sequitur :

422. « Post verba *Papa nostro* exprimitur nomen pro-
» prium Papæ; sed, sede vacante, omittuntur prædicta
» verba. »

« Post *Antistite nostro* specificatur nomen proprium
» Episcopi in propria diœcesi, et non alterius superio-
» ris; et si vita functus fuerit, aut celebratur Romæ,
» omittuntur prædicta verba. »

« Post *Rege nostro* exprimitur nomen in Dominiis
» alicujus regis. » (*Ritus et mod. dicendi Miss.*)

423. « Ad *Memento*, sive mortuorum sive vivorum,
» post verba *tuorum*, meminit Sacerdos brevi mora
» eorum quos Deo commendatos voluerit, hoc modo :
» Patris, matris, fratrum, sororum, parentum, bene-
» factorum, superiorum, et secundum intentionem eo-

» rum pro quibus orare tenetur; et hoc non verbis,
» sed mente tantum concipiatur; posteaque reliqua
» prosequatur. » (*Ibid.*)

424. In Festis autem Nativitatis, Epiphaniæ et Ascensionis Domini, et per integras eorum Octavas, etiam in Festis Sanctorum, licet habentibus Præfationem propriam, additur aliquid proprium in *Communicantes*. Item, in Sabbato Sancto, et deinceps usque ad Dominicam in Albis inclusive, *Communicantes*, et *Hanc igitur* dicuntur ut in Proprio notatur; et similiter in Vigilia Pentecostes usque ad Sabbatum sequens inclusive; Feria autem V. in Cœna Domini dicitur etiam *Qui pridie* proprium. In Missis Defunctorum nihil umquam immutandum in Canone. (*Ex Miss. pass.*)

425. Quæ autem de Consecratione et Canone sequuntur, invariabiliter absolvuntur, eo modo quo in Ordine Missæ notatur, usque ad *Agnus Dei*, in quo, loco *miserere nobis*, dicitur in Missis Defunctorum: *dona eis requiem*, addito ultima vice: *sempiternam*. Deinde, præmissis Orationibus *Hæc sacrosancta*, et *Domine Jesu Christe*, fit communio; qua peracta, dicitur Communio; Tempore Paschali additur *Alleluia*. (*Ex Miss. pass.*)

426. Dicto postea *Dominus vobiscum*, *Oremus*, sequuntur « Orationes post Communionem, eo modo et
» ordine ut in principio Missæ (ante Epistolam.) Et fi-
» nita ultima, repetitur. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum*,
» etc... » (*Miss. XXXV. 1.*)

427. Tempore autem Quadragesimæ, in omnibus Missis de Feria (excepto Sabbato Quatuor Temporum), postquam dictæ fuerint Postcommuniones cum eorum conclusione, iterum dicitur *Oremus*, deinde: *Humiliate capita vestra Deo*, et sequitur Oratio super populum, quæ est illa quæ dicitur in Vesperis Feriæ, et terminatur cum longiori conclusione (*Ex Miss. loc. pr.*)

428. Repetito *Dominus vobiscum* ut supra, « dicitur
» *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino* pro temporis

## §. I. De obligatione celebrandi juxta proprium Calendarium.

436. « Quæ Missa celebranda sit a Sacrum facientibus in aliena Ecclesia ? » — R. « Missam concordare » debere cum Officio quod quisque recitavit, dummodo » cum colore Ecclesiæ in qua celebrat aptetur. (*Decret.* » 12.*Nov.*1831.) Idem habetur in Rescripto 23. Maii 1853, » et in aliis Resc. sub die 17 Sept 1853, ubi sic dicitur: » quando color Ecclesiæ concordat, celebrantes in aliena » Ecclesia possunt et debent Missam celebrare respon » dentem Officio proprio, » nisi aliunde possint vel debeant se conformare alienæ Ecclesiæ, ut infra dicetur.

437. Cum Sacerdotes confluentes ad alienam Ecclesiam devotionis gratia non possint « inconsulta S. C. » celebrare Missas de Beatis non Canonizatis dictæ Ecclesiæ concessis, quæritur quæ Missa et quo colore illa die in Ecclesia prædicta a Sacerdotibus confluentibus celebranda sit? — R. « Missam celebrandam esse a con- » fluentibus de die, et se conformare debent Officio pro » prio, quatenus color paramentorum Ecclesiæ, in qua » celebratur Festum, sit idem, nec disconveniat; secus » vero alibi celebrandum. » (*Decl.* 11. *Junii* 1701.)

438. « An in Oratoriis publicis Officiatis a Regularibus extra Conventum Regulares et reliqui Sacerdotes in iisdem Oratoriis dicere debeant Missam juxta Calendarium Regularium vel diœcesanum ? » — R. « Ser- » ventur decreta in una Parisien. 10. Junii 1656 » videlicet : « Non posse Regulares uti Calendario diœcesano, » sed tantum teneri ad recitationem Officii proprii » SS. Patroni principalis, scilicet Titularis Ecclesiæ » Cathedralis, et Protectoris Civitatis. » Publicum autem Sacellum illud est quod erigi permittitur, ut Sacrum in eo fiat, non ad alicujus privatæ familiæ

commodum, sed et ad aliorum extraneorum utilitatem: ideo tale Sacellum, sive Oratorium, quod parva Ecclesia est, ostium apertum habere debet in viam publicam, ut cunctis pateat ingressus. (*Apud Gardel.*)

439. « Quæ Missa celebranda sit a Sacrum facientibus in Oratorio privato?» — R.« In Oratorio privato semper concordare debet cum Officio proprio. » (*Decret.* 12. *Nov.* 1831.) Quod confirmatur alio Rescripto: « In Oratoriis privatis debere, juxta alias decreta, » Sacerdotem celebrare Missam correspondentem cum Officio quod recitat (23. *Maii* 1835.), etiamsi fuerit Officium de Beatis. (16. *Apr.* 1853.) Oratoria autem privata, seu domestica, intelliguntur illa quæ intra privatæ domum parietes auctoritate Romani Pontificis eriguntur. (*Apud Gardellini Vol. III. p.* 151.)

440. S. R. C. declaravit Solemnes Festivitates in quibus Missæ prohibentur celebrari in hujusmodi Oratoriis sequentes esse, videlicet: « præter Festum Paschatis Resurrectionis D. N. J. C., Feriam V. in » Cœna Domini, Festum Ascensionis D. N. J. C., Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, Festum Annuntiationis et Festum Assumptionis B. M. V., Festum Omnium Sanctorum, Festum Nativitatis ac » Epiphaniæ Domini. » (17. *Nov.* 1607). Item, ibidem « celebrare prohibitum est in Festo Patroni Civitatis vel Diœcesis, non autem in Festo Titularis quod » non inducit præceptum audiendi sacrum et abstinendi a servilibus. » (11. *April.* 1840.) Quod intelligitur prohibitum « in die Festi » non autem Dominicæ in quam transfertur solemnitas. (23. *Maii* 1835.)

441. Sacerdos celebrans in aliena Ecclesia conformiter ad proprium Calendarium recitabit *Gloria in excelsis*, Memorias, *Alleluia*, vel Tractum, Præfationem, prout competit Missæ quam celebrat, sine mentione Officii quod fit in dicta Ecclesia. Poterit etiam dicere Symbolum, si illud dicendum sit in propria Missa, dum-

« modo non sit addendum ratione Corporis vel Reli- » quiæ. » (*Decret.* 12. *Nov.* 1831.) Quod etiam patet ex seq. Decl.: « An Regularis recitans Officium de Sancto cujus Reliquia insignis veneratur in propria Ecclesia, si celebret tali die Festi extra propriam Ecclesiam omittere debeat *Credo?* » — R. « Omittendum » (2. *Decemb.* 1684.)

442. « In Ecclesiis tamen Regularium, diebus Domi- » nicis, quibus tam ipsi Regulares quam exteri ce- » lebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus » paramentorum quibus utuntur Regulares ratione » alicujus Octavæ, et Regulares celebrantes in alienis » Ecclesiis uti coloribus paramentorum juxta ritum » earumdem; et tam exteri in Ecclesiis Regularium » quam ipsi Regulares in alienis possunt apponere » commemorationem Octavæ, ut supra, occurrentis. » (*Decl. S. R. C.* 11. *Junii* 1701.)

## §. II. De obligatione se conformandi Calendario alienæ Ecclesiæ.

443. Regulares, diebus quibus propria Officia celebrant sub ritu Duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis, non possunt celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes « quando Festum celebratur cum solemnitate et concursu populi (1); » sed debent celebrare de aliis, conformando se ritui earumdem Ecclesiarum, ac etiam de *Requiem*; (*Decl.* 11. *Junii* 1701. *ad* 1.) nec non in colore paramentorum et recitatione Symboli. (*Ibid. ad* 2.). Si Celebrans habeat Officium Duplex primæ aut secundæ Classis, in dicto casu pariter serventur

(1) « Quid intelligatur verbis : *Concursus populi ad celebrandum Festum?...* — R. « Intelligitur concursus qui sit extraordinarius » (*E. S. R. C.* 22. *Sept.* 1837.)

prædicta Decreta, et Sacerdotes tam sæculares quam regulares conformare se debent ritui Ecclesiæ in qua celebrant. (29. *Jan.* 1752.)

144. « Recitantes Officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesia ubi fit de Confessore, debent se conformare in colore in illis Ecclesiis, etiamsi ibi nulla sit solemnitas, et etiam quoad Missam, quæ non poterit celebrari de Sancto Confessore si color fuerit rubeus. » (*In Varsavien.* 7. *Maii* 1746.) Idem confirmatur ex Rescripto 7. Sept. 1816, et 17. Dec. 1828, ubi dicitur : « Strictim servetur Decretum in Varsavien. » Aliud Decretum sic habet : « In Ecclesia ubi fit Officium Duplex Confessoris aut Virginis, potestne quis Missam de Martyre (de quo fit Officium) celebrare et in quibus paramentis ? » — R. « Semper uniformari de» bet Officio Ecclesiæ in qua celebrat Sacerdos, et » etiam in colore paramentorum ; et quando est Du» plex, tunc celebrari debet de Sancto cujus particu» laris illa Ecclesia celebrat Officium. » (4. *Sept.* 1745. *Item* 11. *Apr.* 1840. *et* 17. *Sept.* 1853.)

145. « Cum Missæ de Beatis celebrari possint tan» tum in illis Ecclesiis pro quibus concessum est Offi» cium ipsorum, Sacerdotes recitantes Officium de » Beatis, sed celebrantes in Ecclesia ubi fit de Sancto, » non possunt dicere Missam Officii, sed tenentur se » conformare Ecclesiæ in qua celebrant, » et Missam de illo Sancto dicere (7. *Sept.* 1816.) Si autem in dicta Ecclesia fiat de alio Beato, vid. n.° 437.

146. Quoad Missam Conventualem, sive in Ecclesiis Monialium, sive in aliis, S. R. C. decernendum censuit : « Juxta alia Decreta, Missam Conventualem Of» ficio diei respondentem celebrari debere per Confes» sarium, vel Ædituum, vel alterum ad hoc deputa» tum ; quoad vero reliquos Sacerdotes in diebus ritus » Duplicis conformari debere colori paramentorum Ec» clesiæ. » (7. *Dec.* 1844.) Antea autem decretum fue-

rat Capellanum Monialium ab ipsis institutum, et ad earum commodum celebrans, posse celebrare Missam juxta ritum Officii earumdem, etiamsi Officium fuerit de Beatis, « dummodo tamen celebret in Ecclesia prædictarum Monialium, et utatur Missali romano. » (11. *Jun.* 1701.) Quod non valet pro aliis Sacerdotibus ibidem confluentibus. (*Ibid. ad* 2.)

447. Fratres hospites, quum teneantur se Officio conformare, in Missa pariter se conformare debent Calendario Conventus in quo degunt. (1)

448. Quoties autem Sacerdos Ecclesiæ alienæ se conformare tenetur, debet dicere vel omittere *Gloria in excelsis*, Symbolum, etc. necnon Memorias et Orationes, prout qualitas Missæ id requirit, omissis etiam Memoria proprii Officii cæterisque annexis, excepta Memoria de Octava, ut supra n. 442. (12. *Nov.* 1831.)

449. Quæ autem de conformitate Missæ in aliena Ecclesia dicta sunt, intelligi debent etiam de Oratoriis publicis ; et in ipsis servandus est color adhibitus a Sacerdotibus qui illa deserviunt.

### §. III. De Missis Votivis aut Defunctorum extra propriam Ecclesiam.

450. Ut Sacerdos possit in aliena Ecclesia celebrare Missam Votivam vel Defunctorum, *requiritur primo* : quod Celebrans non habeat Festum ritus Duplicis, prout ex seq. Decretis patet : » An Sacerdotes qui recitant Officium de Festo Duplici, confluentes ad Ecclesias sive Regularium sive alias ubi dicitur Officium de Semiduplici, possint ibi dicere Missas Votivas aut Defunctorum ? » — R. « Negative. » (*In una Varsavien.*

(1) Fratres itinerantes, præsertim ignoti, non admittantur ad celebrandum sine litteris testimonialibus. (*Cap. G. Romæ.* 1694.)

7. *Maii* 1746.) Item : « An Sacerdos habens Officium ritus Duplicis, sed celebràns in Ecclesia in qua fit Officium de Semiduplici possit dicere Missam Votivam? » — R. « Negative. » (7. *Sept.* 1816.) Simili quæsito quoad Missas de *Requiem* Ş. R. C. respondit : « Negative, et strictim servetur Decretum in Varsavien., » ut supra. (17. *Dec.* 1828, *ad* 6.) Aliud Rescriptum sic habet : « Nec licere sese conformare Ecclesiæ, » si in ea celebretur Missa Votiva, et ipsi (Sacerdotes » extranei) celebraverint Officium sub ritu Duplici. » » (16. *Dec.* 1828.)

451. Unde quando in nostro ritu prohibentur Missæ Votivæ aut Defunctorum (V. n.° 358.), etiamsi permitterentur in aliena Ecclesia, non possumus eas celebrare; sed tenemur celebrare conformiter ad proprium Officium quoties adhiberi potest color conveniens : nisi fiat Officium de Beato Ordinis, in quo casu servetur quod dictum est n. 445.

452. Excipiuntur sequentes casus : 1.° « An Sacerdos Regularis, in cujus Ecclesia ex concessione Apostolica fit Officium Duplex, sive de præcepto sive non, vel de Octava privilegiata, possit universaliter celebrare Missam Votivam vel de *Requiem* in aliena Ecclesia ubi fit Officium Semiduplex? » — R. « Sacer- » dotes Regulares *addictos, seu vocatos ad satisfaciendum* » *oneribus alicujus Ecclesiæ*, posse celebrare Missam de » Sancto, sive de *Requiem*, ad formam et ritum ejus- » dem Ecclesiæ, juxta rubricas Missalis Romani. (15. *Dec.* 1691.)

453. Item 2.° « An Regularis *invitatus extra propriam Ecclesiam* ad celebrandum, in die in qua ab ipso ex præcepto proprii Instituti recitatur Officium Duplex, possit se conformare cum Missa quæ celebratur in illa Ecclesia ad quam invitatur, sive sit de Sancto, sive de *Requiem?* » — R. « Affirmative. » (3. *Oct.* 1699.)

454. Item, 3.° « An Eremitis Sacerdotibus Congregationis Camaldulensis, occasione itineris seu alia quacumque ex causa, licitum sit celebrare Missam de *Requiem* in aliena Ecclesia, ubi non agitur Officium Duplex, imo fiunt Exequiæ pro aliquo Defuncto præsente corpore, vel Anniversaria, vel aliquod simile Officium pro Defunctis, eo ipso die quo ipsi Eremitæ recitaverunt Officium alicujus Sancti Duplicis, non obstante Decreto hujus S. C. die 5. Aug. 1662. edito, probibente Missas Defunctorum in Festis Duplicibus, et per consequens : An hoc Decretum habeat locum tantum in Ecclesia propria, vel etiam in aliena in casu proposito? » — R. « Posse conformari cum Ecclesia in qua celebrat. » (*Decl.* 23. *Aug.* 1704.)

455. *Requiritur secundo:* quod in ritu Ecclesiæ alienæ permittantur Missæ Votivæ aut Defunctorum. Hoc sequitur ex Decretis supra citatis n.° 450, sed clarius ex sequenti declaratione patebit : « Quum S. R. C. 16 April. 1834, sapientissime decreverit quod Sacerdos celebrans in Ecclesia ubi color albus adhibetur celebrare nequeat de S. Martyre cujus persolvit Officium : quæritur quomodo se gerere debeant Sacerdotes Societatis Mariæ, qui extra propriam Ecclesiam ac præsertim Sacrum immolant in Ecclesia vulgo dicta *Fourvieres*, in qua pene semper color albus occurrit, dum ipsi de S. Martyre recitant? Poteritne in hoc casu quilibet Societatis Sacerdos celebrare Missam Votivam ut se conformet colori albo in Ecclesia adhibito? » — R. « In casu tantum quo ritus Ecclesiæ id permittat. » — (*Rescr.* 11. *Sept.* 1847.)

456. Permittuntur autem Missæ Votivæ et Defunctorum in ritu Romano quando agitur de Semiduplici, aut de Simplici, aut de die intra Octavas (iisdem exceptis ac in ritu nostro), minime vero in quacumque die Octava. Item permittuntur in quibuscumque Vigiliis et Feriis in ritu nostro non exceptis. (V. n.° 358.) Imo

Missæ Defunctorum in Festo Duplici ad libitum permittuntur. « An in Ecclesia parochiali, ubi adsit Altare privilegiatum, celebrari possit a Sacerdotibus confluentibus Missa de *Requiem*, in die alicujus Sancti Duplicis ad libitum, ex quo ejus Officium a Parocho recitatur? » — R. « In casu proposito, cum Offi-
» cium sit ad libitum, quamvis sub ritu Duplici, posse
» Sacerdotes confluentes celebrare Missam de *Re-*
» *quiem*. » (24. *Nov.* 1691.)

157. Sacerdotes extranei, sive sæculares, sive aliorum Ordinum, in nostris Ecclesiis celebrantes, (1) iisdem subjiciuntur legibus, excepto privilegio ipsis concesso a S. R. C. (28. *Febr.* 1856.) ad instantiam Rev.^mi Magistri Generalis Ordinis, « vi cujus conformare se
» possunt Calendario et Missali Ordinis Prædicatorum,
» etiam in Festis Beatorum, dummodo tamen iidem
» Sacerdotes quoad extrinsecas cæremonias eas ser-
» vent quæ Cleri sæcularis sunt propriæ. »

---

(1) Non licet Regularibus in suis Ecclesiis admittere ad celebrandum Presbyteros sæculares contra prohibitionem Episcopi. (*S. C. Concil.* 2. *Junii* 1620. et 29. *Jan.* 1633.)

# PARS II.

**Continens Rubricas et Cæremonias generales quæ ad solemnitatem externam cultus divini pertinent.**

---

**Sacra Liturgia non solum verbis, sed etiam rebus et actionibus constat. In prima parte de verbis dictum est; in secunda de rebus et actionibus quæ communiter fiunt agitur : et hæc in duo capita dividitur :**

## CAPUT I.

**De rebus requisitis ad cultum divinum.**

## CAPUT II.

**De Cæremoniis communibus quæ fiunt tam in Choro quam ad Altare.**

---

# CAPUT PRIMUM

## DE REBUS REQUISITIS AD CULTUM DIVINUM,

### IN V. ARTICULOS DIVISUM.

Art. I. De locis in quibus agitur cultus divinus.
II. De Altarium sacra suppellectili.
III. De Indumentis ministrorum Altaris.
IV. De Organis.
V. De Tempore et modo Campanas pulsandi ad divina Officia.

---

## ARTICULUS I.

### DE LOCIS IN QUIBUS AGITUR CULTUS DIVINUS.

#### §. I. De Ecclesia.

158. *Ecclesiæ* nostræ sunt Conventuales, seu Collegiatæ, et gaudent gratiis et privilegiis Ecclesiarum Conventualium et Collegiatarum. (*Ex Const. Greg. IX. Cum tanquam, 9. Apr.* 1228.) (1) « Ideo Fratres clerici » simul in Ecclesia Missam Conventualem debent au» dire, et Horas canonicas dicere. » (*Const. D. 1. C. 1. L. D*)

159. Ecclesiæ nostræ sint ita constructæ ut, quantum conditio loci permiserit, porta principalis respiciat

---

(1) Illustrior et excellentior est Ecclesia Collegiata qualibet simplici parochiali. Collegiatæ sunt secundæ post Cathedrales. (*Conc. Colonien.* 11. P. 11. C. 2.)

occasum, caput vero Ecclesiæ, seu Presbyterium, ad orientem vergat. (*Ex Miss. pass.*)

460. « In Ecclesiis nostris debent esse intermedia, quæ » dividant Chorum a sæcularibus ; et debent ubique sic » esse dispositæ, ut Fratres ingredientes in Chorum » non possint videri a sæcularibus, nec eos videre. (1) » Poterunt tamen aliquæ fenestræ ibidem aptari, ut » tempore elevationis SS. Corporis Christi possint » aperiri, et SS. Sacramentum a sæcularibus adorari. » (*Treveris* 1249.) In medio autem pariete qui dividit Ecclesiam Laicorum a Choro fulgeat Crux. (*Med.* 1505.)

461. « Confessionalia a lateribus Ecclesiæ, extra » Chorum, locis decentibus, cum fenestellis crate ali- » qua distinctis apte collocentur. » (*Const. Dist.* 1. *C. I.*) De alia autem supellectili, ambone, scamnis, etc., necnon sacris Iconibus et ornamentis instruatur Ecclesia, pro more locorum et facultatibus Conventuum. Imo « permittuntur in nostris Ecclesiis quædam superfluitates ad majorem decorem Domus Dei ; » (*Const. Dist. II.* 3. *III.*) et « admonentur adm. RR. PP. Provinciales et Priores, ut Ecclesiæ decorem totis viribus promovere satagant. » (*Rom.* 1686.)

462. « Ecclesiæ nostræ ad eum modum mundentur

(1) « Ex his patet quod Ecclesiæ sive Templa nostra ab antiquo sunt » divisa in tres partes. In prima, quæ dicitur in *Ordinario* frequen- » ter pars interior, stat Capella major, et juxta illam Altare majus, et » consequenter Chorus Fratrum clericorum. Deinde est alia pars se- » cunda, divisa a prima per parietem, sive per cratem ferream, quæ » dicitur in Ordinario frequenter pars anterior, sive Ecclesia laicorum, » ut patet in Rubrica Dominicæ in Ramis Palmarum et in aliis locis. » Et in hac secunda parte erant Fratres laici, et non in Choro Fratrum » clericorum sicut modo sunt. Item est alia tertia pars, quæ hic et in » pluribus locis vocatur pars exterior, in qua erant sæculares. In illo » itaque pariete debet esse unum pulpitum a dextris Altaris pro Epi- » stola cantanda in Festis, et aliud in sinistris pro Evangelio cantando » in diebus quibus notatur. » (*Fr. Joannes de Palentia, Annot. in Ordinarium.*)

» et ornentur, ut in eis nihil sit quod domum Dei » dedeceat. » (*Const. Dist. I.*) Item Romæ 1756, sic habetur : « Cum Instituti nostri ipsa postulet ratio ut » Domum Dei et diligamus et curemus, graviter ad- » monemus omnes et singulos cum Provinciarum, » tum Cænobiorum Præsides, ut omne studium, dili- » gentiam, in nitorem et munditiam Templorum con- » ferant ; quam quidem munditiam in ea supellectili, » quæ ad Sacrum peragendum, Eucharistiamque po- » pulis administrandam pertinent, præcipue et servari, » et coli optamus, atque præcipimus. » (*Adm.* 2.)

## §. II. De Præsbyterio et Altari.

463. *Præsbyterium* pars Ecclesiæ illa est quæ, vergens ad orientem, communiter figura hemicycli terminatur, vulgo tribuna, seu absis appellata. Pluribus gradibus, qui gradus Præsbyterii in nostris Rubricis dicuntur, Choro et cæteris Ecclesiæ partibus eminere debet. Decet etiam ut Præsbyterium a Choro seu reliqua parte Ecclesiæ dividatur pér cancellos.

464. *Altare* majus super unicum vel plures gradus in medio vel postica parte Præsbyterii emineat. In supremo Altaris gradu, veluti in Sanctis Sanctorum, soli Sacerdoti infra sacras functiones astare licet; Diaconus autem et Subdiaconus illum non ascendunt nisi ad opus ministerii ; Ministri vero inferiores in Missa majori nunquam. (V. n.° 813.) (*Ex Miss.*)

465. In ipso Præsbyterio, prope Altare, seu a cornu Epistolæ, aptetur aliqua fenestella, seu parva mensa, in qua urceoli vini et aquæ reponantur. (*Rub. gen. Miss. XXXIX.* 6.)

466. Sub Altari, vel in fenestella prædicta, vel in Sacristia habeatur piscina, vel Sacrarium, in quo projiciatur aqua, quæ ad sacrorum ablutionem et alia hujusmodi inservierit : quæ piscina in omni munditia

conservetur. In ea numquam alia ablutio recipiatur, nec in alios usus applicetur. (*Ven. Humb. De Off. Sacr.*)

467. Item in Præsbyterio, a parte Epistolæ parantur sedes quo sedeant Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus; et in eadem parte, vel alibi, scabella inferiora pro Acolythis. (*Ex Miss. De Off.* 4.) Quoad formam hujusmodi sedium servetur omnino sequens Decretum: « An Decretum S. R. C. 17. Sept. 1822, prohibens pro Celebrante sedem cameralem loco scamni cooperti tapete, (1) comprehendat etiam ritum Dominicanum? » — R. « Affirmative. »

468. Super gradus Præsbyterii, hinc et inde, duo vel quatuor candelabra majora et eminentia (prout habetur in pluribus antiquis Conventibus) poterunt apponi, in quibus intortitia, vel faces, seu majores cerei affigantur, juxta rubricam Missalis, in elevatione accendendi.

### §. III. De Choro.

469. *Chorus* est proprie locus in quo, juxta Ordinationes plurimorum Cap. Gener. et jus commune, persolvi debent Horæ canonicæ, tam Officii divini quam B. Mariæ Virginis, præter Matutinas ejusdem Officii quotidiani.

470. Chorus, juxta antiquum Ordinis morem, infra gradus prædictos Præsbyterii, ante Altare existit (2). In quo casu, inter gradus et sedes Fratrum communiter area sufficiens relinquitur ut præbeatur locus Cære-

---

(1) « Satis erit scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno, aptari a latere Epistolæ. » (*Cærem. Episc.* L. I. C. XII. 22.)

(2) Hoc semper supponit Ordinarium, et hic mos in pluribus Conventibus viget; in multis autem locis, a tribus circiter sæculis, Chorus habetur retro Altare, vel alibi. Utramque supponit Missale hodiernum dispositionem.

moniis quæ fieri notantur ante gradus. Ibi etiam cantari solent Orationes post incensationem Altaris.

471. Quod si Chorus existat retro Altare, tunc Altare majus in extima parte Præsbyterii ponitur, ita ut uno saltem gradu plano Chori supereminent : illa vero quæ dicuntur peragenda ante gradus Præsbyterii, in hujusmodi dispositione Chori, ante gradus Altaris plerumque fieri debebunt.

472 In interiori Chori circuitu disponi debent sedes, seu stalla, a dextris et a sinistris. Pars dextera Chori a dextris priorem locum occupantis extenditur : prior autem locus, si Chorus fuerit ante Altare, ille est qui remotior est ab Altari a parte Epistolæ ; si vero Chorus fuerit retro Altare, prior locus ille est qui remotior est ab Altari a parte Evangelii. (*Ex usu communi et ex Collect.*)

473. Communiter, in magnis saltem Conventibus, duo sunt ordines sedium in utraque parte Chori : superiores quidem in circuitu contra parietem; contra illas vero sedes inferiores, quæ dicuntur etiam Chorus inferior, in quibus ultimis, infra omnes Fratres clericos, et distincte ab ipsis, sedere solent Fratres laici. Ante quas aptentur formæ altitudinis ita depressæ, præsertim inferiores, ut super has Fratres prostrati jaceant pro tempore. (*Ibid. et ex Const.*)

474. Inter dicta stalla, in utroque latere Chori, adsint pulpita, quantum erunt necessaria; in medio vero pulpitum majus, quo Cantores et cæteri Fratres ad simul cantandum conveniunt. Alia autem habeantur pulpita mobilia ad cantandum Invitatorium, Lectiones, Epistolas, Evangelia, etc.. (*Ibid.*)

475. *Tabella*, in qua inscribitur nomen CHORUS, appendenda est in ea parte Chori in qua incipiendæ sunt Horæ canonicæ per hebdomadam, a dextris scilicet et sinistris alternatim. (V. n. 639.) (*Collect.*)

476. *Libri* autem ad servitium Chori et Altaris se-

cundum Ven. Humberti descriptionem authenticam sunt quatuordecim, ut sequitur : « Ordinarium, Mar» tyrologium, Collectarium, Processionarium, Psal» terium, Lectionarium, Antiphonarium, Graduale, » Pulpitarium (1), Missale conventuale, Epistolarium, » Evangeliarium, Missale minorum Altarium, Brevia» rium. » Alii autem libri prædictis fuerunt adjuncti, videlicet : Diurnum, Rubricarium, Officium Beatæ Mariæ Virginis, Calendarium perpetuum, (*Bull. Clementis XII. Exponi.*) necnon Calendarium annuale, seu *Ordo* divini Officii, prout moris est.

477. « Superfluitates notabiles a nostris Choris pe» nitus amoveantur, et amodo in Ordine nostro talia » numquam fiant. » (*Bonon.* 1240.)

Solet haberi in aliqua parte Ecclesiæ minor Chorus, in quo persolvi possunt Horæ canonicæ, præsertim Matutinum hyemali tempore. In hujusmodi Choro, si fieri potest, decet ut Altare erigatur. Pariter in Choro majori, præter majus Altare, alterum minus erigi potest, in quo Missæ Conventuales minoris solemnitatis celebrari possint.

## §. IV. De Sacristia.

478. In *Sacristia* asservantur et custodiuntur res quæ ad cultum divinum pertinent, et in ipsa Sacerdotes et Ministri se præparant ad sacras functiones. Ideo arcæ convenientes ibi disponantur pro tutiori rerum cu-

---

(1) Vid. *Liturgia Domenicana* etc., da F. Luigi Vincenzo Cassito, Dissert. 1., ubi inter cætera legitur : « I Graduali e gli Antiphonarj erano, dice il P. Echard, che ne vide degli antichi, disposti ne' leggii per intervalli, acciò i Frati potessero cantare e leggere da proprii stalli. *Pulpitario,* dove stavano distese le cantilene del *Gloria Patri*, de' Responsorj, i *Venite exultemus*, Litanie, Tratti, *Alleluia,* in somma ciò che da due o quattro doveva cantarsi vicino al pulpito, o leggio. »

studia et accuratiori earum conservatione, et omnis supellex aptetur pro majori, qua poterit, Fratrum commoditate. (1) In loco competenti inveniatur fons aquæ, ex quo Sacerdotes et Ministri possint manus abluere, et mappula cum qua illas possint extergere.

479. Altare, si fieri potest, in Sacristia collocetur, aut saltem aliqua Imago sacra. Præterea « in omnibus Sacri-
» stiis nostris, vel (si minus capaces illæ fuerint) in alio
» loco ipsis contiguo, Oratoria aliqua decenter præ-
» parata construantur, ubi Patres Sacerdotes celebra-
» turi, sacra præmissa confessione, et prævia oratione,
» digne et commode se disponere valeant. » (*Ulyssip.* 1618. 2.)

480. « In Sacristia quatuor appendantur tabellæ (2)
» in quarum prima Processus anniversarius Bullæ
» Cœnæ Domini; in secunda casus tam Episcopo quam
» Summo Pontifici reservati; in tertia Anniversaria
» ad quæ Conventus obligatur; in quarta Missarum
» quotidianarum numerus repræsentetur. » (*Const. D.* 1. *C.* 1. *n.*° 9.)

481. In loco decenti Sacristiæ, vel Ecclesiæ, collocetur capsa, in qua Oleum sanctum, annuatim renovandum, pro infirmis ungendis asservatur, apposita propria inscriptione; numquam vero in Tabernaculo ubi SS. Christi Corpus adoratur, conservetur. (*Ulyssip.* 1618.)

---

(1) Aditus Sacristiæ, quantum fieri potest, non in Præsbyterium ipsum pateat, saltem ubi Chorus est ante Altare, sed potius infra gradus Præsbyterii, ut supponit Ordinarium.

(2) In multis locis solet super aliquam tabellam scribi nomen Antistitis, ibidemque indicatur an aliqua Collecta imperata dicenda sit. Item, convenit affigi decretum de quo supra n.° 457.

## §. V. De Locis regularibus.

482. Cum in locis regularibus aliquæ peragantur sacræ functiones, haud superfluum visum est paucis verbis indicare pristinos usus, quos Ordo noster a monastica traditione acceperat. Quod non ita sane intelligendum est ut plura quæ in hoc §. continentur absolute præcipiantur, sed potius, quantum conditio loci permiserit, religiose conservanda consilientur.

483. *Claustrum* proprie dicitur area illa quadruplici porticu cincta, quam includunt fabricæ Monasterii. Claustrum juxta latus Ecclesiæ in quadrantem protenditur; in medio ejus, seu a latere, fons aquæ, seu puteus plerumque inveniri solet. Duplex aditus e Claustro in Ecclesiam ducit : unus in Chorum, alter in partem extimam Ecclesiæ. In magnis Conventibus alterum Claustrum ad caput Ecclesiæ, vel etiam tertium habetur, in quibus sunt domus Novitiorum et Infirmorum.

484. *Capitulum*, seu Aula capitularis, in latere Claustri, non longe a Choro invenitur. In eo, contra mediam parietem eminet sedes Prælati, nisi ibidem Altare erectum sit, in cujus suppedaneo prædicta sedes poni solet tempore Capituli. Scamna circumcirca habentur, super quæ Fratres a dextris et a sinistris Præsidentis sedeant, ita ut priores in ordine sint illi viciniores. Pulpitum mobile ibidem sit ad legendum quando opus fuerit Martyrologium.

485. In *Refectorio*, sub Imagine principali existit mensa Prælatorum. Mensæ ex utroque latere contra parietem super aliquem gradum ponuntur. Locus autem dignior est locus nolæ, quæ in medio supra mensam Prioralem suspenditur : ubi autem, ex consuetudine, mensa prædicta dividitur, locus dignior est in parte dextra ejusdem Imaginis. Cætera loca eodem ordine dignitatis ac in Choro, a dextris scilicet et a si-

nistris Imaginis alternatim disponuntur, servatis tamen circa hoc approbatis consuetudinibus.

486. Contra vel etiam intra parietem lateralem, aut in medio Refectorii, eminet pulpitum pro lectione mensæ. Ante aditum ejusdem, in ipso claustro, seu in aula *Atrium* vulgo dicta, scamnis undique munita, fons aquæ reperitur, ex quo Fratres manus ante refectionem abluere possint.

487. *Dormitorium* locus est in quo hinc et inde cellarum patet aditus. In eo erigi debet Altare B. Mariæ Virginis, ante quod recitentur pro tempore Matutinæ ejusdem B. Virginis.

## ARTICULUS II.

## DE ALTARIUM SACRA SUPELLECTILI.

### §. I. De Altari et vasis ad celebrandum requisitis.

488. Præter Altare majus, de quo jam supra, Altaria minora, præsertim SS.^mi Rosarii et SS. Nominis Dei, cum hujus nominis Societates semper existere debeant in Ecclesiis nostris, erigantur, et pro sua dignitate collocentur. Possunt etiam erigi Altaria in diversis Oratoriis Conventus (1).

(1) Omnia Altaria Ecclesiarum Ordinis nostri sunt privilegiata quoad quoscumque Sacerdotes ipsius Ordinis celebrantes, necnon in suffragium animarum omnium Christi fidelium defunctorum. (*Const. Bened. XIII. confirmata a Bened. XIV. et Pio IX.*)

Privilegia Altaribus in Ecclesiis Ordinis nostri jam concessa a fel. rec. Bened. XIII. sub die 22. Sept. 1724 per Bullam quæ incipit *Exponi nobis*, SS. D. N. Pius Papa IX. sub die 10. Nov. anni 1864, ad instantiam Fr. Dom. Tressera Provinciæ SS. Rosarii insularum Philippinarum, benigne extendit ad Ecclesias, vel Oratoria, vel Cappellas actu rectas et administratas a FF. Prædicatoribus, durante tamen eorum regimine vel administratione tantum.

489. « *Altare* in quo sacrosanctum Missæ Sacrificium » celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Epi» scopo sive ab Abbate a Sede Apostolica facultatem » habente consecratum; vel saltem Ara lapidea, per» polita (quæ vocatur Altare portatile), similiter ab » Episcopo vel ab Abbate facultatem habente conse» crata, integra, aut non pro majori parte fracta; sed » tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Ca» licis capiat; quæ quidem mensæ Altaris apte inse» ratur, atque ita, ut infra utrumque mensæ cornu » in medio collocata, ab ipsius fronte non longius di» stet spatio circiter palmi. Sic vero inserta sit Altari, » ut e mensæ superficie paululum aliquid extet, quo » Celebrantis tactu dignosci possit. » (*Rubr. Miss. XXXIX.*) (1)

490. Ante Altare quodcumque, sit unus saltem gradus, seu suppedaneum, in quo stat Sacerdos dum sacrum peragit. Solet autem retro mensam in parte posteriori alius saltem gradus erigi, super quem ponuntur Crux et candelabra de quibus infra.

491. « Collocetur super Altare *Crux* Christi in medio candelabrorum » (*Ibid.*) : quæ non sit parva (2), et ibidem remaneat, juxta morem Ordinis, etiam quando SS. Sacramentum est patenter expositum infra Missam. (*S. R. C.* 2. *Sept.* 1741.) « Ad pedem Crucis po-

---

(1) « An liceat habitare diu noctuque et etiam dormire in domibus ædificatis super Capellis Ecclesiæ, in quibus quotidie celebratur? » — R. « Non licere, sed omnino prohibendum. » (*S. R. C.*, 11. *Mart.* 1641.)

(2) « An Cruces Altarium seu Processionum sint benedicendæ de præcepto? » — R. « Negative. » (12. *Jul.* 1704.)

S. R. C. declaravit « parvam Crucem sufficientem non esse, sed » poni debere aliam Crucem in medio candelabrorum. » (16. *Jun.* 1663.) Item Bened. Papa XIV. in Encyclica 16. Jun. 1746, ubi legitur: » certissimum est violari leges Ecclesiæ si exigua tantum Imago Cru» cifixi præfigatur minori Tabulæ vel Statuæ Sancti. » (*Vid. Gardell. III. p.* 218.)

» natur tabella continens formas consecrationis. » (*Ibid.*)

492. « *Candelabra* saltem duo cum candelis accensis » hinc et inde in utroque latere collocentur.» (*Miss. ibid.*) In Altari vero ubi solemniter celebratur totidem candelabra ponuntur quot cerei requiruntur. (V. n.° 514. et seq.)

493. « In cornu Epistolæ *pulvinar*, seu cussinus » supponendus Missali apponatur. » (*Ibid.*) In Missa autem majori, præter Missale, utimur libro Epistolarum qui ponitur in parte Epistolæ, et libro Evangeliorum qui ponitur in cornu Evangelii cum pulvinari; quæ pulvinaria sint, quoad fieri potest, coloris convenientis cum Officio diei.

494. « Ab eadem parte Epistolæ » (super proprium candelabrum communiter a latere Altaris affixum) » ponatur *cereus* ad consecrationem et elevationem » Sacramenti accendendus; et teneatur a Ministro » accensus usque ad communionem peractam. » (*Ibid.*)

495. « Super Altare autem, vel sub ipso, nihil om- » nino ponatur, seu recondatur quod ad Missæ Sacri- » ficium, vel ad ipsius Altaris ornatum non pertineat. » » (*Ibid.*)

496. Requiritur insuper « *Calix* consecratus cum » *Patena* conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, » vel argentea, vel stannea, non ærea vel vitræa, » (V. n.° 1164.) semper autem intus inaurata.

497. « Pro materia autem Sacrificii requiritur ut » panis sit triticeus et vinum de vite, et ut hujus- » modi materia consecranda in actu consecrationis sit » coram Sacerdote. » (V. n.° 1117.)

498. *Hostia*, rotundæ figuræ, « debet esse diligenter » ab omni scabritie a Sacerdote mundata, et nihil » habere quod indignum Sacrificio judicetur, utpote » non fracta, non referta maculis, non perterebrata » foraminibus. » (*Miss. Quomodo, etc.*)

499. « *Vinum* debet esse sanum et mundum, simili-
» ter aqua recens et munda. (*Miss. de Offic. Servit.*)
» Vino debet admisceri tanta quantitas aquæ distil-
» landa in Calicem, quæ facillime tota possit in vinum
» converti. » (*Miss. Quomodo, etc.*)

500. « *Ampullæ* vini et aquæ non ex aurichalco,
» aliove impuro metalli genere, sed ex argento, aut
» stanno, vel potius e crystallo aut vitro perlucido;
» ab omni etiam parte sordibus puræ, et suo quæque
» operculo argenteo, stanneove, apte contectæ sint;
» et cum pelvicula et manutergio mundo, a cornu Epi-
» stolæ in fenestella seu in parva mensa ad hoc præpa-
» rata, collocentur. » (*Miss. XXXIX.*)

501. Pro Missa solemni insuper habeantur : duo *candelabra* pro Acolythis; *thuribulum* cum navicula et thure et cochleari; instrumentum quod dicitur *Pax*, quod est imago Crucifixi, vel alia sacra Icon, aliquo panno quo extergatur munita; *Crux* deferenda, cum hasta et velo appenso (quod coloris Officio congruentis convenienter erit), sive in Totis Duplicibus in Missa, sive etiam in Processionibus. (*Ex Miss. passim.*)

502. « Tempore frigoris magni habeatur *patella*
» decens cum prunis ardentibus, ab Acolythis mini-
» stranda tempore opportuno. » (*Miss. De Offic. Minist.*)
« Tempore vero muscarum Diaconus utatur *flabello*
» ad abigendas muscas, ne molestent Sacerdotem. »
(*Ibid.*) (1)

503. Vas deferendum cum Aqua benedicta et aspersorio, tum in Aspersione ante Missam, tum in Processionibus, etc... Vasa Aquæ benedictæ etiam ponuntur ad januas Ecclesiæ et Sacristiæ, ad usum tam Fidelium quam Sacerdotum et Ministrorum. (2)

---

(1) Usus flabellorum adhuc viget in paucis Conventibus.
(2) In cellis etiam solet haberi Aqua benedicta.

## §. II. De Linteaminibus et Paramentis Altarium.

**504.** « Altaris mensa, maxime consecrata, decenter » ornata et munda sit; tribusque *mappis* lineis et » mundis, ab Episcopo vel ab alio habente potestatem » (1) benedictis strata : superiori saltem oblonga, quæ » usque ad terram pertingat, duabus aliis breviori» bus, vel una duplicata; quæ etiam habeant coo» pertorium coriaceum, vel ex grossiori et colorata » tela, quod a pulvere et aliis immunditiis ipsas map» pas præservet. » (*Miss. XXXIX.*)

**505.** « *Corporalia* », supra quæ semper consecrari et reponi debent SS. Corpus et Sanguis Domini, « e tela » linea, pura et candida sint, simplicia, nihil elabo» rata, nulla in parte rupta, et nihil serici intextum » habeant, acus opere simplici, punctim solum re» torta sint. Eadem non notabiliter parva aut magna » erunt, sed convenientis mensuræ, ita ut latitudo sit, » quæ quatuor plicas in longum, et tres in latum non » excedat. » (*Ibid.*) Quæ benedicantur, ab iisdem qui supra, cum formula speciali.

**506.** Parva *Palla* sit ad cooperiendum Calicem, quæ (præter amplitudinem) ex eadem materia et eodem modo confecta sit ac ipsa Corporalia, et similiter benedicatur. (*Ex Miss. et al.*)

**507.** « In *bursis* vero, (quæ ita vocantur) Corporalia » reponantur ; illæque intrinsecus serico aut tela tenui » candida circumvestitæ sint ; et illæ super velum » Calicis imponantur, dum Calix ad Altare deferen» dus est : habeantque Crucem vel aliam sanctam » Imaginem ex una parte intextam, » (*Ibid.*) « ex altera » vero verba consecrationis in scheda descripta, » ubi

---

(1) Prælato, scilicet, pro suo Conventu tantum.

tabellæ non sunt in Altari eadem continentes. (*Const. Dist. I. C. I.*)

508. *Purificatoria*, ad extergendum Calicem, os et manus Sacerdotis post ablutiones, « sint alba et bene » nitida : » (*Miss. ibid.*) quæ non indigent benedictiône. (*S. R. C.* 2. *Sept.* 1816.) Purificatoria, et alia linteamina prædicta : Mappæ, Tobaleæ, Corporalia, et Pallæ « sint » omnino linea, vel ex cannabe. »(*Decret. S. R. C.* 1819.)

509. *Manutergium* mundum de quo supra n.° 500, » *Mappula* ad extergendas nares, juxta Missale po- » nenda. » (1) (*Miss. De Præp.*)

510. « Altarium autem Mappæ, necnon et strophiola, » ac alia ad usum Altarium et Sacerdotum deputata » sæpe laventur. » (*Miss. XXXIX.*) Corporalia vero et Pallæ et Purificatoria seorsim ab aliis sunt abluenda, et lotio in piscinam projicienda. Cum autem vetustate fuerint consumpta, comburantur, et cineres in eamdem piscinam projiciantur. (*Ex V. Humb. De Off. Sacr.*)

511. A parte Altaris apponatur *Pallium*, seu paramentum sericum, coloris diei convenientis, idque sectis quadratisque lignis munitum, quæ telaria vocant, ne rigosum aut sinuosum, sed extensum et explicatum decentius conspiciatur. Nullæ tamen coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur, sed eorum loco apponi poterunt fasciæ, ex auro vel serico elaboratæ ac variegatæ, quibus ipsa Altaris facies apte redimita ornatiorque appareat. (*Cærem. Episc. L.* 1. *C. XII.*) Desuper in alto appendatur umbraculum, quod *baldachinum* vocant, formæ quadratæ, cooperiens Altare et ipsius Altaris scabellum, nisi tamen super Altare ha-

(1) « An liceat Sacerdotibus deferre manutergium super Calicem, tam eundo quam redeundo ab Altari? » — R. « Non licere. » (*S. R. C.* 1. *Sept.* 1703.)
Usus autem ponendi dictam mappulam juxta Missale, jam obsolevit.

beatur Ciborium ex lapide aut ex marmore confectum. (*Ibid. et S. R. C.* 27. *April.* 1697.)

512. Insuper, Altaria decorentur aliis ornamentis honestis et pulchris, præcipue sacris *Imaginibus*, et capsis Sanctorum *Reliquias* continentibus, quæ disponi poterunt inter candelabra; sed et vascula cum flosculis frondibusque odoriferis, seu serico contextis studiose ornata adhiberi poterunt.(*Cærem.Ep.*)(1) Hoc autem fiat pro varietate temporum et dignitate Festorum, ita quod in diebus solemnioribus meliora producantur. (*Ex. Ven. Humb.*) Item, in suppedaneo et in gradibus Altaris et ante illud extendantur *tapetia*, seu panni, sive ad ornatum maxime in Solemnitatibus, sive ad prostrationem dum dicuntur Psalmi pœnitentiales ante Missam. (*Ex usu et Miss.*)

513. Quando autem Cruces et Imagines velari, et Altaria denudari debebunt, triduo ante Pascha, vid. in Rubricis propriis.

## §. III. De Cereis accendendis in Altari, tam in Officio quam in Missa.

514. « In *magnis Solemnitatibus*, sex ad minus cerei » accendi debebunt in Altari majori pro Missa Sole- » mni. Idem servetur in Vesperis et Matutinis. » (*Miss. De Offic.*) In Completorio tunc quatuor accenduntur. (2) (*Cærem. Ciant.*)

515. « In *Dominicis* vero, et *Festis Duplicibus* et *Totis Duplicibus*, non plures quam quatuor » accendantur in

(1) Dum autem SS. Sacramentum manet expositum, neque Reliquiæ neque Imagines debent exponi, ut dicetur infra. — « An ante ostio- » lum Tabernaculi SS. Sacramenti retineri possit vas florum vel quid » simile quod prædictum occupet ostiolum ? » — R. « Negative, posse » tamen in humiliori et decentiori loco. » (*S. R. C.* 22. *Januar.* 1701.)

(2) Quoad cæteras Horas nihil invenitur præscriptum in nostris Rubricis.

Altari pro Missa majori, et similiter in Vesperis et Matutinis. (*Miss. Ibid.*) In Completorio vero duo tantum accendi solent. Idem poterit observari in diebus Octavis Solemnissimis et Solemnibus, si talis fuerit consuetudo.

516. « In *Festis Simplicibus*, (necnon in *diebus Octavis Simplicibus*, et in omnibus diebus ritus inferioris), » non accendantur plures quam duo, tam in Missa » solemni quam in Matutinis et Vesperis » et Completorio. (*Ibid.*) « In Missis autem etiam Ferialibus » vel Defunctorum minus quam duo accendendi non » erunt. » (*Ibid.*)

517. In *Missis* autem *Solemnibus* Votivis aut Defunctorum, videlicet : In die Animarum, in die Obitus vel Anniversarii, etc., accenduntur pro solemnitate quatuor vel plures, servata consuetudine.

518. In *Missis privatis*, (nisi celebrans fuerit Episcopus), non plures quam duo accendi debent. (1) In consecratione autem accenditur alter cereus de quo supra n.° 494; in Missa vero majori plures accenduntur in elevatione, prout in Rubrica Missalis habetur. (2) (*De Offic.* 21)

519. In pluribus aliis casibus debent plures ardere cerei in minoribus Altaribus, videlicet : dum thurificantur in Vesperis et Laudibus, si fuerint thurificanda; dum cantantur coram ipsis Litaniæ B. M. V., vel

---

(1) Hoc expresse habetur in Decreto S. R. C. 27. Sept. 1659, 21, ubi « legitur : « Prælati Episcopis inferiores in Missis privatis quoad indu- » menta, cæremonias, Ministros... a simplici Sacerdote non discre- » pent : ac proinde... unico sint contenti Ministro, aquam cum pelvi » et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum » candelas super Altare adhibeant. » Quod aliis pluribus Decretis confirmatur. (*V. Gardell.*)

(2) Rubrica Missalis, subobscura quidem, supponere videtur quod illi cerei tunc accendantur qui supra majora candelabra hinc inde affiguntur. (V. n.° 468.)

*O spem miram ;* vel dum in eis remanet exposita Reliquia, ut suo loco dicetur.

De Cereis autem accendendis coram SS. Sacramento exposito, n.° 531. et seq.; et similiter de candelis accendendis et deferendis tum Triduo ante Pascha, cum in Processionibus et in aliis circumstantiis, vid. in Rubricis propriis respective.

520. Cerei et candelæ quibus utendum est in sacris functionibus ut supra, ex pura et candida cera, (1), non autem ex alia materia, confici debent; ita ut abstinendum esset a celebratione Missæ, si non adsint luminaria cerea. (V. n.° 1116.)

521. Quoad modum illuminandi Chorum aut Ecclesiam, fiat pro consuetudine locorum. In antiquis Conventibus mos est accendendi unam lampadem coram magno pulpito in medio Chori. Solent etiam quæcumque pulpita in Choro a luminibus absconsis illuminari, sive in pulpito fixis, sive a lectoribus sustinendis. Insuper, Cantor, aut is cui injunctum fuerit, « provideat Sacerdoti de lumine cum umbraculo, si » opus fuerit, pro legendis Capitulo et Orationibus. » (*Collect.*) (2) Palmatoria autem, seu vulgo *Bugia,* uti vetitum est, prout ex pluribus decretis patet, specialiter ex sequenti, ad R.$^{mum}$ P. Generalem Ordinis Prædicatorum directo, quod est infrascripti tenoris: « Quum S. R. C. compererit Priorem Ordinis Prædica» torum Civitatis Pinnensis, eoque absente Suppriorem, » in ecclesiasticis functionibus uti Palmatoria, quod

(1) In Officio autem lugubri, videlicet pro Defunctis, necnon in candelabro triangulari Triduo ante Pascha et in die Parasceves congruenter adhibetur cera communis vel flava, prout habetur in Cærem. Episcop.

(2) Sic habet Ordinarium : « tradatur lumen in absconso Priori ad videndum Orationem. » (*De thurif.*) « *Lumen in absconso,* ait F. L. Cassito, diceasi la lanterna cieca nella quale sta nascosta la candela. » (*Præf. ad Ord.*)

» omnino vetitum est, in ordinariis Comitiis ad Vati-
» canum subscripta die coadunata, ad relationem mei
» infrascripti Secretarii decrevit, ut Paternitati Tuæ
» scriberetur quod, veris existentibus expositis, curet
» ut abusus omnino de medio tollatur. Ipsa igitur di-
» ligentissime Sacra Congregatio, mentem et jussa
» aperiens, memoratis Priori et Suppriori Cœnobii
» Pinnensis, eos adducat ut Decretis strictim obtem-
» perent. Et diu felix vivas. » (23. *Febr.* 1839. *Collect. Gardell.* 4845.)

## §. IV. De rebus ad SS. Eucharistiam specialiter pertinentibus.

522. « Ad reservandam sacram Communionem ha-
» beri debet *Tabernaculum* decens et honestum super
» Altare, vel in alio decenti loco, ad Sacramentum
» Corporis Christi honorifice collocandum. » (*Miss. De sacr. Comm.*) In uno vero tantum loco conservetur. (*Ulyssip.* 1618.)

523. « Intra Tabernaculum habenda est *Pyxis* ar-
» gentea, vel ex alia pretiosa materia (prout supra
» de Calice dictum est n.° 496.) in qua conservandæ
» sunt Hostiæ consecratæ, non tamen in magna mul-
» titudine. Provideatur autem quod tam Tabernaculum
» quam Pyxis prædicta sic caute stabiliantur et clau-
» dantur, ne aliquo casu possint prædictæ Hostiæ cade-
» re, vel inde removeri, nisi per ministerium Fratrum,
» cum fuerit aliqua Communio facienda. » (*Miss. Ibid.*)

524. « Præcipitur omnium Conventuum nostrorum
» et Provinciarum Præsidentibus ut singulis septima-
» nis SS. Sacramenti Eucharistiæ formæ, seu parti-
» culæ, etiam illæ quæ sæcularibus porrigi solent,
» qua par est reverentia, inspectione et munditia,
» prout tantum Sacramentum decet, renoventur. »
(*Const. de Offic. Eccl.*) « Hostiæ vero seu particulæ con-

» secrandæ sint recentes.» (*Rit. Rom. de Sacram. Euch.*)

525. Tabernaculum prædictum sit benedictum, intrinsecus circumvestitum panno decenti albi coloris, exterius *Conopæo* decenter coopertum. Conopæum istud confici potest etiam ex panno sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto, et coloris albi, aut melius convenientis cum Officio diei. (*S. R. C.* 21. *Jul.* 1855.) Pyxis cooperiatur suo proprio cooperculo, et mappula munda (*Collect.*) illaque sit consecrata, (*Miss. Ibid.* 4.) seu benedicta. (V. n.° 504 et 527.)

526. Nihil aliud quam Corpus Christi recondatur in Tabernaculo, nec etiam Oleum sanctum (*Ulyssip.*); nec eodem Tabernaculo superimponantur Reliquiæ, vel pictæ Imagines Sanctorum, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat (*S. R. C.* 31. *Mart.* 1821.) Communiter juxta Tabernaculum habetur vas decens aquæ cum Purificatorio ad abluendos digitos Sacerdotis postquam sacram Communionem extra Missam ministravit.

527. Ad exponendum patenter et deferendum solemniter in Processionibus SS. Sacramentum requiritur aliud Tabernaculum portatile, quod *Ostensorium* vocant, in quo aptetur lunula, seu sphera, inter crystallos inclusa, continens Corpus Christi : quæ sit ex auro, vel ex argento deaurato, et benedicta a Prælato, vel ab alio habente potestatem. (*Ex Process.*)

528. *Thronus* cum baldachino proportionato, albi coloris, vel ex ligno aurato, super Altare in loco eminenti præparetur, ad collocandum SS. Sacramentum durante expositione, post repositionem vero auferendus. (*Ex Instr. Clem.*)

529. *Baldachinus* albi coloris, in Processionibus super SS. Sacramentum ab antiquioribus Fratribus vel nobilioribus sæcularibus deferatur. Umbella vero, seu minor baldachinus, habeatur pro delatione SS.^mi Sacramenti minus solemni. (*Ex Process.*)

530. *Velum* oblongum habeatur, albi coloris, super

humeros Sacerdotis imponendum, et cujus extremitatibus sacra Pyxis tegatur; (*Ex Miss. Process.*) aliudque velamen super arundinem, ubi consuevit, quo velatur SS.Sacramentum expositum infra concionem,si qua fiat.

531. Coram Tabernaculo, in quo repositum est SS. Sacramentum, « una saltem *Lampas* accensa pendeat. » (*Neap.* 1600.); et si plures accendantur, congruentius numero impari.

532. Quando vero SS. Sacramentum manet publice expositum in Ostensorio, si fiat oratio 40 horarum, viginti requiruntur cerei accensi; (*Ex Inst. Clem.*) Si vero de alia expositione solemni agatur, ut quid certi generaliter habeatur, sexdecim ardeant lumina, nunquam vero minus quam duodecim, prout innuit sacra Cong. Concilii. Serventur tamen quoad hoc leges synodales et piæ ab Episcopis approbatæ consuetudines.

533. Dum autem exponitur SS. Sacramentum intra Tabernaculum in Pyxide, sex cerei requiruntur et sufficiunt.

De cereis deferendis in Processionibus, lucerna, campanula, necnon aliis rebus quibus utendum est ad deferendum SS. Sacramentum in diversis circumstantiis dicetur in propriis Rubricis.

## ARTICULUS III.

### DE INDUMENTIS MINISTRORUM ALTARIS.

534. Indumenta ecclesiastica sunt duplicis generis: alia sunt alba et linea, seu ex cannabe; alia vero diversi coloris, et communiter serica. His addimus Cappam Ordinis, quæ defertur in Choro.

#### §. I. De Indumentis lineis.

535. *Superpelliceum*, manicas amplas habere debet. Eo utuntur:

— Sacerdos, vel Diaconus, deferens, vel ministrans Sacram Eucharistiam, nisi Alba indutus fuerit;

— Sacerdos ministrans Sacramentum Extremæ Unctionis ;

— Qui facit Officium in incensatione Altarium in Laudibus et Vesperis, et illud induit super Amictum ;

— Prior in Benedictione Cinerum ;

— Acolythi, Thuriferarius et Cruciferarius quando, tam in Missa Conventuali quam extra, ministrant, et Albis non debent vestiri ;

— Qui cantant in medio Presbyterii Lectiones in Missa Feriæ aut Vigiliæ, aut Epistolam quando non adest Subdiaconus. Item qui cantant Litanias Sanctorum certis diebus in medio Chori.

— Item Sacerdos in Processionibus quæ non fiunt immediate ante aut post Missam, in quibus debet induere Cappam sericam.

Deferens autem Aquam benedictam in Processione semper utatur Superpelliceo.

536. Quando vero « Fratres, sive ad Officium Mis-» sæ sive ad alia Officia utuntur Superpelliceis debent » deferre scapulare sub ipsis, ita tamen ut caputium » scapularis sit extra scapulas ordinatum. »(*Const. D. I. De Vest.*) (1)

537. *Camisia* cum manicis strictis idem esse videtur ac *Rochettum*. In Rubricis modernis jam non præscribitur illa vestis nisi ad Mandatum peragendum, et ad ungendum infirmum, cum Superpelliceo, prout videre est in propriis locis. Sed ab origine Ordinis introducta,

---

(1) Circa hoc diversa reperitur in Ordine consuetudo : Fratres enim non Sacerdotes generaliter Superpelliceum induunt sub illa parte caputii ab humeris dependente ; in multis autem Provinciis Fratre Sacerdotes, Superpelliceum deferentes, etiam sine amictu, illud induere solent uti induitur Alba.

in antiquis Conventibus etiam nunc in pluribus ecclesiasticis functionibus solet adhiberi. (1)

538. *Amictus* capiti operto caputio imponitur. Sit ex tela, lino vel cannabe confecta (2), et habeat ad angulos anteriores chordulas satis longas quæ possint ad cingulum firmari, vel melius ante pectus ligari ; soletque signari parva Cruce acus opere depicta in parte anteriori : quo utuntur Sacerdos in incensatione Altaris ; idem Diaconus et Subdiaconus quoties Albam induunt, et quicumque induit Cappam sericam. (*Miss. pass. et Collect.*) (3)

539. *Alba* sit ex tela, ut supra, habeatque manicas strictas, « et tam longa sit, ut ad latitudinem digiti, vel » circiter, prope terram fluat. » (*Miss. Quom.*) Illam induunt :

— Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus pro Missa celebranda, et pro Benedictionibus et Processionibus quæ immediate Missam præcedunt vel sequuntur, excepto Priore in Benedictione Cinerum ;

— Item Diaconus et Subdiaconus quoties utuntur Dalmatica (V. n.° 551.) ;

---

(1) Fratres Prædicatores, SS. Patriarchæ Dominici viam secuti, qui de numero fuit Canonicorum Regularium S. Augustini, Rochetto, ut veste ordinaria, ab initio Ordinis utebantur, illudque retinuerunt in aliquibus saltem functionibus sacris. Quod constat tum ex historicis Ordinis, tum ex antiquis Rubricis : Ordinarium enim præcipiebat Sacerdoti Missam etiam privatam celebranti, ut « induendo se, » cum habere poterit, Camisiam primo induat. »

Rochettum autem non est vestis pro administratione et susceptione Sacramentorum. (vid. Gard. 5165. ad 5.)

(2) S. R. C. decrevit Amictus et Albas « conficiendos esse ex lino aut » cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, » candore ac tenacitate linum aut cannabum æmulante et æquante. » (*Decr. gen.* 18. *Maii* 1819.)

(3) De amictu induendo a Ministris inferioribus cum Albam deferunt, prorsus silet Rubrica ; ideo servetur usus.

— Ministri inferiores Altaris, in Festis Duplicibus et supra, si tamen solemniter celebrantur, tam in Missa solemni quam in incensatione Altarium, et in Processionibus quæ his diebus fiunt. Item Dominica in Ramis Palmarum, et Feria V. in Cœna Domini, sive in Missa et Processione, sive in Altarium ablutione et in Sermone Dominico. Item in Missis quæ cum speciali solemnitate celebrantur. (1) Item quatuor Fratres deferentes corpus Defuncti ad locum sepulturæ.

540. *Cingulum* (2) tam longum esse debet ut, firmata stola (quando defertur) decenter pendeat ex utroque latere. Eo cingitur quicumque induit Albam.

### §. II. De Indumentis sericis (3).

541. *Manipulum* habeat in parte superiori et in partibus inferioribus Crucem intextam. Quo utuntur :

—Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus, ad aspersionem Aquæ benedictæ diebus Dominicis, et ad Missam semper.

---

(1) Ex generali consuetudine possunt Albæ fimbriis, vel opere phrygio tum in manicis tum in parte inferiori distingui. Id tamen tam moderate fiat, ut illud accidentale non evadat principale, et servetur sequens decretum : « An liceat in fimbriis et manicis Albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere..? » — R. « Negative. » (17. *Aug*, 1833.)

In multis Provinciis mos invaluit ut Ministri inferiores semper Superpelliceum induant, prout fit in ritu Romano.

(2) Potest esse laneum vel sericum et ejusdem coloris ac indumenta serica, congruentius tamen lineum (*S. R. C.* 22. *Jan.* 1701.)

(3) Indumenta de quibus in præsenti §. semper sub nomine indumentorum sericorum in Rubricis nostris designantur. Exempli gratia : « Absque *sericis* indumentis » (*De præpar.* 1). « Cappa *serica* » (*De Asp.* 2. *Et, in Const. Cap.* L. T. IV. — *Vid. etiam Miss. Rubr. Feriæ V. in Cœna Domini, et in die Ascensionis*, etc., etc.,) Insuper : « Num Planetæ, Stolæ et Manipula possunt confici ex tela linea, vel gossypio, vulgo Percallo, coloribus præscriptis tincta aut depicta ? » — R. « Serventur Rubricæ, et usus omnium Ecclesiarum quæ hujusmodi Casulas non admittunt. » (*S. R. C.* 22. *Sept.* 1837.)

— Item Feria V. in Cœna Domini in ablutione Altarium.

— Item Feria VI. in Parasceve ad adorationem Crucis, tam qui ad Officium, quam duo Sacerdotes et duo Diaconi deferre debent Manipulum. (*Miss. prop. loco.*)

— Similiter Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus in Officio sepulturæ Fratrum. (*Process. et Coll.*)

— Item Diaconus et Subdiaconus in cantandis Genealogiis et Sermone Dominico. (*Ibid.*) (1)

542. *Stola* similiter Cruce tum in parte superiori tum in partibus inferioribus ornatur. Stolæ quibus utuntur Sacerdotes extra Missam solent ante pectus ligari; eæ vero quibus utuntur Diaconi taliter debent aptari, ut a sinistro humero sub dextrum per transversum reducantur, ubi extremitates colligatæ decenter pendeant. (*Ex Miss. Ibid.*)

543. Sacerdos utitur Stola in Missa. Extra Missam vero ea uti debet ad ministrandam vel recipiendam S. Eucharistiam, vel quotiescumque tractandum aut deferendum est SS. Corpus Christi.

— Item ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ in Ecclesia, et Sacramentum Extremæ Unctionis, vel alia Sacramenta, si quæ forte administranda occurrerint.

— Item ad Benedictiones, excepta Benedictione Itinerantium et Mensæ.

— Item ad incensationem Altarium in Laudibus et Vesperis.

— Item ad exponendas sacras Reliquias S. Crucis aut Sanctorum.

— Item ad omnes Processiones (exceptis Processione ad *Salve Regina*, et quæ immediate sequitur.)

---

(1) Non obstantibus Decretis. (*Vid. Litt. Mag. Ord. n.° V.*)

— Item ad aspersionem Aquæ benedictæ ante Missam.

— Item ad ablutionem Altarium Feria V. in Cœna Domini et ad adorationem Crucis Feria VI. in Parasceve.

Item in Officiis Commendationis animæ, et post obitum Fratris, in delatione corporis Defuncti, tum ad Ecclesiam tum ad sepulturam ; et similiter Sacerdotes assistentes ad Officium sepulturæ ; denique ad Commendationes faciendas circa cadavera Defunctorum.

544. Diaconus autem utitur Stola quoties in supradictis functionibus Manipulum deferre debet, et pariter dum defert S. Eucharistiam. Item duo Diaconi cantantes *Agios* in die Parasceves.

545. *Casula* seu *Planeta* semper utitur celebraturus Missam cum Manipulo et Stola super Albam. (*Miss.*) Item, Sacerdotes in Processione SS. Corporis Christi, vel aliis solemnissimis, possunt induere Casulam, sine Manipulo et Stola, cum Amictu super Albam. (*Process.*) (1)

546. « *Cappa* seu *Pluviali* utitur Sacerdos in Pro» cessionibus, et Benedictionibus quæ fiunt in Altari » excepta Benedictione Cinerum (*Miss.*), necessario vero in Processionibus et Benedictionibus SS. Sacramenti, et congruentius in Benedictione cum Pyxide (*Proc.*); Item ad aspersionem Aquæ benedictæ ante Missam quando immediate sequitur Benedictio, aut Processio (*Miss.*);— « Item in Officio Laudum et Vespe» rarum quando solemniter dicuntur » ad incensationem Altarium (*Ibid.*); — « Item quando Sacerdos post

(1) « Utrum Sacerdos in Missa privata sacris indutus Paramentis » possit Cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas præ» bere expleta Missa ? »—R. « Affirmative »(*S. R. C.* 16. *Mart.* 1833.) *Vid. etiam Art. de Communione.*

» Missam Defunctorum facit Commendationem in se» pultura Defuncti, vel etiam circa feretrum. » (*Ibid.*)

— Item in Receptione solemni Legatorum S. Sedis, vel aliorum Principum. (*Process.*)

— « Dum autem utitur Cappa semper deponit Manipulum. » (*Miss. Ibid.*)

— Solus Hebdomadarius, tam in Choro quam in Processionibus, utatur Cappa serica ; exceptis Processionibus in Solemnitate SS. Corporis Christi, et in Festis Sanctorum Ordinis nostri, in quibus Cantores solent induere Cappam sericam.(*Const. et Process.*)

547. « *Dalmatica* seu *Tunicella* in Missis Conventua» libus utuntur Diaconus et Subdiaconus omnibus » Dominicis diebus, et in Festis Trium Lectionum et » majoribus quæ illis diebus celebrantur. »

— « Item in omnibus Missis Votivis, quæ singulis » septimanis, correspondent Officio in Ordine nostro » ex privilegio, vel consuetudine secundum morem » Provinciarum dici solito.

— « Similiter in omnibus Octavis de quibus fit Offi» cium. »

548. « Tempore vero Feriarum Quadragesimæ, et in » quibuscumque aliis Missis de Feria, Vigiliarum, » Rogationum, et Quatuor Temporum Septembris et » Adventus, (nisi aliquod Festum illis diebus occur» rerit, vel Vigilia in Dominica evenerit), Alba tantum » vestiti ministrant, Subdiaconus cum Manipulo, et » Diaconus, ultra Manipulum cum Stola.

549. « Dum autem resumitur Missa de Dominica » infra hebdomadam (quia fuit impedita) servetur qua» litas Officii diei pro usu Dalmaticæ. »

550. « Item in die Animarum, in obitu, et Exequiis » Fratris Defuncti. vel alterius Personæ, in Missis » Anniversarii Ordinis, vel nobilis et excellentis Per» sonæ, Dalmatica utendum est. In aliis autem Missis » pro Defunctis, servetur ritus et modus Officii diei, de

» quo Missa Conventualis dicitur, vel dicenda foret, » nisi occurrerit pro mortuis celebrandum. » (*Miss. Ibid.*) Idem servetur in Processionibus pro defunctis, quæ fiunt post Missam.

551. Item Diaconus et Subdiaconus utantur Dalmatica in Processionibus in quibus Sacerdoti assistunt, præterquam in Parasceve.

— In Benedictionibus et aspersione Aquæ benedictæ quæ præcedunt Missam, quando Sacerdos tunc utitur Cappa serica ;

— In cantandis Genealogiis et Sermone Dominico ;

— In Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, dum simul Sacerdoti assistunt.

— In solemni Processione SS. Sacramenti et SS. Ordinis nostri aliqui Fratres induuntur Dalmatica super Amictum et Albam. (*Process. vid. et proprio loco.*)

552. *Mappulis* mundis et pulchris etiam utimur sive in Missa sive extra Missam: quarum una extenditur super genua Sacerdotis, Diaconi et Subdiaconi sedentium infra Missam ; altera, quæ velum humerale dicitur, imponitur humeris Subdiaconi deferentis Calicem, vel Sacerdotis aut Diaconi ad deferendum SS. Sacramentum ; alia tandem ponitur super pulpitum in quo cantantur Epistola et Evangelium. Quæ sint, si fieri potest, coloris convenientis cum Officio diei ; excepta illa adhibenda pro SS. Sacramento, quæ coloris albi semper esse debet. (V. n.° 566.)

Item *Velum sericum*, quo Calix coopertur, et Bursa sint ejusdem coloris ac indumenta Missæ quæ celebratur.

## §. III. De coloribus quibus utendum est in ecclesiasticis Indumentis et Paramentis Altaris.

553. « Indumenta Celebrantis et Ministrorum, et » Paramenta Altaris debent esse coloris convenientis » Officio et Missæ diei secundum ritum nostrum, in » quo quinque coloribus uti consuevimus : Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, et Nigro. » (*Miss.*) (1)

554. « *Colore Albo* utimur a Vesperis Vigiliæ Natalis Domini, usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, præterquam in Festis SS. Martyrum quæ illo » tempore interveniunt;

— « In Festis Inventionis D. N. Jesu Christi in medio Doctorum et SS. Nominis Jesu ;

— « Feria V. in Cœna Domini ad Missam et ad Evangelium post Mandatum ;

— « In Sabbato sancto ad Benedictionem Cerei, et » ad Officium Missæ ; et deinceps usque ad Octavam » Ascensionis Domini inclusive, quando de Tempore » agitur, præterquam in Missis Rogationum.

---

(1) Potestne continuari usus illarum Ecclesiarum, quæ pro colore tam albo quam rubro, viridi et violaceo utuntur Paramentis vel flavi coloris, vel mixtis diversi coloris floribus, præsertim si colores a Rubrica præscripti in floribus reperiantur. In Rubrica Missalis Fratrum Ord. Prædicatorum n.° 6. legitur : « In diebus solemnissimis uti possumus pretiosioribus Paramentis cujuscumque sint coloris dummodo non sint nigri ? » — R. « Servetur strictim Rubrica quoad colorem Paramentorum. » (12. *Nov.* 1831.)

An Paramenta coloris aurei inservire possint pro coloribus albo, viridi, rubro ? R. « Negative. » (29. *Martii* 1851.)

An Paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quocumque colore excepto nigro ? — R. « Negative. »

Num Paramenta confecta ex serico et aliis coloribus floribusque intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et prædominans usurpari valeant mixtim, saltem pro albo, rubro, et viridi ? — R. « Negative. » (22. *Sept.* 1837.)

— « In Festo SS. Trinitatis.
— « In Festo SS. Corporis Christi et SS. Cordis Jesu.
— « In Festo Transfigurationis Domini.

555. Item « in omnibus Festis B. Mariæ Virginis, » etiam in Benedictione Candelarum et Processione in » Purificatione. »
— « In Omnibus Festis Angelorum.
— « In Nativitate S. Joannis Baptistæ.
— « In Conversione S. Apostoli Pauli.
— « In utraque Cathedra S. Petri, et in Festo ejus» dem ad Vincula.
— « In Festis Sanctorum Doctorum Ecclesiæ, et » Confessorum Pontificum et non Pontificum.
— « In Festis S. Dominici Patris nostri et singu» lorum Sanctorum Ordinis non Martyrum, necnon » Omnium SS. Ordinis nostri.
— « In omnibus Festis Sanctarum Virginum non » Martyrum, et nec Virginum nec Martyrum.
— « In Festo Omnium Sanctorum.
— « In principali Festo S. Joannis Evangelistæ.
— « In Dedicatione et Consecratione Ecclesiæ vel » Altaris.
— « In Consecratione Summi Pontificis et Corona» tione ejusdem.

556. « Item per Octavas prædictorum Festorum, » quando fit Missa de Octava, et in Dominicis infra eas » occurrentibus, quando in eis fit Officium de Domi» nica : præterquam in illis Dominicis quibus tribui» tur color violaceus.
— « In Missis Votivis supradictorum Festorum, quo» cumque tempore dicantur.
— « In Missa pro Sponso et Sponsa. » (*Miss.*)

557. « *Colore Rubeo* utimur a Missa Vigiliæ Pente» costes, usque ad Sabbatum sequens inclusive.
— « In utroque Festo S. Crucis.
— In Festis Orationis Domini, Commemorationis

Dominicæ Passionis, SS. Lanceæ et Clavorum, SS. Sindonis, SS. Quinque Vulnerum, necnon Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

— « In Festo S. Coronæ Domini.

558. « In omnibus Festis SS. Apostolorum et Evan-
» gelistarum; præterquam supra exceptis n.° 555. »

— « In Festo S. Joannis ante Portam Latinam.

— « In Commemoratione S. Pauli Apostoli.

— « In omnibus Festis Martyrum, et Sanctarum
» Virginum Martyrum, et Martyrum non Virginum. »

— « In Festo SS. Innocentium quando in Dominica
» evenerit : in ejus vero die Octava semper utimur
» rubeo, quocumque die occurrat. »

559. « Item in Octavis prædictorum Festorum quan-
» do fit de Octava, et in Dominicis infra eas Octavas
» occurrentibus,» eodem modo ut dictum est supra n.° 556.

— « In Missis Votivis supradictorum Festorum, et
» in Missa pro eligendo Summo Pontifice. » (*Miss. Ibid.*)

560. *Colore Viridi* utimur ab Octava Epiphaniæ
» exclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, » in Missis de Tempore tantum.

— Item, « a prima Dominica post Octavam Trini-
» tatis usque ad Adventum exclusive, in Missis et
» Officiis de Tempore; exceptis Dominicis infra Octa-
» vas occurrentibus, in quibus color Octavarum ser-
» vatur, et exceptis Vigiliis et Quatuor Temporibus,
» ut infra n.° 561. »

561. « *Colore Violaceo* utimur a prima Dominica Ad-
» ventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini in
» Missa inclusive, in Missis de Tempore. »

— « A Septuagesima usque ad Cœnam Domini ex-
» clusive, in Officio de Tempore. In dicta autem Feria
» utimur colore violaceo ad ablutionem Altarium
» tantum. »

— « In Missis Litaniarum, Rogationum, Quatuor » Temporum et Vigiliarum in quibus jejunatur, ex- » cepta Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes. »

— « In Festo SS. Innocentium extra Dominicam. » (*Ibid.*)

562. « In Missis » Votivis « de Passione Domini, pro » quacumque necessitate, pro peccatis, ad tollendum » schisma, contra paganos, tempore belli, pro pace, » pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, et pro » infirmis. » (*Ibid.*)

563. « *Colore Nigro* utimur Feria VI. in Parasceve, » et in omnibus Missis et Exequiis Defunctorum. » (*Ibid.*) (1)

564. « In diebus vero solemnissimis, id est : qui » habent Octavas Solemnissimas vel Solemnes, uti pos- » sumus pretiosioribus Paramentis cujuscumque sint » coloris, dummodo non sint nigri. » (*Ibid.*) (2)

565. « In Processionibus quibuscumque, utimur » eodem colore quo etiam utimur eo die ad Missas, » ut supra : nisi in Processione de SS. Sacramento, » in qua utimur albo, sicuti in Benedictione Palma- » rum et Processione. » (*Ibid.*)

In Processionibus autem Rogationum aut Defuncto-

---

(1) In editionibus Missalis anterioribus Missali edito sub Mag. Ord. Ant. Cloche, et in Ordinario legitur : « Utimur viridi in Festis Sanctorum Confessorum simplicium, in quibus etiam uti possumus co- » lore croceo.... » « Violaceo colore uti possumus tempore quo nigro. » Cum autem prædictæ Rubricæ deletæ fuerunt, standum est Rubricis actualibus et Decretis :

(2) In hac Rubrica non agitur de Indumentis sacerdotalibus, sed de Paramentis Altarium : quamvis enim particula *Paramenta* etiam significet sacras vestes, attamen in hoc Titulo de *Coloribus*, etc. *Indumenta* pro sacerdote et *Paramenta* pro Altari usurpantur. Aliunde contra Decreta S. R. C. et contra significationem mysticam hujusmodi colorum esset adhibere v. g. colorem violaceum in die Paschæ, aut album in die Pentecostes, aut rubeum in die Nativitatis Domini.

rum utimur colore convenienti cum Missa Feriæ aut Defunctorum, non autem Festi hac die occurrentis.

566. Ad S. Communionem ministrandam extra Missam uti debemus stola coloris convenientis cum Missa diei, numquam autem colore nigro. (*S. R. C.* 12 *Martii* 1836.)

In Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, quæ immediate præcedit aut sequitur Missam vel Officium, quatenus Sacerdos paratus non recedat ab Altari, et assistat concioni, utendum est colore respondente cum Officio diei et Velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur; quatenus vero recedat, et functio tanquam separata et distincta habeatur, utendum est colore albo. (*S. R. C.* 20 *Sept.* 1806.) Numquam autem exponendum vel transferendum est SS. Sacramentum cum Paramentis aut Indumentis nigri coloris. (10 *Febr.* 1685.) Imo quandocumque SS. Sacramentum solemniter manet expositum, Paramenta Altaris et Velum humerale debent esse albi coloris, etiamsi color Indumentorum foret dissimilis. (*Instr. Clement.*)

567. Ad confessiones audiendas in Ecclesia, ad ungendum infirmum, ad Commendationem animæ, ad exorcismos faciendos sive ante baptismum, sive extra, Stola coloris violacei utendum est. (*Ex Rit. Rom. et Collect.*)

### §. IV. De Cappa Ordinis.

568. Circa usum Cappæ in Choro, hæc ex Ordinationibus Capitulorum Generalium et Cæremoniale inferuntur :

A Festo Omnium Sanctorum usque ad Missam Sabbati sancti, Fratres Choro interesse debent cum Cappis ad primas Vesperas, Matutinum et Missam, in omnibus Duplicibus et Totis Duplicibus, ac in Dominicis Adven-

tus, Septuagesimæ, et cæteris usque ad Pascha. Item ad Vesperas, Matutinum et Missam in die Animarum. In Feria IV. Cinerum, ad Psalmos Pœnitentiales, ad Benedictionem Cinerum et Missam sunt etiam deferendæ; et similiter ad omnes omnino Horas in Triduo ante Pascha, a Vesperis nempe Feriæ IV. usque ad Missam Sabbati sancti. Ad secundas vero Vesperas numquam Cappas induere debent, nisi cum die sequenti fit de Duplici et supra, vel de aliqua Dominica ex supradictis.

569. Ubi vero est consuetudo eas deferendi tempore Quadragesimæ quotidie, propter populi frequentiam ad conciones in Ecclesiis nostris concurrentis, illa consuetudo non mutetur. (*Ibid.*) « Imo in Provinciis » ubi consuetum est in hyeme, » scilicet « a dicto Festo » Omnium Sanctorum usque ad Sabbatum sanctum » portari possunt, præterquam in mensa. » (*Salmant.* 1551.) In die vero Parasceves, Fratres cum Cappa in Refectorium vadant. (*Cærem. C.*)

570. « In omni Processione publica, Fratres omnes » sint in uniformi habitu, videlicet vel in Caputiis, » vel Cappis, secundum exigentiam temporis (ut supra) » et Prælati præceptum. » (*Process.*) In Processionibus autem quæ fiunt extra septa Conventus semper debemus Cappam deferre. Hoc etiam fit in toto Officio sepulturæ.

571. Fratres deferant Cappam quovis tempore in sequentibus casibus:

Ad sacram Eucharistiam recipiendam, propter reverentiam tanti Sacramenti;

Item dum audiunt confessiones in Ecclesia;

Item dum prædicant verbum Dei;

Item, tam qui recipiendus est ad habitum vel professionem, quam qui recipit, Cappam deferant.

Item, qui facit Officium in Receptione Legatorum, etc., nisi induatur Cappa serica, ut supra.

Item, Servitor Missæ privatæ, saltem diebus Dominicis et Festivis. (*Ex Cap. gen. et prop. loc.*)

572. « Quando autem procedimus extra Conventum, » debemus Cappam deferre, propter Ordinis honesta» tem. » Sic autem habetur in Const. *Pretiosus* Bened. XIII.: « Concedimus tamen Fratribus ipsis Prædicatori» bus, ut in itinere, vel divertentes ad mœnia urbium, » ad campos et similia loca, ad quæ ex vi antiquarum » quoque eorum Constitutionum, secundum quas nos » quoque vivere professi sumus, nullatenus cum » Cappa nigra sese conferre tenentur, sed cum solo » habitu albo, quem nemo ignorat esse eorum distin» ctivum, accedere et procedere libere et licite possint » et valeant. »

573. De cætero, « Cappæ in Conventu a Paschate » Resurrectionis usque ad Festum Omnium Sanctorum » non portentur. » (*Const.*) De vilitate in Cappis servanda, et de mensura et forma hujus vestimenti, vid. in Const.

## ARTICULUS IV.

### DE ORGANIS.

574. Usus organorum olim eliminatus ab Ordine nostro (præter Conventum Bononiensem, propter reverentiam BB. P. N. Dominici,) in Cap. Neapoli 1515. permissus fuit cum aliquo moderamine, et abhinc propter decorem et solemnitatem divini cultus in universo Ordine adhibetur.

## §. I. Quo tempore, quibus diebus et in quibus Horis pulsantur Organa (1).

575. In *Festis Solemnibus*, in his scilicet quæ correspondent Duplicibus primæ aut secundæ classis, quovis tempore, etiam per Adventum et infra Septuagesimam pulsantur Organa, juxta loci consuetudinem, in utrisque Vesperis et Completorio, necnon in Matutinis et in Missa Conventuali. (*Cær. C. et Episc.*)

576. In Festis autem *Totis Duplicibus* et Duplicibus ordinariis, necnon et infra Octavas Solemnes et Solemnissimas, pulsantur organa in Missa, et in eisdem Horis ac supra; excepto tempore Adventus et Quadragesimæ, quo tempore pulsantur infra Missam dumtaxat. (*Cær. C.*)

577. Omnibus *Dominicis* diebus similiter pulsantur Organa, videlicet : ad Matutinum, Missam, Vesperas et Completorium, exceptis Dominicis quibus tribuitur color violaceus. In Dominicis tamen III. Adventus et IV. Quadragesimæ, quæ sunt dies lætitiæ, Organa « pulsari debent in Missa solemni et in Vesperis » tantum, non vero in aliis Horis Canonicis. » (*Decr. S. R. C. 2. Aug.* 1718. *in Beneventana.*)

578. Feria V. in Cœna Domini, pulsantur Organa in Missa usque ad Hymnum *Gloria in excelsis* inclusive; deinceps autem usque ad Sabbatum sanctum omnino silere debent. Pulsantur vero Sabbato sancto, ab inchoatione ejusdem Hymni, per totam Missam cum Vesperis et Completorio. Et similiter in Vigilia Pentecostes, incipiendo a *Kyrie eleison* in Missa.

579. In Festis *Simplicibus*, necnon in diebus Octavis Simplicibus et Trium Lectionum, et infra Octavas Simplices, et in Festis Votivis infra hebdomadam, Organa

(1) Ex Cærem. C. et Episc. et praxi communi.

pulsantur ad Missam tantum, extra Adventum et Quadragesimam; Tempore autem Adventus et Quadragesimæ non pulsantur Organa his diebus.

580. In Missis Votivis solemnibus Organa pulsantur quovis tempore. (*S. R. C.* 14. *Sept.* 1753.) Item, solent adhiberi ad Benedictionem saltem solemnem SS. Sacramenti; item in Processionibus quæ fiunt intra Ecclesiam extra Adventum et Quadragesimam; item diebus supra notatis n.° 575, et in Dominicis 1. 2. et 3. mensis ad Processionem adhibentur quovis tempore.

581. In Festis autem Trium Lectionum, Profestis diebus, in aliis Vigiliis ac supra (nisi, in Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini) « et in quibuscumque Officiis » et Missis Defunctorum non pulsentur Organa. » (*Concil. Rom. et Cær. Episc.*)

## §. II. Quæ partes Horarum supradictarum aut Missæ pulsantur in Organis.

582. *In Officio.* Pulsantur Organa alternatim in Versibus Hymnorum et Canticorum, imo (ad libitum tamen) et Psalmorum, ita ut primus Versus a toto Choro cantetur, et alius ab Organis pulsetur. (*Cær. C.*) Possunt tamen Organa primum Versum prosequi; sed postquam Cantores inchoaverint, ut populus intelligat quod cantatur. (*Neap.* 1515.)

583. « Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matu-
» tinis, sive in Missa, ut primus Versus Canticorum
» et Hymnorum (prout supra dictum est) et pariter
» Versus Hymnorum in quibus genuflectendum est,
» qualis est Versiculus *Te ergo quæsumus*, etc., et
» Versiculus *Tantum ergo*, etc... et similes, cantentur
» a Choro in tono intelligibili, non autem ab Organo :
» sic etiam Versiculus *Gloria Patri*, etc., etiamsi Ver-

» siculus immediate præcedens fuerit a Choro pariter » decantatus; idem servatur in ultimis Versibus Hy- » mnorum. » (1)

584. « Quælibet Antiphona » (excepta Antiphona *Salve Regina* et alia quæ sequitur) « tota a Choro » cantatur sine Organo, nisi fuerit duplicanda, ut » in Festis Totis Duplicibus ad *Benedictus* et ad *Ma-* » *gnificat*; tunc poterunt prima vice cantari, et postea » in Organo dici. » (*Vallisol.* 1523.)

585. « Dum autem pulsantur Organa ad *Salve Re-* » *gina*, sic vices cantus Fratrum et soni Organorum » disponantur (si fiat alternatim), ut Fratres cantent » totam partem: *Eia ergo*, etc., in qua genuflectendum » est. » (*Valent.* 1647.)

586. *In Missa.* Responsorium, Offertorium, Communio pulsari possunt ab Organis, excepto Offertorio *Recordare*, propter ejus devotionem et cantus dulcedinem. (*Congr. Xirix.* 1502.) Item pulsari potest in Organis repetitio Introitus.

587. Ad *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Sanctus et Agnus Dei*, Organa pulsantur alternatim cum toto Choro, prout supra de Hymnis, et Canticis dictum est n.° 582. (*Cærem. C.*)

588. « Sequentiæ numquam in Organis pulsentur, » sed alternatim Versus a Cantoribus et Choro can- » tentur. » (*Vallisol.* 1523.)

589. Symbolum Apostolorum, videlicet *Credo*, non ab Organo, sed alternatim a Choro dextro et sinistro, vel a Cantoribus et toto Choro, si-

---

(1) Ita Cæremoniale Episcoporum, cum quo convenit usus generalis Ordinis et Cæremoniale Ciantes: quibus in praxi standum est, nonobstante Cap. Neapoli. 1515. quod supponit quidem Versum *Gloria Patri* et fines Hymnorum ab Organo pulsari posse, sed illud minime præscribit.

lentibus omnibus Organis, decantetur. » (1) (*Cærem. et plura Cap. gen.*)

### §. III. De aliis servandis in Organorum usu.

590. « Non permittuntur ullo pacto vanitates sæ» culares sonari, tàm quia sonus in Organis hodie » est pars divini cultus, cui profanum, seu vanum » aliquod admisceri constat superstitiosum esse; tum » quia, sicut secundum sacros Canones cantus sæcu» laris est inhibitus in Ecclesia, ita et sæcularis so» nus, licet utrumque ad sacram materiam possit ap» plicari. » (*Neap.* 1515.)

591. Quando aliquid ut supra pulsatur ab Organis, Cantor vel Succentor, vel ille cui injunctum fuerit, ante pulpitum Chori (vel in suo loco) clara, alta et intelligibili voce, morose, sine nota illud dicat in persona totius Chori, et hoc ut omnes audiant; et si contigerit pulsari aliquid in quo Fratres debent inclinare, ut fieri solet in *Gloria in excelsis*, tunc simul et uniformiter inclinationes fiant ab omnibus, dum illud in Choro, ut supra, recitatur. (*Ibid. et alibi.*)

592. In pulsandis Organis præcipue caveatur a nimia eorum protractione, sicut et a nimia celeritate: sed magis aut minus juxta majores vel minores solemnitates, discrete, et sine notabili mora Organorum usus secundum loci consuetudinem adhibeatur: ideo per tintillum Campanulæ Organistà admoneatur quando inchoare et quando finire debet. (*Cærem. C.*)

593. Possunt quidem Organa, dum aliquid cantatur,

(1) In multis Conventibus viget consuetudo de qua in seq. decl. S. R. C.: « An retinenda vel potius eliminanda sit consuetudo pulsandi tantum Organum ad Responsionem, dum in Missa cantatur *Ite Missa est* » ? — R. « Servari posse. » (11. *Sept.* 1847.)

sive a Choro, sive ab uno, sive a pluribus, canentium vocibus commisceri, juxta consuetudinem : hoc autem non fiat quando prohibentur Organa ut supra, neque cum pleno Organo, sed cum aliquo tantum registro, ut ea quæ cantantur possint ab omnibus clare et distincte audiri. (*Ibid.*)

Item dum elevatur SS. Sacramentum in Missa, pulsentur graviori et dulciori sono; (*Cærem. Episc.*) et similiter in Benedictione SS. Sacramenti.

594. In Processionibus solemnioribus quæ fiunt extra Conventum, uti in solemnitate SS. Rosarii, adhibetur, ubi consuevit, tubarum clangor et aliorum instrumentorum melodia. (*Process.*) Hæc autem nequeunt adhiberi in Missis Defunctorum.

## ARTICULUS V.

## DE TEMPORE ET MODO PULSANDI CAMPANAS AD DIVINA OFFICIA.

595. In principio Ordinis nostri non habebamus nisi unam Campanam. Verum « Fratres nostri ubique » existentes in suis Conventibus sive Ecclesiis plures » et quotquot Magister Generalis pro tempore exi- » stens, sive Prior Provincialis cujuslibet Provinciæ » respective determinaverit, Campanas habere, illas- » que ad excitandam populi devotionem libere et licite » pulsare valent. »(*Const.*) Sed antequam de signis faciendis agamus, opportunum erit scire in quibus horis, tum noctis tum diei, pro diversis partibus cultus divini, erunt facienda. Unde :

### §. I. De tempore dicendi Officium, Missam celebrandi, etc.

596. « Divinæ Laudes statutis horis, diurnis no-

» cturnisque, debita cum attentione, reverentia et
» devotione a Fratribus persolvantur. » (*Const. D.* 1.)

*Matutinæ* media nocte, vel circa mediam noctem, in Choro persolvantur, juxta Provinciarum vel Conventuum approbatam consuetudinem, prout pluries in Capitulis Generalibus declaratum est.

597. « Matutinæ in sero post Completorium dican-
» tur in Triduo ante Pascha. A Festo autem SS. Tri-
» nitatis, in Festis Duplicibus et supra et Dominicis
» diebus, similiter dicantur, usque ad diem ultimam
» Augusti. Item infra Octavas Corporis Christi et Vi-
» sitationis B. Mariæ Virginis propter indulgentias.
» Ubi autem consuetum est semper media nocte, aut
» post mediam noctem, omnibus his prædictis diebus,
» aut saltem aliquibus, Matutinas dici, servetur con-
» suetudo. » (*Brev. XXXVI.*)

598. In Nativitate Domini Matutinæ persolvuntur ante mediam noctem, ita ut prima Missa in nocte statim post mediam noctem incipiatur. Item, ubi viget consuetudo solemniter cantandi Matutinum Epiphaniæ Domini in sero, potest servari. (*Cær.*)

599. Matutinæ autem B. Mariæ Virginis, quando sunt dicendæ, persolvi debent in dormitorio, statim ac Fratres, audito primo signo, surrexerint. (*Ex Const.*) Quibus ibidem persolutis, Fratres in Chorum vadant ad persolvendas Matutinas diei. Horæ vero Officii quotidiani præcedunt Horas diei, excepto Completorio, quod data Benedictione post Completorium diei statim inchoatur.

600. *Pretiosa* dicendum est post Matutinas quotiescumque absolvuntur post mediam noctem. Si vero Matutinæ in sero vel ante mediam noctem absolvantur, *Pretiosa* non est dicendum post illas, sed reservetur ut immediate dicatur post Primam. (*Ex Rub. Brev. ibid.*)

*Capitulum* quotidianum, si habeatur, infra *Pretiosa*,

ut supra, regulariter tenendum est, prout ex Constitutionibus et Collectario patet. (*Dist. II. C. VI.*)

601. *Prima* hora competenti dicatur; deinde prima Missa Conventualis certis diebus celebranda. Missa autem auroræ in die Nativitatis ante Primam dicatur. (*Ord.*) Tertia vero Missa, si tres dicendæ fuerint, celebretur quando Prælato placuerit. « Missa privata » quacumque hora diei, ab aurora usque ad meridiem » dici potest. » (*Miss. XXXVIII.*) (1)

602. *Missa Conventualis* et major, a Festo Resurrectionis « Domini usque ad Festum Exaltationis S. » Crucis exclusive, dicatur post dictam a Choro Ter- » tiam » præterquam diebus jejunii, ut infra, n.° seq. Item, « in Dominicis per totum annum cantatur Missa post Tertiam. » (*Miss. XXXVII.*) Excipitur Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, ubi viget consuetudo cantandi Missam ante Tertiam. Sexta vero, prædicto tempore, solet dici post Missam.

603. « A Festo Exaltationis S. Crucis usque ad » diem Cinerum exclusive » (præterquam Dominicis diebus), necnon in diebus Rogationum, « in quatuor » Temporibus infra Octavam Pentecostes, et in Vigi- » liis quæ jejunantur, » et in omnibus Feriis VI. a Paschate usque ad Festum prædictum « quamvis sint « dies solemnes, Missa major cantari semper debet » post Sextam. » (*Ibid.*)

604. « A die Cinerum usque ad Dominicam Resurrectionis (præterquam Dominicis diebus) cantanda est Missa Conventualis major post Nonam. » Item in Vigilia Pentecostes. (*Ibid.*) Tunc Tertia post Primam,

(1) Amplius autem ex privilegio. Jure communi, ex declaratione Bened. XIII. et Clem. XII. tolerari potest latitudo tertiæ partis horæ post meridiem. Abstinendum vero est a celebratione Missæ privatæ ad Altare ubi expositum est patenter SS. Sacramentum, et ad Altare majus dum in Choro recitatur Officium. (*S. R. C.* 15. *Sept.* 1564.)

(absolutis Capitulo et prima Missa, si fuerint celebranda), Sexta vero simul cum Nona ante Missam majorem (prout fit in die Parasceves) persolvantur. (*Ex Ord. et Miss.*)

605. *Nona*, a Paschate usque ad Festum S. Crucis, diebus in quibus bis comeditur, dicatur post silentium quod tenendum est a signo facto post prandium usque post Nonam dictam. Diebus autem Dominicis a dicto Festo usque ad Pascha, dici solet in Choro immediate post prandium; cœteris diebus, post Missam, ante prandium dicatur; infra Quadragesimam vero ante Missam, ut supra, persolvi debet. (*Ex Const. et Cærem.*)

606. *Vesperæ* extra Quadragesimam, serotino tempore juxta locorum consuetudinem, dicantur; tempore vero Quadragesimæ, scilicet a Feria IV. Cinerum usque ad Pascha, exceptis Dominicis diebus, ante prandium in Choro persolvi debent. (*Brev.*)

607. *Completorium* vero, et ea quæ immediate sequuntur, pro approbata consuetudine, circa finem diei, ea hora qua tum Fratres omnes tum sæculares ad Ecclesiam facilius convenire possunt absolvantur, et præcipue tempore Quadragesimæ; quia tunc ex devotione ad Ecclesiam nostram fideles frequentius convenire solent. (*Cærem.*)

608. *Processiones* in diebus Palmarum, Ascensionis Domini, Purificationis et Assumptionis B. M. Virginis, et aliæ similes quæ in honorem Sanctorum occurrunt faciendæ, fiant ante Missam majorem, (præmissa aspersione Aquæ, si fuerit Dominica); in Rogationibus, ubi fieri solet, ante Missam de Feria.

609. In die Paschæ, et duobus diebus sequentibus, (præter Processionem quæ fit in diluculo Resurrectionis) Processio fit ad Vesperas. Item Processiones SS. Rosarii et SS. Nominis Jesu, post Vesperas communiter fieri solent. Processiones vero SS. Sacramenti regulariter post Missam faciendæ sunt, alioquin

juxta consuetudinem approbatam. Processio ad *Salve Regina*, ad Altare SS. Rosarii, et S. P. Dominici, fit post Completorium. Processiones vero extraordinariæ pro aliqua necessitate hora opportuna fiant, secundum ordinationem Prælati.

### §. II. De signis faciendis ante Officium et Missam.

610.« Ad Horas Canonicas non debemus regulariter » habere nisi duo signa »(*Const.*), nisi usus obtinuerit, ut jam in aliquibus Provinciis consuevit, quod fiat aliud tertium signum. (*Cærem.*) « Cum autem una » Hora immediate post aliam est dicenda ad secun» dam Horam non fiat signum : præterquam ad Ve» speras in Quadragesima, ad quas semper faciendum » est signum : Ad Laudes vero post Matutinas, et » ad Gratias post comestionem, nullo tempore pul» setur. Ad Missam vero semper faciendum est si» gnum. Quando autem, dicta Missa post Primam, » Tertia continuatur Missæ, tunc non est signum pro » Tertia faciendum. » (*Ord.*)

611. « Diebus non solemnibus unam tantum Cam» panam pulsamus ad omnes Horas : in Festis autem » Duplicibus et supra (vid. Litt. Mag. Ord. XI.), necnon » diebus Dominicis, ad excitandam populi devotionem, » Campanas pulsamus in Matutinis et ad Missam Con» ventualem » et in Vesperis, pro solemnitate diei; ad cæteras Horas una tantum campana, eaque minor, pulsetur ad utrumque signum.

612. « Primum autem signum debet esse breve : » quo audito Fratres debent se præparare, et occu» pationes in quibus tunc versantur dimittere, nec » novas assumere ; secundum autem signum debet » esse ita prolixum ut, ante ejus terminationem, » possint Fratres de omni remotiori loco domus, se-

» cundum existimationem pulsantis, ad Ecclesiam » convenire : inter primum autem et secundum si- » gnum debet esse tantum spatium, ut Fratres se » possint præparare. » (*Const. D. I.*) Et quando in Dormitorio dicuntur Matutinæ Officii quotidiani B. M. V., vel Psalmi Graduales, non pulsetur secundum signum nisi postquam prædicta fuerint absoluta.

613. Eodem autem modo pulsantur Campanæ ad utrumque signum, scilicet ex utraque parte : usus tamen communis est quod secundum, seu ultimum, terminetur per ictus ex una parte Campanæ.

614. Circa modum pulsationis ad Missam potest consuetudo patriæ servari. Consuetudo tamen Ordinis magis generalis videtur esse quod pulsatio ad Missam solemnem fiat per tres interruptiones, (juxta morem Ecclesiarum sæcularium), pulsatio autem ad Missas privatas, si qua fiat, differre debet a pulsatione pro Missa solemni. (1) (*Ex ven. Humb. de Off. Sacr.*)

### §. III. De pulsationibus faciendis infra Missam.

615. « Sit in Cornu Epistolæ parva Campanula, qua » aliquot ictibus admoneatur populus ante elevatio- » nem. » (*Miss. XXXIX.*)

Pulsetur ab uno Acolythorum et a Servitore Missæ dum dicitur *Sanctus*; et similiter in elevatione SS. Corporis et Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi modeste pulsetur. (*Ibid.*) Solent etiam pluribus in locis pulsari Campanæ majores Ecclesiæ pro solemnitate diei ad elevationem in Missa Conventuali.

616. Non fiat pulsatio Campanulæ in alia parte Missæ, neque alibi, nisi notetur. Item non est pulsanda

---

(1) In multis Ecclesiis Ordinis habetur Campanula juxta portam Sacristiæ quæ ducit ad Ecclesiam ; hæc autem Campanula pulsari solet a Ministro, dum Sacerdos exit ad celebrandum.

ad Missas privatas celebratas e conspectu Chori, tempore Officii aut Missæ Conventualis. (*S. R. C.* 5. *Martii* 1767. 14. *Maii* 1856.)

617. Feria V. in Cœna Domini, dum cantatur totus Hymnus *Gloria in excelsis*, pulsantur omnes Campanæ Ecclesiæ; pulsatur etiam Campanula de qua n.° 615, usque ad *Domine Deus rex cœlestis* tantum. (*Cær. C.*)

618. A dicto Hymno usque ad eumdem Hymnum in Missa Sabbati Sancti nullum signum fiat cum Campanis aut Campanulis, sed omnia fiant cum Tabella. (1)

619. Sabbato Sancto ad *Gloria in excelsis* idem fiat ac Feria V. in Cœna Domini. Si autem Campanæ Matricis non adhuc pulsaverint, pulsetur tantum Campanula Ecclesiæ; Campanæ vero majores pulsabuntur cum Ecclesia Matrici. (*Ex multis S. R. C. Decretis. vid. Gard.*)

### §. IV. De signis faciendis in aliis circumstantiis.

620. Quandocumque Fratres convocandi sunt ad Capitulum (specialiter et necessario pro electionibus canonicis), pulsanda est Campana ad hoc destinata, quæ ideo dicitur *Campana Capituli.* Pro Capitulo autem quotidiano, si teneatur post Matutinas, pulsetur ad ultimum Psalmum Laudum, si vero teneatur post Primam pulsetur ad Psalmum *Retribue.* (*Cærem. C.*)

621. Ad mensam, quoties Fratres ad eam vocandi sunt, fiat signum cum Campana minore, ad quod sufficiunt quasi quinque ictus ex utraque parte Campanæ. (*Ven. Humb.*) Quo a Sacrista facto, Refectorarius quoque cymbalum pulset, si cibus paratus sit, alioquin non pulsetur donec paratus sit. (*Const.*) In Refectorio

(1) Hæc tabella solet adhiberi ad excitandos Fratres ad Matutinum.

autem, in loco digniori, habetur nola, quæ pulsanda est prout in § de Benedictione mensæ dicetur.

622. Post prandium in æstate, hora silentii, fiat signum, non cum majori Campana, sed cum alia quæ competenter audiri possit per domum. Idem fiat quovis tempore post Completorium. (*Tolos.* 1258.)

623. Ante Processionem ad *Salve Regina*, fiat signum tempore opportuno, a Sacrista, vel eo cui injunctum fuerit, ut Fratres qui non intersunt tunc Choro possint, omni postposita mora, ad eum accedere. Hoc autem signum fit cum Campana minore, vel Capituli. Idem fiat die Pentecostes et duobus diebus sequentibus, cum Fratres convocandi sunt ad invocationem Spiritus sancti. (*Cærem. C.*)

624. Consuetum est quod Campanæ pulsentur dum fiunt Processiones solemnes, præsertim SS. Sacramenti, sive intra, sive extra Ecclesiam; item in Receptione solemni Legatorum, etc. Dum autem defertur SS. Sacramentum ad infirmum, nola pulsetur.

625. « Quando communicandus est infirmus, vel
» quando est inungendus, fiat signum per ictus cum
» Campana Capituli, vel illa qua solet pulsari primum
» signum ad Horas, aliqualiter tamen prolixius
» quam sit primum signum ad Horas. Et facto modico
» intervallo, iterum pulsetur eadem Campana, sed
» aliquantulum prolixius quam prius. » (*Collect. et Process.*)

626. « Cum Frater aliquis penitus morti appro-
» pinquaverit crebris ictibus pulsetur Tabella in Clau-
» stro, et in aliis locis si necesse fuerit, ad Commenda-
» tionem animæ. (*Ibid.*)

627. Mane, meridie et vespere, solent pulsari Campanæ ad Salutationem Angelicam, et hoc juxta consuetudinem pro solemnitate diei. Fiunt et alia signa, secundum varias consuetudines Provinciarum aut

Conventuum, ad vocandos Fratres sive ad lectiones, sive ad incipiendum aut finiendum aliquod exercitium commune. Circa quod servandæ sunt respective consuetudines approbatæ.

## §. V. De tempore et modo pulsandi in Officiis Defunctorum.

628. De Officio Defunctorum qualibet septimana recitando in Choro, Feria II. aut alia minus solemni, ut suo loco dicetur, sic habet Ordinarium : « Post » Sextam vel Nonam diei, vel post prandium tem- » pore jejunii, dicantur Vesperæ pro Defunctis. Vi- » giliæ autem usque post Vesperas differri poterunt, » si Priori melius videatur : qui cum Cantore curet » ut tali die et hora dicantur, quibus Fratres omnes » possint melius convenire. » De cœtero servetur, ubi viget, approbata consuetudo. Ad quod Officium signa cum una Campana fiant. In Anniversariis autem et quando solemniter fit Officium pro mortuis, pulsetur secundum usum locorum.

629. Ad Missam, pulsationes prout supra dictum est fiant, servato modo speciali pro Defunctis, si fuerit in usu. Ante finem Missæ, quæ pro ipsis applicatur, singulis septimanis, ad Processionem debet Sacrista pulsare Campanulam, ut Fratres qui extra Chorum sunt omnes conveniant, et ea quæ sunt congrua præparare possint. (*Process.*) Item cum faciendæ sunt Exequiæ super sepulchrum aliquod Defuncti post Missam Conventualem, Sacrista post elevationem faciat signum cum Campana Capituli. (*Ibid.*)

630. In delatione corporis Defuncti ad Ecclesiam, dum cantatur. ℟. *Libera*, Campana pulsetur. Item ad convocandos Fratres ad Officium sepulturæ, et dum Defuncti corpus defertur ad tumulum ; hoc autem fiat

per ictus ex una parte Campanæ. (*Process. et Ven. Humb.*)

631. « In omnibus Provinciis, circa primam horam » post occasum solis, ad orationem Defunctorum, » alternis ictibus ex intervallo Campana Ecclesiæ pul- » setur. » (*Mediol.* 1622.) Tunc recitatur a Fratribus genuflexis, ubicumque existant, Psalm. *De profundis*, cum ℣. *A porta*, et Oratione *Fidelium*.

# CAPUT SECUNDUM

## DE CÆREMONIIS QUÆ COMMUNITER AB OMNIBUS AUT PLURIBUS FIUNT, TAM IN OFFICIO QUAM IN MISSA,

IN V. ART. DIVISUM.

ART. I. De ordine et habitu servando in celebratione divini Officii.
II. De ordine et habitu servando in Choro in celebratione Missæ Conventualis.
III. De cantu divini Officii et Missæ.
IV. De Inclinationibus aliisque hujusmodi actibus faciendis a Fratribus qui Altari non deserviunt.
V. De Inclinationibus aliisque hujusmodi Cæremoniis a Sacerdote et Ministris Altaris faciendis.

---

## ARTICULUS I.

### DE ORDINE ET HABITU SERVANDO IN CELEBRATIONE DIVINI OFFICII.

#### § I. De ordine quo Fratres ad Ecclesiam convenire et in Choro stare debent.

632. « Fratres, mox ut signum factum fuerit,
» relictis omnibus, cum matura festinatione debent
» se præparare, ut ad Ecclesiam ordinate et composite

» veniant. » (*Const. D. I. C. XVI.*) Ad ingressum Ecclesiæ, vel Chori, solent Aqua benedicta se signare a fronte ad pectus et humeros.

633. Quando Fratres intrant Chorum divinum Officium incœpturi, eo ordine quo veniunt, facta debita reverentia ad Altare, petant sedes suas. Dum autem ingrediuntur processionaliter, procedant bini et bini, incipiendo a junioribus, et simul faciant debitam reverentiam, prout infra dicetur.

634. « In Choro Fratres habere se debent mature, » præsertim circa Altare reverenter, juxta Reliquias » timorate, in Capitulo et in mensa composite. (1) » Oculos vagos non habeant, sed modeste demissos. » Curent autem ut in omnibus Cæremoniis adim» plendis uniformiter et simul se habeant. » (*Const. D. I. C. XIV.*)

635. Si quis autem ingrediatur Chorum incœpto Officio, servatis quæ supra, factaque venia, de qua n.° 797. petat locum suum, (nisi tunc ab omnibus fiat aliqua inclinatio, in quo casu aliis se conformet), ubi brevi facta Oratione, statim cum aliis prosequatur Officium. Si autem ille fuerit Prælatus, omnes de Choro assurgant, si prius sedebant, illique reverentiam capite discooperto exhibere solent.

636. Fratres autem in locis suis se ordinent pro eorum officio, gradu, vel antiquitate, prout in Constitutionibus nostris statutum est. (*Dist. I. De Prof. Decl. XI.* et seq.) Hic solum notandum est : quod « Magister » Ordinis semper esse debet in Choro dextro ; » si autem Prior Provincialis primam sedem in Choro sinistro (secundum Provinciarum usum) occupet, Prior Conven-

---

(1) Decet ut Fratres, in sacris functionibus, præsertim in Ecclesia, quando manus non habent occupatas, illas teneant modeste cancellatas sub scapulari, prout fert communis usus.

tus secundum locum tantum in Choro dextro tenere debebit. Melius tamen major Prælatus in Choro dextro et alter in sinistro primam sedem occupabunt. Fratres igitur sua loca singuli teneant in Choro, in Capitulo et in mensa; item in sacris functionibus, in quibus sive incipiendo a junioribus sive ab antiquioribus præscribitur procedendum: exceptis tamen Ministris Altaris vel Chori, necnon mutationibus opportunis aliquantisper a Rubricis vel a Cantore ordinatis, de quibus in suo loco dicetur. (V. n.° 1113.)

637. Ordo autem Ministrorum, sive in accessu ad Altare, sive in recessu ab eodem, talis est: Primo, ille qui defert Aquam benedictam (si adsit); deinde Thuriferarius, postea Acolythi, et Cruciferarius cum Cruce (si adsit); deinde Subdiaconus, Diaconus et faciens Officium. (1) (*Ex Process.*)

638. Quando autem Fratres e Choro discedunt non processionaliter, scilicet eundo ad Capitulum, vel post dictum Officium, hoc fit incipiendo a Prælato et majoribus. Et similiter cum exeunt de Capitulo, vel Refectorio post cœnam vel collationem. (*Ex Process. et usu.*)

### §. II. De inceptione omnium Horarum.

639. *Omnes Horæ* incipiunt regulariter « in ea parte » Chori in qua pendet tabella Choralis Chori index: » quæ in Vesperis Sabbati ante Dominicam I. Adven- » tus in parte dextra Chori debet locari, subinde per

(1) Stante Sacristia retro Altare cum Ministri accedere possunt ad Altare, tam ex parte Evangelii quam ex parte Epistolæ, quæritur, 1.° quanam ex parte exire debeant ad Altare, et qua parte redire ad Sacristiam? — R. « A Sacristia e sinistra egrediendum a dextra ad » illam accedendum. » (*S. R. C.* 12 *Aug.* 1854.)

» totum annum, singulis Sabbatis ab una parte ad » aliam alternatim transferenda. » (*Collect.*) Dicta igitur Dominica I. Adventus « Officium fiat in Choro » dextro, alternatisque Choris subsequatur, etiamsi » duabus ultimis hebdomadibus oportuerit Officium » esse in Choro sinistro. » (*Nurimb.* 1405. *et Ord.*)

640. In Festis tamen Duplicibus et supra, et in die Animarum, Vesperæ, etiamsi fuerint tantum a Capitulo, Matutinæ, Laudes et Missa in parte dextra Chori inchoari debent quamvis Chorus sit in parte sinistra. *Pretiosa*, et *Salve Regina* post dictas Horas, et cœteræ Horæ, et alia quæ de Officio dicuntur semper incipiuntur in parte ubi est Tabella Chori, etiam prædictis diebus, sicuti et Officium hebdomadale et Anniversaria Defunctorum in Ordine fieri solita. (*Ex Collect.*)

641. Omnia quæ ab Hebdomadario aut faciente Officium dicenda et inchoanda occurrunt, vel quæ a Cantore solo, vel Succentore, vel Versiculario dicuntur, in parte supra præfinita incipienda erunt, nisi aliter notetur. Item, quando a duobus in medio fit inchoatio alicujus, quod debet alternatim dici, prosecutio fiat in illa parte quæ supra. Diebus tamen Sabbatis infra Quadragesimam, Benedictio mensæ et Gratiæ, tametsi dicantur post Vesperas, nihilominus pertinent ad Officium præcedentis hebdomadæ, et incipiuntur et absolvuntur in ea parte Chori ubi dicta est Nona. (*Ex Collect.*)

642. « *Ad Vesperas*, facto signo a Prælato, vel eo » absente ab illo cui competit, Fratres inclinantes » se profunde, vel prostrati pro tempore super for- » mas, dicant secreto *Pater Noster* » (et *Credo in Deum* ad Matutinum et ad Primam.)

« Factoque iterum signo, se erigant, et qui facit » Officium versus ad Altare, detectoque capite incipiat, » muniendo se signo Crucis a fronte ad pectus et

» humeros : ℣. *Deus in adjutorium,* etc., respondeat » Chorus muniendo se similiter signo Crucis, capite » pariter detecto, et versis vultibus ad Altare : *Do-* » *mine ad adjuvandum*, etc. »(*Collect.*)

« Deinde inclinando iterum profunde, vel super for- » mas pro tempore, prosequatur totus Chorus : *Gloria* » *Patri*, etc.; et erigendo se Chorus contra Chorum : » *Sicut erat...* usque ad *Alleluia,* vel *Laus tibi Domine,* » etc... inclusive. » (*Ibid.*) Dicto *Gloria Patri,* etc. tegant caput. (*Cærem.*)

« Sic autem inchoentur omnes aliæ Horæ, exceptis » Completorio, Matutinis et Laudibus, prout infra ; » excepto etiam Triduo ante Pascha et die Anima- » rum. » (*Collect.*)

643. *Ad Completorium*, stantibus erectis ad invicem Fratribus, detectoque capite, Versicularius dicit : *Jube Domne benedicere.* « Quo dicto subjungatur ab » Hebdomadario, detecto capite, versoque vultu ad » Chorum, Fratribus inclinantibus usque ad genua, » Benedictio : *Noctem quietam,* etc .. Chorus respon- » deat : *Amen.* Dictaque subinde a Versiculario verso » vultu ad Chorum brevi Lectione : *Fratres sobrii* » *estote,* stantibus Fratribus, et similiter ad invicem » versis vultibus, responsoque ab ipsis finita Lectione, » *Deo gratias*, dicat Prælatus, vel in ejus absentia (V. » n.° 1090.) Hebdomadarius : *Adjutorium...* ad quod » omnes respondeant : *Qui fecit*, etc. » (*Collect.*)

644. « Omnes inclinantes profunde, vel prostrati » super formas pro tempore, dicant *Pater noster* to- » tum secreto. Quo dicto, subjungat qui dixit *Adju-* » *torium,* voce distincta et intelligibili, sine cantu, in- » clinatus cum cæteris ut ante : *Confiteor,* prout supra » n.° 214., alternatim cum Choro. (*Ibid.*)

645. Quo dicto, erigant se omnes, versis vultibus ad Altare. Tunc Hebdomadarius incipiat in nota : ℣. *Converte nos*, etc., Fratresque omnes, respondeant : *Et*

*averte*, etc... Hebdomadarius subjungat, eodem modo ac supra n.° 642; *Deus in adjutorium*, etc., et Chorus similiter respondeat, et cætera expleat, prout ibidem notatur. (*Ex Collect.*)

646. *Ad Matutinum*, omnia usque ad *Alleluia* inclusive perficiantur eo modo quo dictum est n.° 642, hoc excepto : quod ante *Deus in adjutorium* præmittitur ab Hebdomadario ℣. *Domine labia*, etc. (1) « pollice signando os sibi signo Crucis » (*Cærem. C.*) et respondetur a Choro, similiter se signante (*Ibid.*), versoque vultu ad Altare, ut supra : *Et os meum*, etc. Ante Laudes præmittitur similiter (absque signo Crucis), Versiculus pro tempore notatus ; quo dicto, incipitur : *Deus in adjutorium*..., ut supra. (*Ibid.*)

## §. III. De modo cantandi Invitatorium.

647. Ad cantandum *Invitatorium*, Fratres ad *Sicut erat* surgentes, coram pulpito ad medium Chori, (si tamen librum in suis locis non habeant) conveniant, « omnibus profunde inclinantibus, si ibi fuerit Cor» pus Christi. Dum autem cantantur Invitatorium et » Psalmus *Venite exultemus* stare debent (V. n° 742.) » versis vultibus ad Altare ; ad ea verba : *Venite* » *adoremus* et *procidamus ante Deum*, debent devote » genua flectere, Chorus contra Chorum (capite dis» cooperto); ad Versum autem *Gloria Patri*, debet » Chorus contra Chorum inclinare ad genua : » (*Collect.*) quo dicto, Fratres maneant versi ad invicem. (*Ex Ord.*)

---

(1) Notandum quod nec in Collectario nec in Ordinario fit mentio de signis Crucis faciendis ad *Domine labia*; vel *Converte nos*; in Cæremoniali vero, prout supra notatur, et similiter in Cœrem. Episcoporum : in multis autem locis signa Crucis fieri solent in fronte, ore et pectore dum prædicta verba dicuntur.

648. « In Festis Duplicibus et supra, Invitatorium » quatuor incipiant, » (1) in medio, coram minori pulpito; et postquam a toto Choro cantatum fuerit integrum, « duo illorum, qui primi in Tabula notati fuerint, soli totum primum Versum Psalmi *Venite* dicant, et alii secundum Versum *Quoniam Deus*, et sic » deinceps usque ad finem, » Choro repetente integrum Invitatorium et resumptionem illius alternatim post quemlibet Versum. (*Ord.*)

649. Post Versum, *Quoniam ipsius est*, prædicti quatuor simul ad invicem bini et bini inclinationem mediam faciant, et similiter post *Gloria Patri*; « quo finito » a duobus tantum, et dicta resumptione a Conventu, » reincipiatur Invitatorium a quatuor » et cæteri prosequantur ut prius. (*Ex Ord. et Const.*)

650. Dominicis diebus, in Festis Duplicibus, in diebus Octavarum Solemnium et supra, et infra eas, necnon in die Octava Simplici, et in Festis Votivis infra hebdomadam, duo tantum incipiant, et dicant omnes Versus Psalmi prædicti, eodem modo ac supra. Ferialibus autem diebus, et in Vigiliis (nisi in Dominicam inciderint), necnon in Festis Trium Lectionum, et infra Octavas Simplices, solus Versicularius de Choro cujus est hebdomada cantet in medio Chori Ps. *Venite*. Si autem non cantetur Officium, illum recitet stans in sede sua, verso vultu ad Altare, et fiant ab eo inclinationes versus Chorum oppositum. (*Ex Ord. pass.*)

(1) Quod intelligitur si solemniter celebrantur; alioquin a duobus tantum incipi potest, ut infra, n.° 650. (*Vid. Litt. May. Ord.*)

## §. IV. De modo dicendi Psalmos, Hymnos et Cantica.

651. *Psalmi* hoc modo dicantur : Incœpto primo Psalmo ab uno solo Cantore in ea parte ut supra dictum est, omnes Versus illius alternatim dicuntur a Choro dextro et sinistro ; et si plures Psalmi continuatim sub una Antiphona habeantur, similiter Versus successive dicendi sunt, quousque Antiphona dicatur ; post dictam autem Antiphonam, si habeantur alii Psalmi, tunc primus eorum post primam Antiphonam incipiet in parte altera, et sic alternatim usque ad finem omnium Psalmorum. (*Ex Const. et usu.*)

652. Dum dicuntur Psalmi , Fratres in ea parte Chori in qua incœpta est Hora Canonica stent, versi ad Chorum, per totum Psalmum, et cæteri sedeant; et sic se habeant Fratres usque dum erigere se debent ad inclinandum pro *Gloria Patri*, sive dicatur post primum Psalmum, sive post secundum aut quartum. Et si *Gloria Patri* non dicitur, ut in Triduo ante Pascha, hoc fiat usque ad finem Psalmi. Dum autem dicitur Psalmus qui sequitur *Gloria Patri*, Chorus qui jam stetit vice versa sedeat ; et sic fiat successive ad omnes Psalmos , (necnon ad Canticum *Benedicite* vel aliud infra Laudes) usque ad Ps. *Laudate Dominum de Cœlis* cum duobus sequentibus , ad quos manemus erecti. Item , ad Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, numquam sedemus, sed omnibus stantibus erectis dum dicitur, post illum stent qui prius sedebant. (1) (*Ex Const. I. C. II, Cœrem. et usu.*)

653. Dum autem Psalmi dicuntur alternatim cum Organo, tunc unus de Choro dicat Versum ab Organo

---

(1) Si autem contingat in aliquibus Conventibus Psalmos integros

figuratum, et uterque Chorus alium Versum, serventurque supra notata n.° 582. et seq. Servetur etiam modus specialis dicendi Psalmos in Officio quotidiano B. M. V., in Officio Defunctorum, in Capitulo, in Disciplinis, etc. prout in propriis locis notatur.

654. *Hymni* in utrisque Vesperis, Matutinis et Laudibus, necnon *Te Deum*, et Cantica *Magnificat* et *Benedictus* a duobus Cantoribus inchoantur (prosequente Choro dextro) in Festis Duplicibus et supra, (nisi Officium fiat in verbis sine nota), et alternatim a Choro dextro et sinistro dicantur ; nisi pulsentur Organa alternatim, quo in casu servetur regula ut supra 653. In cæteris autem Horis, necnon in Officiis inferioris ritus, prædicta ab uno inchoantur in ea parte ubi est Chorus, et similiter alternatim absolvantur, nisi aliter notetur in propriis Rubricis.

655. Dum autem Hymni quicumque dicuntur Fratres stent, (nisi cum genuflectendum aut inclinandum fuerit) Chorus contra Chorum ; item ad Cantica prædicta, et ad Canticum *Nunc dimittis*, similiter stent, sed insuper discooperto capite, quod deinceps non cooperiant usque ad finem Horæ. (*Cærem. C. et usus.*)

## §. IV. De modo dicendi Antiphonas, Responsoria et Versiculos.

656. *Antiphonæ* quæcumque in omnibus Horis simul cantantur ab utroque Choro : exceptis, ubi consuevit, Antiphonis *Salve Regina*, *O lumen*, et aliquibus aliis B.M.V., quæ cantantur alternatim per Versus a Choro dextro et sinistro, vel a toto Choro et Organo; excepto

---

figuraliter a sæcularibus in Organo decantari, sedeat totus Chorus : præterquam in incœptione, et in fine ad *Gloria Patri*, *Sicut erat*, et cum aliqua verba cantantur ad quæ inclinare debemus, ut cum dicitur : *Sit nomen Domini benedictum*. (*Cærem. C.*)

etiam Versu Antiphonæ *Media vita*, qui cantatur ab uno in medio Chori, sedentibus Fratribus. Item Antiphonæ ad *Magnificat*, *Benedictus*, et *Nunc dimittis* a toto Choro decantentur ; nisi quando in Vesperis et Laudibus fuerint duplicandæ : tunc enim poterunt secunda vice in Organo dici. (V. n.° 584.) Dum autem quæcumque Antiphona cantatur in Choro, regulariter Fratres stent erecti, cooperto capite, (nisi post Cantica ut supra), coram pulpito in medio Chori, vel Chorus contra Chorum in locis suis. De Antiphonarum inchoatione vid. in officio Cantoris, n.° 895. et seq.

657. *Responsoria*, alia dicuntur brevia, alia prolixa. Responsoria *prolixa*, scilicet quæ post singulas Lectiones cantantur in Nocturnis, vel post Capitulum in I. Vesperis, vel ad Tertiam, Sextam, et Nonam in Dominicis infra Septuagesimam et Quadragesimalibus diebus, veluti etiam, ℟. *In pace* ad Completorium, postquam inchoata fuerint, concinuntur a toto Choro usque ad Versum ; Versus autem et *Gloria Patri* cantantur ab uno, vel duobus, vel quatuor, ut infra dicetur. Similiter totus Chorus resumit partem Responsorii post Versum, et post *Gloria Patri ;* item et totum Responsorium, facta prius inchoatione, si totum resumendum fuerit.

658. Eadem Responsoria prolixa in solemnibus Processionibus et aliis functionibus extra Officium et Missam, eodem ordine ac supra cantentur a Choro. In Processionibus vero non solemnibus, puta in delatione Corporis Defuncti ad Ecclesiam, Responsorium, singulos Versus et Resumptiones, postquam ab uno Cantore inchoati fuerint, totus Chorus prosequatur. (*Ex Process.*)

659. « Dum Responsorium cantatur in Vesperis, » stet Conventus usque ad Versum, Chorus contra » Chorum ; et dum Versus dicitur sedeat usque ad » *Gloria Patri*, vel usque ad Resumptionem quando » *Gloria Patri* non dicitur. Et hoc semper observetur

» quando ℟. in Vesperis cantatur. Quandocumque » ℟. reincipitur, puta ℟. *Aspiciens* in Dominica I. » Adventus, interim stent Fratres donec totum fue» rit percantatum. Alias autem sedeat Conventus » dum ℟℟. in Matutinis cantantur, præterquam ad » *Gloria Patri* et ad suam Resumptionem, nisi aliqui » ad librum stare voluerint » in medio Chori. (*Ord.*) In Responsorio *Libera me*, surgit Chorus ad ℣. *Creator.* (V. n.° 748. et in loc. proprio.)

660. Dominicis diebus infra Septuagesimam ad ℟℟. Horarum, et infra Dominicam I. Quadragesimæ ad eadem Responsoria, necnon ad Responsorium *In pace*, stent Fratres versi ad invicem; dum autem dicitur Versus Responsorii, sedeant usque ad *Gloria Patri* exclusive, vel usque ad Resumptionem ut supra.(*Ibid.*)

661. « In Festis Duplicibus et supra. Responsorium » in Vesperis cantetur a quatuor quibus injunctum » fuerit a Cantore. (*Ord.*) (1) Singula ℟℟. in Matuti» nis a duobus cantentur, præter ultimum quod a » quatuor dici debet. Dominicis autem diebus (et in » cæteris aliis Officiis) singula Responsoria a singulis » Fratribus in Matutinis decantentur. » (*Ord.*) Item Responsoria Horarum de quibus n.° præcedenti, ab uno cantentur. Illi vero qui designantur ad cantandum hujusmodi Responsorium, sive ab uno sive a pluribus præcinendum sit, illud primum inchoare debent in medio Chori, verso vultu ad Altare; postea Versum aut Versus integros decantent, et post *Gloria Patri* simul ad invicem inclinent; ipsumque Responsorium, si repetendum sit a capite, post ultimam Resumptionem reincipiant.

662. Quæ de modo dicendi Antiphonas et Respon-

---

(1) In Festis non Solemnibus a duobus tantum cantari poterunt. (*Vid. Litt. Mag. Ord.*)

soria hucusque dicta sunt, intelligi debent si cantetur Officium. Quando autem Officium dicitur in verbis non in nota, quæ scripta sunt ut a toto Choro cantentur pariter a toto Choro dici poterunt; sufficit tamen quod, pro consuetudine Provinciarum, Antiphonæ ac Responsoria integra ab uno recitentur alta voce, ita ut ab omnibus de Choro audiri possint: exceptis Antiphonis Psalterii et Completorii, necnon et Responsoriis Horarum, et Antiphonis et Responsoriis in Officio Quotidiano B. M. V. et Defunctorum, quæ (præter Versus) ab omnibus recitari solent. Dum autem hoc modo Responsoria et Antiphonæ dicuntur, Fratres se habeant more solito : qui autem solus recitat semper stet erectus et discooperto capite.

663. *Responsoria brevia* in Festis Duplicibus et supra, in Horis præcinuntur a duobus, stantibus in medio Chori verso vultu ad Altare; et postea repetuntur a toto Choro; deinde illi qui præcinuerunt Responsorium dicunt Versum, et Chorus Resumptionem; dictoque ab illis duobus *Gloria Patri*, repetitur integrum Responsorium a toto Choro, stante interim erecto verso vultu ad invicem. Eodem modo dicuntur ℟℟. brevia Horarum cæteris diebus, præterquam quod incipiantur et Versus dicantur ab uno, stante in sede sua, verso vultu ad Altare. Fiant autem ab omnibus inclinationes ad *Gloria Patri* prout infra dicetur.

664. *Versiculi* ante Lectiones in Nocturnis, et post Hymnum in Laudibus, Vesperis et Completorio, et post ℟℟. Horarum cantantur a duobus in Festis Duplicibus et Totis Duplicibus, in medio Chori, verso vultu ad Altare; cæteris vero diebus a solo Versiculario hebdomadæ, stante in sede sua, verso vultu ad Altare. Istiusmodi vero Versiculis, sicut et quibuslibet similibus in Processionibus aliisve functionibus cantandis, a toto Choro respondetur, stantibus omnibus versis vultibus ad invicem, nisi aliter notetur.

### § V. De modo servando in cæteris partibus Horarum et in earum terminatione.

665. Dicto Versiculo in Nocturnis, Fratres discooperti capite inclinatique profunde, dicant *Pater noster*, secreto usque ad ℣. *Et ne nos*, ad quem surgant, et respondeant communiter : *Sed libera*, etc.

Ad quamlibet *Benedictionem* cooperto capite inclinent usque ad genua.

Ad *Lectiones* autem sedeant omnes, præter illarum Lectorem ; post singulas earum respondeant : *Deo gratias*, nisi omittatur clausula finalis, *Tu autem*, vel alia. Quod observetur in omni Lectione tam in Matutinis quam in *Pretiosa*, præterquam in Lectione de Evangelio, ad quam omnes stare debent erecti discooperto capite. A quibus autem et quo ordine legi debeant Lectiones in Matutinis dicetur, in Art. de officio Cantoris et Lectorum. (V. n.° 867. et seq.) (*Cærem. et usus.*)

666. Dum *Capitulum* legitur ab Hebdomadario stante verso vultu ad Altare, Fratres stent erecti versi ad invicem, et in fine semper respondeant : *Deo gratias*. Deinceps autem usque ad finem Horæ non sedeant.

667. Quoties dicitur *Dominus vobiscum*, Chorus stans, detecto capite, respondeat : *Et cum spiritu tuo*, in Officio vel in Capitulo, versus ad alterum Chorum; in Missa vero versus ad Altare.

Ad *Collectam* fiat inclinatio vel prostratio de qua infra : surgant autem Fratres ad *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, et in fine respondeant : *Amen*, quod semper ab omnibus dicendum est post Orationes. Si Memoriæ aut plures Orationes dicantur, stent similiter versi ut supra ; ad conclusionem vero ultimæ Orationis Officii inclinationem et vel prostrationem faciant sicut ad primam Collectam , et cæteras inclinationes, si quæ occurrerint faciendæ, non omittant.

668. *Benedicamus Domino* post ultimum *Dominus vobiscum* ab uno vel duobus dicitur, prout supra de Versiculis n.° 664. dictum est, eodemque modo : excepto quod ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium, semper ab Hebdomadario verso vultu ad Chorum dicatur ; et similiter ad Laudes et Vesperas, quando Officium non cantatur. Chorus autem semper respondeat : *Deo gratias.*

669. Prælatus, vel Hebdomadarius (V. n.° 1090.) dicat : *Fidelium* graviter et distincte, et ea voce qua possit ab omnibus audiri ; et respondeatur : *Amen.*

Quo dicto, Fratres inclinati profunde, vel prostrati dicant *Pater noster* totum secreto ; factoque signo a Prælato, vel Hebdomadario, genuflectentes erectoque corpore, et detecto capite, facie ad faciem, dicant communiter Ant. *Salve Regina*, etc. *Pie Pater*, etc. Quibus dictis, surgens Hebdomadarius, stans semper in ea parte Chori in qua pendet Tabella choralis dicat, verso vultu ad Altare, Versus notatos cum tribus Orationibus correspondentibus, Choro respondente. Deinde dicatur *Pater noster* totum secreto. Ad Completorium, responso *Deo gratias* post *Benedicamus*, detur a Prælato, vel Hebdomadario, (V. n.° 1090.) Benedictio, omnibus inclinantibus usque ad genua, et de more se signantibus : *Benedictio*, etc. Deinde, si dicendum fuerit, dicatur Completorium B. M. V. et dicto *Benedicamus* inchoatur *Salve Regina.* Reliqua absolvuntur prout in Art. de Processionibus dicitur. (*Ex Collect. et usu.*)

### §. VI. De modo dicendi Officium B. M. V.

(Vid. n.° 316. et seq.)

670. Quo tempore noctis vel diei recitari debet Officium quotidianum jam dictum est supra n.° 599.

*Matutinæ* dicuntur in Dormitorio, ad Altare ejusdem B. Virginis ibidem erectum, Fratribus stantibus, uno

(1) dicente unum Versum, et cæteris respondentibus alium Versum. (*Const. C. I.*) Qui notatur ad Versiculos solet dicere Ps. *Venite exultemus*, Lectiones et Versus Responsorium in Matutinis; ille autem qui incœpit hoc Officium, tam in Psalmis, quam in Hymnis et Canticis, servatis pausis debitis, alternatim dicit Versum cum cæteris Fratribus; idemque Versiculos et Orationes recitat, cunctis simul respondentibus. Nullæ fiant inclinationes, nisi capitis ad singula *Gloria Patri*, et ad SS. Nomina Jesu, Mariæ, Dominici, prout infra declarabitur. De cœteris servandis in hujusmodi Matutinis, cum nihil statuatur specialiter, fiat secundum pios usus uniuscujusque Provinciæ.

671. *Reliquæ Horæ* ejusdem Officii persolvuntur in Choro, Hebdomadario incipiente alta voce sine cantu, omnibus stantibus versis ad Altare : ℣. *Ave Maria*... et Choro simul respondente : *Benedicta tu*, etc. Cætera vero eodem modo perficiuntur ac in Horis diei, sequentibus exceptis, videlicet : numquam cantetur, nec sedeant Fratres ; non fiant prostrationes, sed tantum inclinationes profundæ loco earum; omnes Antiphonæ semper ab omnibus dicantur.

### §. VII. De modo dicendi Preces.
(Vid. n.° 323. et seq.)

672. *Modus dicendi Preces* talis est : *In Completorio*, finita Antiphona super Canticum, Cantor incipiat : *Kyrie eleison*, et prosequatur Chorus : *Christe*, etc.; inclinatisque vel prostratis Fratribus, dicatur *Pater noster;* quo dicto secreto, Hebdomadarius alta voce, aliquantulum se erigens, subjungit : *Et ne nos*, etc.

---

(1) Solet in multis Provinciis ipse Prælatus Versum dicere solus ; in aliis vero Hebdomadarius.

℣. *In pace*, etc., respondente Choro. Deinde dicitur *Credo* secreto; quo dicto Hebdomadarius solus erectus, et versus ad Altare dicat alte: ℣. *Carnis*, etc. ℣. *Dignare*, etc., deinde *Dominus vobiscum* et Orationem more solito, ad omnia Choro respondente. Sequitur *Benedicamus*. (Vid. n.° 668.)

673. *In Prima*, dicto Versiculo *Exurge*, sequitur communiter, incipiente Cantore, *Kyrie eleison*, etc, deinde *Pater noster*. ℣. *Et ne nos*. ℣. *Vivet*, etc. ℣. *Erravi*, etc., eodem modo ac supra; postea *Credo* secreto; ℣. *Carnis*, ad quem Hebdomadarius non se erigat totaliter; sed dicto *Confiteor*, omnibus inclinatis vel prostratis ut prius, Hebdomadarius solus erectus, versus ad Altare, dicat: ℣. *Dignare*, etc. deinde Orationem eo modo quo supra.

674. In *Vesperis*, *Laudibus* et *cæteris Horis*, ante Orationem Horæ dicitur a Fratribus prostratis super formas: *Kyrie eleison*, etc., *Pater noster*, etc., ut supra, et dicto ab Hebdomadario erecto ℣. *Et ne nos*, etc., reliqua perficiantur more solito.

## §. VIII. De modo dicendi Litanias Sanctorum post Completorium.

675. Quando *Litaniæ* debent in Choro recitari, vid. n.° 327. et seq. « Dicto *Pater noster* et *Credo* post » Completorium, a Fratribus genuflexis, vel, si in » Completorio factæ fuerunt prostrationes, prostratis » usque ad ultimam Orationem inclusive, dicatur sine » cantu Psalmus *Deus in adjutorium* cum *Gloria Patri*, » Choro in quo est Hebdomadarius primum Versum in» cipiente, et altero alternatim respondente. »(*Collect.*)

676. « Finito Psalmo, Hebdomadarius, stans in me» dio Chori, dicat sine cantu: *Kyrie eleison*, respon» dente Choro » prout notatur in Collectario, invocationes non repetendo, nisi usque ad *Sancta-Maria* ex-

clusive. « Quando B. Dominicus fuerit nominandus, » exaltetur vox, et bis nominetur » (*Ord.*) capite inclinato.

677. Quando dicitur Psalmus *Deus in adjutorium* absque Litaniis cum Precibus et Orationibus, eodem modo fiat ac supra. Quando autem dicuntur Litaniæ ante Missam, duo Fratres, superpelliceis induti, stantes in medio Chori, incipiant Litanias, stantibus Fratribus versisque vultibus ad Altare et simul respondentibus, eodem modo ac supra. (*Ord. et Cærem.*)

678. Quandocumque Litaniæ SS. dicuntur in Choro, Fratres discooperiant caput a principio Psalmi usque ad *Sancta Maria*, et ab *Agnus Dei* usque ad finem (*Ex usu*), non omissis inclinationibus capitis (si non fuerint prostrati) dum pronuntiantur Nomina B. Mariæ, S. Patris Dominici, et dum fit mentio effusi pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

### §. IX. De modo recipiendi Disciplinas post Completorium.

679. De diebus et loco in quibus fieri debent Disciplinæ vid. n.° 330 et seq. « Finitis Litaniis, si fuerint » recitandæ, et Fratribus ad Disciplinas præparatis, » dicatur a toto Choro prostrato *Confiteor*. Respondeat » Hebdomadarius, stans in medio superioris partis » Chori, et habens disciplinam in manu, dicat : *Misereatur vestri*, etc. Deinde incipiat Psalmum, *Miserere* » *mei Deus*, et Conventus illum prosequatur usque ad » finem, ita ut Hebdomadarius dicat unum Versum, » et Conventus alium alternatim. Dicto *Gloria Patri*, » subjungatur ab omnibus : *Kyrie eleison*, etc., *Pater* » *noster* secreto ; quo finito, dicat Hebdomadarius : ℣. » *Et ne nos*, etc., ℣. *Salvos fac servos*, etc., *Dominus* » *vobiscum* et Orationem *Deus cui proprium est*, Choro » ad omnia respondente. »

680. « Dum autem Psalmus, Versus et Oratio dicuntur, Fratribus præparatis ad Disciplinas et prostratis super formas, circumeat Hebdomadarius totum Chorum, dando ipsis disciplinas, (1) incipiendo a dextris in superiori parte Chori, et descendendo. Deinde prosequatur in sinistro, incipiendo ab inferioribus; nec debet pausare quousque compleverit Psalmum, Versum et Orationem.

681. « Quilibet autem Frater, si ille qui dat Disciplinas non est reversurus ad eum, potest reponere vestes suas; sed nihilominus maneat prostratus, quousque finita sit Oratio : qua finita Hebdomadarius vadat deferens Disciplinas ad Prælatum, sive ad illum qui Prælati vices in Choro tunc gerit, a quo Disciplinam accipiat, et postea in suum locum revertatur. »

682. « Si vero Conventus adeo sit magnus, ut Hebdomadarius solus non possit Disciplinas interim absolvere, Hebdomadarius præcedentis septimanæ ei adjungatur, qui in Choro sinistro dabit Disciplinas circumeundo, et incipiendo a parte inferiori, ita ut uterque semel tantum circumeat Chorum. » « Provideat autem Sacrista quod in certo loco semper virgæ pro Disciplinis ita in promptu habeantur, quod pro defectu earum non contingat Conventum moram contrahere expectando. » (*Collect. et Ord. text.*)

---

(1) « Terga Fratrum aliquot ictibus percutiat. » (*Cærem. C.*)

# ARTICULUS II.

## DE ORDINE ET HABITU SERVANDO IN CHORO IN CELEBRATIONE MISSÆ CONVENTUALIS.

### §. I. De ordine servando in aspersione Aquæ benedictæ, in thurificatione, etc.

683. In aspersione Aquæ benedictæ, diebus Dominicis ante Missam, dum incipitur Antiphona *Asperges me*, vel alia, pro tempore, Sacerdos (postquam ipsum Altare asperserit) « aspergat Diaconum, Subdiaconum et » Acolythos ; deinde Magistrum Ordinis, (si adsit) ; » postea Cantores » stantes in medio Chori, si fuerit Festum Duplex vel Totum Duplex (*Ord. et Coll.*) ; « postmodum Fratres, incipiens a dextris : nisi quan» do nullo Prælato existente in Choro dextro, Prior » aliquis fuerit in sinistro, vel quando Priore Conven» tus existente in Choro dextro, major Prælatus est » in Choro sinistro ; tunc enim aspergendus est ma» jor Prælatus, deinde Prior, et postea immediate » Chorus dexter. Si tamen Prælatus ille, qui est in si» nistro Choro, habet aliquem Fratrem Magistrum su» periorem locum obtinentem, tunc aspergendus est » prius Chorus dexter. Sicut etiam fiet quando, exi» stente Prælato aliquo non Magistro in sinistro Cho» ro, Magister aliquis est in Choro dextro. (*Miss.*) (1).

684. « Quando adest aliquis Episcopus, vel Sedis » Apostolicæ Legatus, debet Hebdomadarius porrigere » eis aspersorium, ut seipsos aspergant. » (*Coll.*) « In » aspersione aliorum Fratrum, incipiet ab antiquiori-

(1) Si Chorus fuerit retro Altare, tunc in Processione ad *Salve Regina*, Chorus dexter erit ex parte Evangelii, prout habetur in Collectario. Si autem Chorus fuerit ante Altare, Chorus dexter erit ex parte Epistolæ.

» bus in sedibus eminentioribus, et a junioribus in se-
» dibus inferioribus se gyrando, si ibi fuerint Fratres,
» prosequendo in utroque Choro. Post Fratres Clericos
» aspergantur Fratres Conversi; postmodum sæculares
» tantum in Choro existentes, nisi ubi fuerit consue-
» tudo quod et alii extra Chorum aspergantur. »(*Miss.*)

685. « Prædictus ordo servetur in thurificatione
» infra Missam, in danda pace (hoc excepto quod sæ-
» cularibus nec incensum nec pax ullo modo detur).
» Item in aspersione Aquæ post Completorium, ubi
» ab uno tantum aspergi consuevit (1). Item in thuri-
ficatione in Vesperis et Laudibus, cum hac differentia
quod Thuriferarius incenset prius Sacerdotem « facien-
» tem Officium, secundo Magistrum Ordinis (si adsit),
» deinde Acolythos, postea Cantores stantes in medio
» Chori; deinde Chorum utrumque, prius dextrum
» postea sinistrum, incipiendo, secundum ordinem
» in aspersione Aquæ benedictæ supra præscriptum. »
(*Collect.*)

686. Dum autem Fratres asperguntur stent erecti versi ad invicem, (nisi ad Antiphonam *Salve*, si prius genuflectendum fuerit) solentque caput discoopertum inclinare (2); similiter stent, et caput paululum inclinent dum thurificantur; eodemque modo se habeant in recipienda pace, et sibi porrectum instrumentum pacis reverenter osculentur.

687. Ad aspersionem Aquæ benedictæ diebus Dominicis ante Missam, dicitur Antiphona *Asperges me*, cum Versu *Miserere*; deinde *Gloria Patri... Sicut erat...* (cujus loco tempore Passionis dicitur ℣. *Et secundum...*): postea repetitur *Asperges me* usque ad Versum.

---

(1) Ubi autem a duobus fieri solet, uterque Chorus ab uno simul aspergitur, incipiendo ut supra.

(2) In multis locis Fratres solent etiam se signare a fronte ad pectus et humeros.

Tempore Paschali, dicitur Antiphona *Vidi aquam*, cum Versu *Hæc dies* in die Paschæ, vel *Confitemini* cæteris Dominicis usque ad Pentecosten, qua die dicitur ℣. *Emitte*; deinde *Gloria Patri*, ut supra; et postea resumptio *Et omnes....* usque ad Versum.

Hæc autem eodem modo et ordine cantantur ac Introitus Missæ, de quo in §. seq. Finita aspersione, dicuntur a Sacerdote Versiculi *Ostende*, etc., *Domine exaudi*. etc., *Dominus vobiscum*, et Oratio *Exaudi nos*, etc., Fratribus interim stantibus versis vultibus ad Altare, et ad prædicta simul respondentibus. (*Ex Miss.*)

### §. II. De initio Missæ usque ad Responsorium.

688. In Festis Duplicibus et Totis Duplicibus inchoationes in Missa fiant a duobus in medio Chori, Choro dextro prosequente ea quæ cum altero Choro alternatim dicenda sunt. Cæteris vero diebus inchoationes ab uno fiant (aliquibus exceptis de quibus infra), et prosecutio eorum quæ alternatim cantantur fiat in parte ubi est Tabella Choralis. (*Ex Cærem. C.*)

689. *Officium* seu *Introitus*, inchoatione facta, cantatur a toto Choro usque ad Versum; Versus autem eodem modo inchoatus, a toto Choro absolvitur; *Gloria Patri* ab illo, vel illis qui inchoaverunt cantatur, cæteris Fratribus inclinantibus usque ad genua, (illi vero post cantatum *Gloria Patri* inclinent), et *Sicut erat* a toto Choro dicitur; deinde repetitur Introitus eodem modo ac prius, nisi tunc pulsentur Organa.

690. *Kyrie* alternatim a Choro dextro et sinistro, vel a toto Choro et Organo cantentur, servatis quæ n.° 587, 591, 727; et similiter *Gloria in excelsis*, inchoatione facta a Sacerdote. Item *Sanctus* et *Agnus Dei*.

691. Dum autem Officium et omnia prædicta cantantur, stet Chorus contra Chorum, nisi aliqui ad librum

stare voluerint, et similiter dum cantantur *Sequentia*, *Offertorium* et *Communio*. Dum autem inchoatur *Gloria in excelsis*, stent Fratres versi ad Altare et discooperto capite ; similiter ad *Dominus vobiscum*, et ad omnes Orationes (non secretas) ad quas non inclinatur, sive ante *Prophetias*, sive ad Memorias, sive alias. Dum autem dicuntur Lectiones, seu Prophetiæ, et Epistola, sedeant. (*Ex Ord. et Cærem. pass.*)

### §. III. De modo cantandi Responsorium *Alleluia*, Tractum et Sequentiam in Missa.

692. *Responsorium*, post Prophetias, vel post Epistolam, cum suo Versu, Cantore incipiente, cantatur a toto Choro Ferialibus diebus, in Festis Trium Lectionum, necnon infra Octavas simplices ; item in diebus Octavis Trium Lectionum et in Vigilia Epiphaniæ non incidentibus in Dominicam. Cæteris vero diebus, Responsorium a duobus inchoatur, prosequente Choro; Versus autem ab iisdem cantetur usque ad duas virgulas simul junctas, et Chorus reliquum prosequatur. « Quando Responsorium de Missa cantatur, sedeat » Chorus, nisi aliqui ad librum stare voluerint » in medio Chori. (*Ex Ord.*)

693. *Alleluia*, extra tempus Paschale, in Dominicis diebus, et Festis simplicibus et supra, in diebus Octavis et infra Octavas quascumque, necnon in Festis Votivis infra hebdomadam « cantandum est a duobus ; in » Duplicibus vero et Totis Duplicibus a quatuor, ubi » servari poterit, cantetur. » (*Ibid.*)

694. Incœptum a prædictis duobus vel quatuor, « *Alleluia* a toto Choro reincipiatur, et neuma totum ante » Versum cantetur. » (*Ibid.*) Versus autem, postquam cantatus fuerit ab iisdem qui incœperunt usque ad duas virgulas simul junctas, compleatur a Choro. Postea iidem duo, vel quatuor, iterum canant *Alleluia*, et Cho-

rus neuma prosequatur, nisi Sequentia sit cantanda : tunc enim, completo Versu, statim inchoatur Sequentia, et *Alleluia* ab ipso Choro reiteretur post Sequentiam, sub tono Sequentiæ et absque neumate. (*Ibid.*)

695. « Ad incœptionem de *Alleluia* surgat Chorus, » et si Versus cantandus fuerit a duobus vel quatuor, » sedeat Chorus dum Versus cantatur, et finito Versu, » quando resumendum fuerit *Alleluia*, surgat. » (*Ord.*)

696. In Festis vero Trium Lectionum, et in diebus « Profestis postquam Cantor incœperit *Alleluia* usque » ad duas primas virgulas simul junctas, statim Con» ventus, prætermisso neumate, Versum prosequatur; » quo cantato, Cantor reincipiat *Alleluia*, et Chorus » neuma prosequatur. Quando vero Versus de *Alleluia* » cantatur a toto Conventu, stet Chorus, etiam in Tem» pore Paschali quando unum solum *Alleluia* canta» tur. » (*Ibid.*)

697. *Tempore Paschali*, dum cantantur quatuor *Alleluia* cum duobus Versibus, (videlicet diebus supra notatis n.° 693.) « servetur quod supra de Responsorio » dictum est, » nempe : primum *Alleluia* a duobus tantum incipiatur, et idem *Alleluia* a Choro sedente repetatur cum integro neumate. Cantato autem a dictis duobus et completo a Choro primo Versu, non reincitur *Alleluia* in eadem nota, sed statim a duobus vel quatuor præcinitur *Alleluia* secundi Versus, surgente Choro et neuma subjungente ; secundus autem Versus ab iisdem canitur, et ab ipso Choro completur : et dum *Alleluia* iterum post Versum ab iisdem Fratribus incipitur, Chorus denuo surgit, deinde neuma prosequitur (*Ex Ord. cum emendatione juxta Missale.*)

698. In Festis Trium Lectionum et Ferialibus diebus Tempore Paschali, necnon in Vigilia Ascensionis, *Alleluia* cantatur sicuti supra dictum est in Festis Trium Lectionum per annum. In Missis autem Rogationum idem omnino fiat, nisi quod *Alleluia* non repetitur post

Versum. Quando *Alleluia* non repetitur post Versum, neuma de *Alleluia* numquam cantetur, nec in principio nec in fine. (*Ibid.*) In Vigiliis Paschæ et Pentecostes et infra earum Octavas, servetur prout in propriis locis.

699. *Tractus*. Ferialibus diebus, et Feria VI. in Parasceve, Sabbato sancto et Vigilia Pentecostes post Prophetias, a Choro dextro et sinistro alternatim dicitur sicuti et primus Tractus Dominica II. Quadragesimæ : cæteris autem diebus a quatuor, binis et binis, stantibus ad pulpitum in medio Chori, et singulos Versus alternatim canentibus ; et postquam cantaverint usque ad duas virgulas simul junctas ultimi Versus, Chorus residuum prosequatur. Dum autem Tractus cantatur, sive a quatuor sive a toto Choro, semper sedeat Chorus. (*Ex Ord.*)

700. *Sequentia* a Cantoribus et toto Choro alternatim semper cantatur, numquam vero cum Choro et Organo ; (V. n.° 588 ) et dum cantatur, stet Chorus contra Chorum. *Alleluia*, quando in fine dicendum fuerit, ab omnibus dicatur. (*Ex Ord.*)

## §. IV. Ab Evangelio usque ad finem Missæ.

701. *Ad Evangelium*. Finitis quæ de Responsorio et *Alleluia* vel Tractu dicenda sunt, si tempus suppetat, antequam dicatur Evangelium, interim sedeat Chorus. Ad *Dominus vobiscum* Evangelii surgant Fratres, et stent erecti, capite discooperto, versa facie ad Evangelium. « Dum autem dicunt : *Gloria tibi Domine*, debent se » vertere ad Altare et munire se signo Crucis : primo » cum pollice super frontem, super os, et super pectus, » deinde cum tota manu e fronte ad pectus et humeros. » Et dum Evangelium legitur omnes Fratres debent » vertere faciem ad Evangelium ubicumque legatur; et » ipso finito, munire debent se signo Crucis a capite

» usque ad pectus et humeros. » (*Ex Miss.*) (1) (V. n.° 776.)

702. *Credo*, in Festis Duplicibus et supra, alternatim a Cantoribus et Choro cantetur; cæteris vero diebus alternatim ab utroque Choro, numquam autem a Choro et Organo. Dum *Credo* inchoatur a Sacerdote, Fratres stent versi ad Altare discooperto capite, et dum cantatur, stet Chorus contra Chorum operto capite, nisi cum genuflectendum fuerit aut inclinandum caput, ut infra dicetur. (*Cærem.*) (Vid. n.° 589.)

703. Ad *Dominus vobiscum* et *Oremus*, stent Fratres versi ad Altare: Offertorium vero incipiatur et cantetur ut dictum est supra 688, 691; et postquam cantatum fuerit, omnes sedeant usque ad Præfationem. Dum autem pulsatur in Organis, dicto *Oremus*, pariter sedeant. (*Cærem.*)

704. *Ad Præfationem* se erigant, et communiter respondeant, versi ad Altare. Ad *Gratias agamus*, et ad SS. Nomina Jesu et Mariæ, inclinet ad genua Chorus contra Chorum, et dum fit thurificatio observentur quæ supra n.° 686.

*Sanctus* cantetur ut supra dictum est; et cum Fratres dicent: *Benedictus qui venit*, muniant se signo Crucis a capite ad pectus et humeros, nec debent se tunc vertere ad Altare. (*Ex Miss.*)

705. Post cantatum *Sanctus* fiant prostrationes pro tempore usque ad *Agnus Dei* exclusive: alioquin Fratres maneant genuflexi, capite discooperto, et post elevationem Calicis usque ad *Pater* prostrationes faciant super formas; ad *Pater noster* surgant, versi ad Altare, donec cantandum sit *Agnus Dei* (V. n.° 690.); quo

(1) Constat ex veterum Missalium collatione, mendum irrepsisse in recentioribus editionibus, cum in istis præcipitur Fratribus in Choro manus junctas tenere ante pectus, donec fuerit lectum; quare hæc Clausula hic omittitur.

dicto, recipiant pacem; deinde se vertant ad Altare usque ad Communionem, quæ cantetur eodem modo ac Offertorium; et postquam cantata fuerit, iterum se vertant ad Altare. Si vero Communio pulsetur in Organis, sedere poterunt. (*Cærem.*)

706. Ad *Dominus vobiscum* et Orationes eodem modo se habeant ac in principio Missæ; quibus dictis, stent versi ad Altare usque ad finem Missæ. Ad *Ite Missa est* vel *Benedicamus* respondeant: *Deo gratias*. (V. n.° 759, 776.)

707. *In Missis planis*, seu lectis, prætermissis cæteris omnibus, Fratres solent ad Evangelium surgere, et ad illud eodem modo (V. n.° 701.) ac in Missa Solemni se habere, et, si occurrerit, genua flectere. (V. n.° 776.) Item prostrationes, tam feriales quam alias, præterquam ad Orationes, debent facere. De cætero, manent genuflexi, corpore erecto, a principio Missæ usque ad ultimum Evangelium, interim pie orantes et Missam audientes (*Ex usu et Rubr. pass.*)

## ARTICULUS III.

## DE CANTU DIVINI OFFICII ET MISSÆ.

### §. I. De cantu Officii et Missæ in genere.

708. « In primis, quoniam Cultus divinus nostris » debet actionibus anteferri, hinc exordium recte » sumamus, statuentes ut in singulis Conventibus » Ordinis divinum Officium diurnum pariter et noctur- » num, cum nota, cantu, inclinationibus, prostrationi- » bus et pausa ordinaria distincte ac devotius cele- » bretur. » (*Rom.* 1481.) Nomine autem divini Officii venit etiam Missa Conventualis ex jure communi.

709. « Officium divinum debet cantari devote cum » quadam dulcedine et suavitate vocis; non cum ri-

» giditate nec cum asperitate, nec nimis alte, sed » voce mediocri; breviter : hoc est distincte, expedite, » et non nimis morose; debet etiam dici succincte : hoc » est sine caudis et protractione vocis in pausis vel in » fine Versus. Et hoc ne Fratres devotionem amittant, » si festinanter, confuse, et sine pausis, et non tractim » et distincte dicatur; et ne etiam studium eorum im- » pediatur, si nimis morose, et cum caudis, et protra- » ctione vocis in medio vel in fine Versuum decantetur.

710. « Quando Versus est longus, debet fieri duplex » pausa inter principium et finem Versus : una brevis » seu minor, et alia major, in medio Versus; et hujus- » modi pausæ sunt propter resumptionem anhelitus, » et propter decentiam et decorem psalmodiæ; in fi- » ne autem Versuum non debet fieri pausa inter » Versum et Versum, quamvis non debeat incipi se- » quens Versus ante terminationem Versus præce- » dentis. Pulchritudo enim Officii consistit in pausis, » et deturpatio ejus consistit in festinatione et con- » fusione, quæ causatur per remotionem pausæ. Pro- » lixitas autem Officii causatur ex protractione vocis » in medio vel in fine Versus. Et ideo ut Officium tra- » ctim, et distincte, et devote dicatur, pausæ sunt fa- » ciendæ et caudæ amputandæ. » (*Const. D. I.*)

711. « Pro varietate tamen dierum est major vel » minor solemnitas in Officio observanda. In diebus » enim Festivis est divinum Officium cum majoribus » pausis celebrandum : quia tunc Fratres sunt minus » in studio et lectionibus occupati; et etiam sæcula- » res in præfatis diebus solent magis ad divinum Of- » ficium convenire; et etiam illis diebus magis tene- » mur Deo vacare, quia ad hoc tales Festivitates sunt » institutæ. Ideo, illis diebus, devote, alacriter et so- » lemniter divinum Officium decantandum est; aliis » vero diebus poterit minus solemniter et cum minori » pausa, tractim tamen et distincte ac devote cele-

» brari. » (*Ibid.*) V.Litt. Mag. Ord. n. XI. XII. XIII.)

712. « Ne, dum nimium sæcularium devotioni in-» dulgemus inordinatus a nobis cultus Deo O. M. red-» datur, cum præsertim paupertatis et Instituti nostri » memores esse debeamus, utpote divina Officia in » præscripto nostrarum Constitutionum cantu chorali » breviter et succincte, pro qualitate tamen et varie-» tate Solemnitatum, taliter persolvatur, ne Fratres » devotionem amittant, aut eorum studium impediatur, » districte præcipimus, conscientias Prælatorum ag-» gravantes, ut musicæ in Ecclesiis nostris modera-» tissime fiant; neque liceat iisdem musicis seriem » nostri Officii contra præceptum Ordinarii nostri trun-» care vel immutare. » (*Bonon.* 1615.)

713. Nec aliquo modo fiant discantus a Fratribus in Ecclesiis nostris vel alienis; nec Fratres cantent nisi in ea voce qua cantus est inchoatus, non in Octava. (*Ibid.*) Psalmi autem semper cantari debent sub tono Antiphonæ propriæ, non autem sub alio, etsi plures sint Psalmi sub una tantum Antiphona : « quemad-» modum enim nihil cantandum est nisi quod legitur » esse cantandum, ita et cantandum non est nisi ad » formam præscriptam. » (*Ex Litt. Mag. Gen. in cap. Process.*) (V. n.° 888.)

714. Generaliter ea quæ scripta non sunt ut cantentur, puta : *Confiteor*, *Salve Regina* in terminatione Horarum, *Fidelium*, et cætera hujusmodi, mediocri voce, sed distincta et intelligibili recitentur. Quæ autem secreto aut submisse dicuntur in Officio, taliter dici debent, ut qui recitat, seipsum audiat, et aliis rugitum non faciat. (*Ex Const. et Rubr. pass.*)

### §. II. De tono Hymnorum.

715. Hymni secundum quasdam differentias tonorum cantari debent, pro diversitate temporum et dierum;

quæ sic se habent : (*Integ.* § *ex Psalt. et moderno Antiphonario.*)

*In Officio de Tempore.* Hymni ad *Vesperas*, *Matutinum* et *Laudes* numquam mutant suum proprium cantum, in Psalterio vel Antiphonario notatum : Ferialibus tamen diebus per annum assignatur tonus diversus a tono Dominicarum ejusdem temporis.

716. *Ad Completorium*, Hymni *Christe qui lux es...* et *Jesu nostra redemptio* suum genuinum cantum semper retinent, quocumque Festo aut Octava occurrente. Hymnus vero *Te lucis* sub tono qui adhibitus est in Vesperis antecedentibus cantatur, exceptis Ferialibus diebus per annum pro quibus habetur tonus diversus.

717. *Ad Primam, Tertiam, Sextam*, et *Nonam*, Dominicis diebus, quando agitur de Dominica, Hymni cantantur sub tono Laudum in Adventu et Quadragesima; sub tono vero Vesperarum respective tempore Passionis, tempore Paschali, et a Nativitate Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive; sub tono autem proprio ad Primam et Tertiam, et alio proprio ad Sextam et Nonam, reliquo tempore. Ferialibus autem diebus, sub tono feriali dicantur, qui numquam variatur, nisi tempore Paschali.

718. *In Officio de Sanctis.* Hymni proprii de Sanctis qui habent etiam tonum proprium notatum illum semper retinent quotiescumque cantantur ; idemque tonus dicitur ad omnes Horas Festi, si fuerit ejusdem metri; alioquin in Horis assumitur alius tonus, videlicet de Octava, vel de Tempore, vel de Communi, prout infra.

719. Hymni communes de Sanctis cantantur sub tono in Communi respective notato, pro qualitate et ritu Festorum, tam in *Vesperis* quam in *Matutinis* et *Laudibus*. Ad *Horas* vero et *Completorium*, idem tonus assumitur de Communi qui cantatur in Laudibus ejusdem Festi.

720. A Nativitate Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, omnes prædicti Hymni communes

ejusdem metri cantantur ad omnes Horas sub tono de Tempore, nempe : de primis Vesperis Nativitatis Domini, cujuscumque ritus sint Festa.

721. Item, a Sabbato in Albis usque ad primas Vesperas Ascensionis exclusive, omnes Hymni communes, vel non habentes tonum proprium ejusdem metri, (exceptis Hymnis de Communi Apostolorum in Vesperis, Matutinis et Laudibus,) cantantur ad omnes Horas in nota Paschali, videlicet : in Festis Duplicibus et supra, ut Hymnus *Ad cœnam;* cæteris vero diebus cum alio tono minori ejusdem temporis.

722. *Infra Octavas Solemnes* et supra, sive de Tempore sive de Sanctis, etiam Tempore Paschali, omnes Hymni ejusdem metri non habentes cantum proprium cantantur, in quibuscumque Festis occurrentibus, sub tono Festi cujus est Octava. Tonus autem Ascensionis adhibetur etiam duobus sequentibus post illius Octavam usque ad primas Vesperas Pentecostes exclusive.

723. *Infra Octavas Simplices*, quando fit de eis, Hymni ad Vesperas, Matutinas, et Laudes, et Horas cantantur sicut in Festo, si habeant tonum proprium ; alioquin cum tono communi de *Infra Octavas*, qui etiam potest adhiberi infra Octavas Solemnes proprium cantum non habentes. Infra Octavas Simplices B. Mariæ Virginis adhibetur tonus specialis, qui cantatur etiam in Sabbatis quando fit de Festo Votivo, imo ad libitum infra Octavas Solemnes et in minoribus Festis ejusdem B. Mariæ.

## §. III. De tono Capitulorum, et Orationum, et Ordinarii Missæ.

724. « Hoc modo cantentur omnia *Capitula*, ita ut
» primo ante Virgulam, vel punctum et Virgulam, fiat
» flexio ; secundo ante duo puncta fiat elevatio ; tertio
» ante punctum flectione altera finiantur. Pro varietate

» autem dictionum, numeroque, et prosodia syllaba-
» rum, varia flectenda, elevanda, et finienda sunt
» Capitula. (*Vid. Collect. vel Regulas Cantus.*)

725. Duplex datur modus cantandi *Orationes* : « Eodem tono, qui idem cum tono Capitulorum supra notato, cantantur omnes Orationes ad Completorium, et cæteras Horas : Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, et quotiescumque aliquæ aliæ Orationes quæ non sunt de corpore Officii cantandæ fuerint. » (*Collect.*) De hoc tono intelligenda est Rubrica Missalis, quoties in Benedictionibus quæ fiunt ante Missam, vel alibi sic habet : « Eo modo quo dicuntur Orationes ad Horas. »

726. Alter tonus solemnior semper adhiberi debet ad Vesperas, Laudes et Missam sine ulla distinctione dierum, etiam quando fit Officium pro mortuis.

Quomodo differt a primo, vide in Collectario, vel in Regulis cantus.

727. *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei* regulariter cantantur pro qualitate et ritu diei, ad normam inchoationum eorumdem quæ inveniuntur in Missali.

728. Tempore Paschali, cantentur *Kyrie* hujus temporis in Festis Simplicibus et supra, in diebus Dominicis et infra Octavas Solemnissimas et Solemnes, necnon in Vigiliis Paschæ et Pentecostes ; *Gloria in excelsis* et reliqua cantentur pro solemnitate diei sicut in alio tempore, in dictis autem Vigiliis ut in Festo Duplici.

729. *Kyrie, Gloria in excelsis*, etc. in Sabbatis de B. Maria (ex legitima concessione) possunt cantari in omnibus Festis necnon infra Octavas Solemnes ejusdem B. M.V. etiam in Festis Sanctorum infra eas, quovis tempore, et quoties cantatur Missa de Beata Maria Virgine.

730. In diebus Octavis Simplicibus et supra, necnon infra Octavas Solemnes et supra (quæ non sunt de B. Maria), quando fit Officium de Octava, cantantur *Kyrie*, etc., sicut in Festo Simplici ; in cæteris autem Octavis, et infra easdem, cantentur *Kyrie de infra Octavas*.

731. Cæterum, ut modi cantandi *Kyrie*, etc., juxta notam Ordinis authenticam, actualibus Festorum gradibus melius aptentur, pluribus Conventibus jam fuit indultum quod, servato cantu Totius Duplicis pro Solemnitatibus tantum, in Totis Duplicibus ordinariis cantari possint *Kyrie*, etc. pro Duplicibus assignata, in Duplicibus vero infra hebdomadam ut in Simplicibus, et in istis ut infra Octavas Simplices, cæteris servandis ut supra. (V. Litt. Mag. Ord. XI.)

732. « In omni autem tempore sic Chorus cavere » debet a nimia prolixitate cantus cum dicit *Sanctus*, » etc. et Sacerdos sic morose debet perficere ea quæ » dicuntur ante elevationem Hostiæ, quod numquam » fiat elevatio, quousque prædictus cantus non sit ter» minatus. » (*Miss.*)

733. Modus cantandi *Præfationem* et *Pater noster* duplex est : unus solemnior qui adhiberi debet in omnibus Missis quæ non sunt de Feria nec ritu Feriali celebrantur ; alter vero adhibendus in omnibus Missis Ferialibus, necnon in quibuscumque Missis Defunctorum. (*Ex Miss.*)

734. *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino* in Missa cantentur sub tono correspondenti Ordinario Missæ, juxta ritum diei, ut supra. In utrisque Vesperis et Laudibus tantum, *Benedicamus* cantetur secundum differentias tonorum diversis diebus attributas, prout jacent in Antiphonario et Processionario. (1)

735. De cætero quoad modum cantandi, quæ hic desiderantur requirenda sunt in prædictis libris. Hic solum Rubricas generales de hac materia retulisse sufficiat. Animadvertendum tamen est Novitios non solum in sacris Cæremoniis, sed etiam in cantu instrui debere ;

(1) In Antiphonario et in Processionario recenter editis, erratum irrepsit circa tonum *Benedicamus Domino* in diebus Octavis Solemnibus, in quibus adhibendus est cantus ut in Festo Simplici.

nec eosdem ad sacros Ordines mittendos esse, nisi de more Ordinis, in Officio ecclesiastico divinoque cultu et in cantu sufficienter fuerint instructi; vel (ut habetur Romæ 1580) « nisi cantandi facultatem juxta religionis » formam callnerint. »

## ARTICULUS IV.

### DE INCLINATIONIBUS ALIISQUE HUJUSMODI ACTIBUS FACIENDIS A FRATRIBUS QUI ALTARI NON DESERVIUNT.

736. Deum variis modis in divino cultu venerari solemus, nimirum: caput discooperiendo et inclinando; vel corpus inclinando usque ad genua, aut profunde; vel genuflectendo unico aut utroque genu; vel nos prosternendo super formas aut toto corpore super terram: De his in sequentibus paragraphis dicemus.

737. Notandum est 1.° quod prædicti actus reverentiales « ad quos Rubrica aut Constitutio in Officio » recitando obligat, intelliguntur esse faciendi in Choro » et non extra Chorum (1) a Fratribus quando in pri- » vato recitant Officium, exceptis aliquibus, inclinatio- » nibus capitis. 2.° In inclinationibus conformemur » moribus eorum ad quos declinamus. » (*Const. D. I. C. II.*) (2)

---

(1) Nec obligant Sacerdotem et Ministros ad Altare, nisi expresse notetur; quia speciales Rubricæ habentur in Missali et Ordinario, etc. pro omnibus apud Altare ministrantibus. (V. n.° 807.)

(2) In hujusmodi actibus, juxta mentem Ecclesiæ, singularitates sedulo vitandæ sunt; interrogata enim S. R. Congregatio hoc modo: « Aliqui in recitatione divini Officii, tam in Choro quam privatim, si- » gnum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt, et » se inclinant, etiam in his locis in quibus Rubrica nec Missalis nec Cæ- » remonialis id præscribit; quæritur quando hæc omnia sint facienda, » tam in publico quam in privato divinum Officium recitando? » Respondit: « Serventur Rubricæ. » (12. Nov. 1831.)

### §. I. De discooperiendo capite.

738. « Regulariter quando in publicum procedimus, » vel in Choro sumus, debemus sëmper habere caput » coopertum caputio. » (*Const. Dist.* 1. *C. X.*) Fratres autem debent caput discooperire in sequentibus casibus, videlicet :

739. *Infra Officium et Missam*, in initio omnium Horarum, non excepto toto principio Completorii, usque ad *Gloria Patri* etc., inclusive ; (V. n.° 642.)

— Ad Cantica *Magnificat*, *Benedictus*, *Nunc dimittis* et Antiphonam post ipsa ;

— Ad Preces, quotiescumque dicuntur, et quoties dicitur *Kyrie eleison*, etc., *Pater noster*, cum Versibus et Orationibus ;

— Ad *Dominus vobiscum*, et omnes Collectas et Memorias ;

— Ad *Salve Regina*, etc., tam post Horas quam post Completorium, usque ad finem Officii. (*Ex Collect. et Cærem.*)

740. Item quotiescumque fit Venia ;

— Dum fit Prostratio super formas : præterquam ex parte in Litaniis sanctorum , et infra Missam, ante et post elevationem et ad omnes Psalmos Pœnitentiales.

— Dum manemus genuflexi : præterquam ex parte in Litaniis SS., infra Missam lectam et orationem mentalem.

— Quoties genuflectimus unico vel utroque genu : exceptis Sacerdote et Ministris majoribus in primo accessu ad Altare, vel in ultimo recessu, saltem regulariter.

— Quoties fit inclinatio profunda, tam infra Officium et Missam quam extra : exceptis Sacerdote et Ministris in casu de quo supra.

— In inclinationibus usque ad genua non est necessario discooperiendum caput, sed solum quando alia ratione debet discooperiri.

— Neque in omnibus inclinationibus capitis caput est discooperiendum, sed tantum ut infra, a n.° 749 usque ad n.° 754 inclusive. (*Ex Cærem. et usu.*)

741. Item quotiescumque legitur Evangelium, tam in Ecclesia quam in Capitulo et alibi ; (*Miss. Collect.*)

— In Litaniis Sanctorum, tam post Completorium quam ante Missam, a principio usque ad *Sancta Maria* inclusive, et ab *Agnus Dei* usque ad finem ; (*Ex usu.*)

— Dum a Sacerdote inchoantur *Gloria in excelsis* et *Credo* in Missa majori ; (*Cærem.*)

— Dum fit elevatio SS. Corporis et Sanguinis Christi, vel defertur aut ministratur SS. Eucharistia, vel quamdiu SS. Sacramentum remanet expositum. (V. inf. n.° 801. et seq.)

742. Qui in Choro vel in Capitulo legunt vel inchoant aliquid, sive soli, sive bini, sive quatuor, semper detecto capite id faciant. (*Cærem.*) Cæteri vero cantantes coram pulpito non debent caput discooperire nisi aliunde ad id teneantur.

743. *In Capitulo*, Fratres discooperti capite manere solent post Lectionem Martyrologii, a *Pretiosa* usque ad finem, nisi dum legitur de Constitutionibus, et dum dicuntur Psalmi *Ad te levavi* et *De profundis* pro Benefactoribus, et dum ibidem sedent.

744. *In Mensa.* In Benedictione mensæ, et ad Psalmum *De profundis* qui eam præcedit, solet similiter caput discooperiri.

— Qui legit in mensa habeat caput discoopertum dum petit et accipit Benedictionem, et in principio Lectionis usque ad signum ; ita et alii Fratres. (*Cærem.*)

— In fine mensæ, dum sal, fructus et panis auferuntur a servitoribus, tum ipsi, tum Lector, et cæteri omnes maneant capite discooperto. (*Ibid.*)

— In Gratiis vero, excepto Psalmo *Miserere*, manemus discooperti, tam in principio quam in fine. (*Ex usu.*)

745. *In Processionibus* intra Ecclesiam solemus caput discoopertum tenere; extra Ecclesiam vero fiat secundum consuetudinem locorum.' In Processionibus SS. Sacramenti, tam intus quam extra Ecclesiam, semper capite discooperto incedere debemus.

— In cæteris vero functionibus particularibus servetur quod ibidem præscribitur.

746. Ad præcipuas Imagines SS. Crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, S. P. N. Dominici et aliorum Sanctorum accedentes decet saltem caput discooperire. (1) (*Cærem.*)

## §. II. De Inclinatione capitis.

747. « Inclinatio capitis dicitur quando caput simul » cum corpore aliqualiter inclinatur. » (*Const. D. I. C. II.*) Quæ facienda est in sequentibus casibus, videlicet :

748. Quotiescumque pronuntiatur Nomen JESU, vel B. MARIÆ V., vel S. P. N. DOMINICI, tam in Choro quam extra Chorum, (*Ibid.*) nisi facienda sit ad prædicta inclinatio usque ad genua, vel amplius.

— Item quando fit mentio effusi pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (2) (*Ibid.*) Ad dictam mentionem in Versu *Creator.* ℣. *Libera me* solent Fratres surgere, et insuper caput discooperire.

— « Fratres in toto Ordine inclinent caput reverenter ad illa verba : *Gloria Patri et Filio et Spiritui*
» *sancto*, sive in Officio B. M. V. quando recitatur in
» Dormitorio, sive cum Fratres recitant privatim divinum Officium. » (*Rom.* 1697.)

---

(1) Fratrem advenientem infra Officium salutare solent detecto capite alii de Choro qui non sunt illi superiores.

(2) Nota : non ad quamcumque mentionem, sed tantum ad mentionem de ejusdem effusione, ut quando v. g. dicitur : *Sanguine redemisti*, vel quid simile.

749. Ad verba : *Sit nomen Domini benedictum* fit inclinatio capitis stando et capite detecto, quotiescumque dicuntur ;

— Item ad verba : *Sanctum et terribile nomen ejus* caput discoopertum inclinatur. (*Cærem.*)

— Item ad verba Symboli : *Qui cum Patre et Filio simul adoratur* et *conglorificatur*, omnes caput inclinent capite discooperto. (*Const. Ibid.*)

— Item, postquam Diaconus dixerit *Humiliate capita vestra Deo*, Chorus caput inclinet usque ad finem Orationis. (*Ord.*)

— Item dum fit genuflexio utroque genu, ut infra n.° 801, caput devote inclinandum est. (*Miss.*)

750. « Quando aliquis Frater, aut Cantor, Psalmum » et Antiphonam (vel quid aliud) inchoaverit (vel dixerit), debet caput reverenter inclinare. » (*Const. ibid.*)

— Item « Hebdomadarius, aut faciens Officium, debet ea quæcumque ex officio dicit devota capitis inclinatione in eam, qua versus est, partem terminare ; et specialiter in Orationibus ad verba illa : » *Dominum nostrum Jesum Christum* modicam capitis » inclinationem facere. » (*Collect.*)

751. Fratres, sive Cantores, sive alii, ad medium Chori accedentes ad inchoandum aut cantandum aliquid, vel recedentes a medio, vel etiam transeuntes per medium, inclinent caput versus Crucem Altaris, nisi amplius facere debeant ob SS. Sacramentum ; similiter faciant recedentes a Choro ad Processionem, vel ibidem redeuntes ; item accedentes, etiam processionaliter, ad aliquod ex Altaribus minoribus, seu ab eo recedentes, dummodo non sit ibi Tabernaculum SS Corporis Christi. (Vid. infra notanda ad n.° 763. et n.° 800.) (*Ex Ord. et usu.*) (1)

(1) Duo autem vel quatuor simul recedentes a medio, postquam par-

752. Ad aspersionem Aquæ benedictæ, sive ante Missam sive post Completorium, et quandocumque aliquis accipit Benedictionem a Prælato vel a Sacerdote genuflexus, sive cum Aqua benedicta sive non, caput discoopertum inclinet; (*Cærem.*)

— Item Fratres paululum inclinent caput discoopertum dum thurificantur, sive in Officio, sive in Missa. (*Miss.*)

753. Ingredientes Refectorium ad Benedictionem mensæ et post mensam recedentes, caput versus Imaginem inclinent, et etiam ante illam transeuntes. (*Ex Const. C. V. et Cærem.*)

— Similiter cum Fratres ingrediuntur Capitulum, vel ab eo recedunt, vel transeunt ante Imaginem aut Altare Capituli. (*Cærem.*)

— Item qui dixit *Benedicite* in medio Refectorii inclinet et sic revertatur ad locum suum. (*Ord.*)

— Item Præsidens Capituli dum dicit: *Benedicite*; cæteri vero dum respondent: *Dominus*. (*Collect.*)

754. Post Processionem ad *Salve Regina*, cum Prælatus ad locum suum pervenerit, Chorus dexter solet simul ei reverentiam capite discooperto exhibere, deinde similiter Chorus sinister. Quod in similibus casibus decet fieri.

— « Similiter, quando quis transit juxta Prælatum » vel Superiores suos reverenter caput inclinet; » (*Const. C. II.*) aut vice versa, quando Prælatus transit ante inferiorem, iste etiam assurgens et caput detegens similiter inclinet.

— Item « quando Prælatus injunxerit aliquam com » munem Orationem inclinent omnes Similiter omnes

---

tem sui Officii expleverint, facta inclinatione versus Altare, dum ad invicem se vertunt, solent aliquantulum caput inclinare.

« faciant, quibus aliquid facere vel dicere injunxerit. » (*Ibid.*)

755. « Quando etiam Fratribus quidpiam vestimenti » tribuitur, inclinantes, dicant : *Benedictus Deus.* » (*Ibid.*)

## §. III. De Inclinatione usque ad genua.

756. « Inclinatio usque ad genua dicitur, quando » videlicet caput taliter inclinatur quod sit per directum ad genua oppositum. » (*Const. D. I. C. II.*) Hujusmodi inclinatio fit semper Chorus contra Chorum, seu ad invicem, et hoc in sequentibus casibus :

757. *In Officio.* Ad omnia *Gloria Patri* (excepto primo in inchoatione Horarum) quæ dicuntur in Officio et Missa diei, in Officio B. Mariæ in Choro, in *Pretiosa*, et in Capitulo, et in Benedictione mensæ, et in Gratiarum actione post mensam, usque ad *Sicut erat*.

— Item ad extremos Versus Hymnorum, et ad penultimum Versum Cantici *Benedicite*. (*Ex Const. D. I. C. I.*).

758. Item « cantantes vel recitantes in Invitatorio : « *Venite adoremus et procidamus ante Deum,* » necnon *Gloria Patri* in fine illius, aut in Responsoriis, aut in Antiphonis ad aspersionem Aquæ benedictæ et ad Introitum Missæ, » post expletum Versum reverenter » inclinent » (*Const. C. II.*) usque ad genua versi ad invicem. (*Ex usu.*)

— Item, in omnibus Benedictionibus ante Lectiones, sive in Choro, sive in Capitulo, sive in mensa, necnon ad Benedictionem Prælati in fine Completorii, omnes Fratres (præter eum qui dicit Benedictionem) inclinent usque ad genua. (*Ibid.* et *Cærem.*)

— Item, ad *Sancta Maria*, etc., quod dicitur in *Pretiosa*. (*Ibid.*)

759. *In Missa.* Ad verba Hymni *Gloria in excelsis*, nempe : *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam ; Jesu Christe ; Suscipe deprecationem nostram*, et iterum *Jesu Christe ; (Miss.)*

— Ad verba Præfationis : *Gratias agamus Domino Deo nostro ;* et quando pronuntiantur in Præfatione Nomina Jesu et Mariæ. (*Const. C. II.*)

— Ad Benedictionem Sacerdotis in fine Missæ. (*Miss.*)

Quæ intelliguntur fieri a Fratribus in Choro tantum, non autem a Ministris Altaris.

760. Item quandocumque in Orationibus Officii, et Missæ, et Processionis, et in Conclusionibus earum, necnon in Antiphona *Salve Regina* post Completorium, pronuntiantur SS. Nomina Jesu et Mariæ et Dominici, (nisi amplius, id est inclinationem profundam vel prostrationem facere debeant,) Fratres, exceptis Sacerdote et Ministris, usque ad genua inclinent. (*Const. Ibid.*)

— « In Oratione *A cunctis* et in Postcommunione » correspondenti, quando ad nomen B. Mariæ inclinant, Fratres, inclinati persistant quousque sit nomen B. P. Dominici pronuntiatum. » (*Mediol.* 1270.)

761. In hujusmodi inclinationibus, (et in aliis) observandum est : 1.° Cum imminet inclinatio facienda, Fratres sedentes debent primum surgere ante *Gloria Patri*, vel aliud, deinde, inclinare. (*Cærem.*) 2.° Quando Chorus, sive dexter, sive sinister, sive uterque aliquid cantat ad quod inclinandum est, inclinatio fit ab omnibus dum cantatur ; exceptis cantantibus ad librum in medio Chori, qui tamen inclinent post expletum Versum, ut supra, n.° 758. (*Ibid.*)

### §. IV. De Inclinatione profunda.

762. « Inclinatio profunda est quando corpus et « caput tantum inclinantur quantum cubitus potest

» genibus inhærere. » (*Const. C. II.*) Hæc capite discooperto facienda est in sequentibus casibus :

763. Versus Altare « quando Fratres intrant Cho» rum, (1) vel ab eo exeunt ; » (*Ibid.*) et si SS. Sacramentum sit repositum, in Tabernaculo Altaris, vel patenter expositum vid. n.° 799. et 801. (*Const. D. I. C. II.*)

764. *Infra Officium* fit inclinatio profunda ad *Pater noster*, *Credo*, *Confiteor*, quotiescumque dicuntur in principio, vel in medio, vel in fine Horarum, etiam in Vesperis et Matutinis Defunctorum, et in Benedictione mensæ, et infra et post Gratias, et in *Pretiosa*, et Precibus pro Benefactoribus in Capitulo, nisi quando faciendæ sunt ad aliqua ex prædictis prostrationes. (*Ibid.*) Cum autem dicitur ℣. *Et ne nos*, alta voce, ad illum omnes surgant.

765. Item in Officio tam diei quam B. Mariæ Virginis (exceptis Matutinis Officii quotidiani) ad primum *Gloria Patri* in incœptione Horarum ;

---

(1) *Quando Fratres intrant Chorum*, id est in primo ingressu, vel ultimo recessu. Cæremoniale Ciantes pariter sic habet : « Ante Altare » in ingrediendo vel egrediendo choro ». De qua re placet adnotationem Fr. Joannis de Palencia referre, quæ est hujus tenoris : « Nota. Circa illa verba Rubricæ in qua dicitur : *Fratres egrediendo ad Processionem inclinent ante Crucem quæ est inter Chorum et Ecclesiam*, multi dubitant quæ inclinatio debeat esse ista, an profunda, aut capite tantum devotius inclinato, etc. Et circa hoc vidi quamdam declarationem gravissimorum Patrum hujus Provinciæ Hispaniæ, in Conventu hoc S. Stephani Salmanticensis factam, anno Domini 1538, quæ sic habet : « Fratres non tenentur ad aliam inclinationem » in Choro faciendam egrediendo ad Processionem præfatam, vel redeundo, nisi tantum inclinare caput ante Altare, et hoc insinuant illa » verba : *inclinent*, etc. Et quando in Constitutione dicitur quod Fratres inclinent ante Altare profunde, intelligitur quando de novo veniunt ad Chorum, vel recedunt non reversuri ; sed quando in Ecclesia sunt, semper sunt hic. Hæc ibi.» (*Adnot. in Ord.*) Nec obstat quod infra Missam, vel in thurificatione Sacerdos et Ministri sæpius profunde inclinent ; nam functiones Altaris habent Rubricas speciales quæ in casu præsenti non sunt applicandæ.

— Item ad primam Collectam in Officio ut supra, usque ad *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, (*Ibid.*) excepto qui illam dicit.

— Item ad Conclusionem ultimæ Collectæ in Officio, si in ea nominatur SS. Nomen Jesu, usque ad *Qui tecum*; (*Collect.*)

— Item ad Preces in Prima et in Completorio; nisi ad prædicta fiant Prostrationes. (*Const. Ibid.*)

766. Ad Orationem *Retribuere*, ubicumque dicatur in communi, excepto qui illam dicit.

— Item, fit inclinatio profunda inter pulpitum et gradus Præsbyterii, vel Altare, ab eo qui legit post finitam Lectionem, (vel post finitas Lectiones, si plures legat) in Matutinis, nisi fiant prostrationes. Hæc autem non fit in Officio Defunctorum infra hebdomadam, sed facienda est in die Animarum. (*Const. Ibid.*)

767. *In Missa*, Fratres in Choro existentes inclinent profunde (nisi fiant prostrationes) ad primam Collectam post *Dominus vobiscum*, et ad primam Postcommunionem; et similiter ad Orationem pro Ecclesia, id est *Ecclesiæ tuæ*, quæ communiter diebus Sabbatis dicitur. (*Ibid.*)

Eadem inclinatio fit a Fratribus in Choro, si fuerit SS. Corpus Christi in Tabernaculo Altaris occlusum (V. n. 800), et a Fratribus communicandis ante et post communionem, necnon a Sacerdote et Ministris in sacris functionibus, eo modo et ordine quo infra dicetur.

## §. V. De Genuflexione.

768. Genuflexio fit flectendo genu dextrum usque ad terram, toto corpore existente erecto, et statim surgendo; vel utrumque genu similiter flectendo. Cum autem hujusmodi genuflexiones ad SS. Sacramentum specialiter dirigantur, vel ad Sacerdotem et Ministros

magis pertineant, de his loquemur in § speciali. Hic tantum agitur de genuflexionibus quæ a Fratribus in Choro, utroque genu, ad certa verba, vel certo tempore, fieri præscribuntur, videlicet :

769. *Infra Officium.* « Dum dicuntur illa verba Invitatorii : *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, » Fratres in Choro genua flectant. Cantantes vero » vel recitantes dicta verba, post expletum Versum » reverenter inclinent. (V. n.° 758.) » (*Rom.* 1664.)

770. In Hymno *Te Deum*, ad totum Versum : *Te ergo quæsumus*, etc., similiter genua flectimus, Chorus contra Chorum, quamvis ad eadem verba dum recitantur in Choro ad Matutinum, in ℟℟. et ℣℣., genua flecti non debeant. (*Cærem. et alibi.*)

— Item ad sequentes integros Versus Hymnorum : *Veni Creator Spiritus*, etc. ; — *Tantum ergo Sacramentum*, etc.; — *O Crux ave spes unica*, etc.; — *Ave maris stella*, etc. (*Const. Ibid.*)

— Item ad verba : *Adsumus et nos cernui, Te adorantes famuli*, (1) et ad illa : *Quos sanguine mercatus es.* (*Ex Psalt. et usu.*)

771. Similiter ad totam Antiphonam : *Sub tuum.* (*Const.*)

— Item, dum dicuntur Antiphonæ *Salve Regina*, *Pie Pater*, cum ℣℣., Orationibus, et *Pater noster*, in terminatione Horarum, præter Hebdomadarium, dum dicit Versiculos et Orationes. (*Collect.*)

— Cum autem cantatur Antiphona *Salve Regina*, post Completorium genuflexi manemus versi ad invicem ad prima verba *Salve Regina ;* deinde iterum genua flectimus, versi ad Altare, ad illa verba : *Eia ergo*, usque ad *O Clemens* exclusive. (*Const. Ibid.*)

---

(1) Ex Constitut. et usu actuali Ordinis, quamvis in Ecclesiis sæcularium jam non dicantur hæc verba.

772. Item ad Litanias B. M. V. quæ dicuntur singulis Sabbatis, postquam Fratres pervenerint ad ejusdem Altare usque ad Orationem quæ dicitur post *Inviolata* inclusive. (*Process. et Cærem.*)

— Similiter ad ℟. *O spem miram*, dum cantatur ad Processionem Dominica IV. cujusque mensis, ad Altare S. P. N. Dominici. (*Ibid.*)

773. Item in Processione Palmarum in « inceptione » Antiphonæ : *Ave Rex noster*, Fratres omnes, (præter » Priorem et Ministros,) flectant genua versis vultibus » ad Crucem usque ad *Redemptor mundi*, quo dicto, » se erigant, et stent versi ad Crucem usque ad finem » dictæ Antiphonæ. » (*Ibid.*)

— Item in Officio sepulturæ ad verba : *Domine, miserere super peccatore*, in fine Antiphonæ *Clementissime*. (*Ibid.*)

774. In Litaniis Sanctorum post Completorium genua flectimus a principio Psalmi *Deus in adjutorium* usque ad finem, (etiamsi dicatur solus Psalmus cum ℣℣. et Orationibus), additis vero prostrationibus super formas, extra tempus Paschale, quando Completorium fuit dictum de Feria. (*Collect. et Brev.*)

775. *Infra Missam Conventualem*, Fratres in Choro existentes flectunt genua prout sequitur : In Missa de B. Maria Virgine, ad verba : *Salve Sancta Parens*, Chorus contra Chorum utrumque genu flectere debet. (*Const. C. II.*)

— Item, dum cantantur verba : *Flectamus genua*. (*Ord.*)

— Item, dum cantantur in Epistola hæc verba : *In nomine Jesu omne genu flectatur*. (*Ex Cærem. C. et Miss.*)

— Item quando in Quadragesima a Choro cantatur Versus Responsorii vel Tractus : *Adjuva nos Deus salutaris noster*, etc. usque ad finem totius Versus. (*Rom. 1656.*)

— Item, quoties in Versu de *Alleluia*, vel Tractus,

cantantur illa verba : *Veni Sancte Spiritus*, usque ad *Reple*. (*Ord. et Const.*)

776. Similiter Fratres flectant genua ad hæc verba Evangelii Epiphaniæ : *Et procidentes adoraverunt eum.*

—Item ad verba Evangelii Feriæ IV.post Dominicam IV. Quadragesimæ : *Et procidens adoravit eum.*(*Ex Miss.*)

— Item ad verba Evangelii S. Joannis : *Et Verbum caro factum est.* (*Const.*)

777. Ad verba Symboli : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et Homo factus est*, dum cantantur, omnes tam in Choro quam in Altari genua flectant. (*Miss. et Const.*)

778. Item in Missa solemni, Fratres in Choro genua flectunt post cantatum *Sanctus* ad elevationem SS. Corporis et Sanguinis Christi, et fiunt prostrationes de quibus infra. (*Const.*) De genuflexione in Missa lecta vid. n.° 707.

779. Feria VI. in Parasceve, Fratres in Choro quoties dicunt particulam *Sanctus*, genua flectunt, et ea dicta surgunt. (*Miss.*)

— In eodem Officio, tam Celebrans et Ministri quam Fratres adorantes Crucem ter genua flectunt et caput inclinant. (V. n.° 1492.)

Item,Fratres dum recipiunt S.Eucharistiam,et Cineres Feria IV. in capite jejunii genua flectunt; et si quæ aliæ genuflexiones occurrant faciendæ req. in propriis locis.

780. Quando Cantores, vel Fratres quibus injunctum fuerit , inchoant vel cantant aliquid ad quod totus Chorus genua flectere debet, si post inchoationem Chorus permaneat genuflexus, ipsi genua flectant similiter, inchoatione facta ; si vero Chorus se statim erigat, expletis verbis ad quæ genua flectenda sunt, ipsi dextrum genu flectant, præterquam post Versum *Venite adoremus*, ut supra 769. In inchoatione autem Antiphonæ *Ave Rex* (773) et Versus *Veni Sancte*, (775) debent et ipsi inchoantes genua flectere. (*Ord.*)

### §. VI. De Prostratione super formas.

781. Prostratio fit « quando flexis genibus cum cu- » bitis et corpore procumbimus et prosternimur su- » per formas, vel super genua, quando non habemus » formas. » (*Const. C. II.*)

*Infra Officium*. Fratres in Choro maneant prostrati quando fit de Feria extra Tempus Paschale prout sequitur :

782. Ad *Pater*, *Credo*, *Confiteor*, sive in principio, sive in fine Horarum ;

— Item ad *Pater* in fine *Gratiarum*, si ad Horam immediate præcedentem prostrationes factæ fuerint ;

— Item ad primum *Gloria Patri*, post *Deus in adjutorium*. (*Const. Ibid.*)

783. Item ad Preces quæ dicuntur ante primam Collectam, a *Pater noster* usque ad verba Conclusionis, *Qui tecum*, etc. exclusive, in singulis Horis.

— Item Triduo ante Pascha, ad Preces in fine Matutini Feriæ V. in Cœna Domini, et in fine omnium Horarum Feria VI. et Sabbato sequenti. (*Ibid.*)

— Item in Officio Defunctorum, a *Pater noster* quod recitatur post Antiphonam ad *Magnificat* et ad *Benedictus* usque ad finem primæ Collectæ, si tamen in Hora immediate præcedenti factæ fuerint prostrationes, et similiter ad *Pater noster* post *Requiescant in pace*. (*Const. Ibid.*)

— Item ad primam Collectam ut supra, (*Ibid.*) et ad Conclusionem ultimæ Collectæ, usque ad *Qui tecum*, si tamen SS. Nomen Jesu in hac Conclusione nominatur. (*Collect.*)

784. In Matutinis, post lectam Lectionem, (1) (vel

---

(1) Non autem requiritur ut fiat post Martyrologium, quod regulariter legendum foret in Capitulo, ubi non fiunt hujusmodi prostrationes in *Pretiosa*.

Lectiones) fiat a Lectore prostratio inter pulpitum et gradus Presbyterii vel Altare, nisi fiat Officium pro mortuis. (*Const. Ibid.*)

— Insuper jacemus prostrati in Litaniis SS., a principio Psalmi *Deus in adjutorium* usque ad ultimam Orationem, quando dicuntur post Completorium de Feria. (*Ibid.*)

— Item ad septem Psalmos Pœnitentiales, quæ dicuntur ante Missam, usque post factam Absolutionem. (*Ibid. et Miss.*)

785. Item dum dantur Disciplinæ, a *Confiteor* usque ad finem Orationis, quovis tempore. (*Ibid.*)

— Item, dum Prælatus facit generalem Absolutionem, Fratres prostrationem faciant dicendo *Confiteor* usque post factam Absolutionem. (*Ibid.*)

786. Intermittuntur prostrationes in Officio in sequentibus casibus :

— In Vesperis Adventus, in quibus dicuntur Antiphonæ *O*.

— In Vesperis Feriæ IV. Hebdomadæ Sanctæ, et deinceps in Horis Feriæ V. usque ad Matutinas Feriæ VI. in Parasceve. (*Ibid.*)

— Item ad Nonam, excepto Quadragesimæ tempore, quando die sequenti fit de Dominica vel de Festo novem Lectionum. (*Ibid.*)

— Item toto Tempore Paschali, præterquam notatæ sub n.is 785 et 789.

— Item in Officio quotidiano B. M. V.

787. *In Missa Solemni* fiunt prostrationes ut sequitur : Ad primam Collectam post *Dominus vobiscum*, et ad primam Postcommunionem, et ad Orationem pro Ecclesia, et post cantatum *Sanctus* usque ad *Agnus* exclusive, videlicet : in omnibus Missis Feriarum Quadragesimæ, a Feria IV. Cinerum usque ad Feriam IV. Hebdomadæ sanctæ, etiamsi non fiat Officium de Feria, sed de Octava aut de Sancto ; item in Missis propriis de

Feria, aut de Vigilia (exceptis Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ D.), aut pro Defunctis, extra Tempus Paschale, si tamen fiat Officium de Feria.(*Ex Const. Ibid.*)

788. Item ut supra, præterquam ad Orationes, quando in Profestis diebus extra Tempus Paschale celebratur Missa Dominicalis quæ in Dominica non fuit celebrata vel Missa de Cruce, vel de Spiritu Sancto, vel de B. V., vel de aliquo Sancto, nisi sint solemnes Votivæ. (*Const.*)

789. Item, post elevationem Calicis usque ad *Pater noster* tantum, scilicet : in omnibus aliis Missis quantumvis solemnibus quovis tempore; necnon in Missis de quibus in n.° præcedenti, celebratis Tempore Paschali, vel Feriarum et Vigiliarum extra Quadragesimam quando non fit Officium de Feria. (*Ibid.*)

790. « Quando ille qui legit Passionem pronuntia» verit : *Emisit spiritum*, Fratres prostrationes super » formas faciant Deo devote gratias agentes, quo» usque Sacerdos signum non fecerit. » (*Ibid.*) Item Feria VI in Parasceve, ad Crucis adorationem, quando Sacerdos Crucem elevans incipit Antiphonas : *Ecce lignum*, etc., et *Super omnia*, etc., omnes tam in Choro quam in Altari prosternant se super formas quousque Cantor prosecutionem Antiphonæ incipiat : idem faciant ad Orationem *Respice* quæ immediate sequitur. (*Const. et Miss.*)

### §. VII. De Prostratione quæ dicitur *Venia*.

791. « Venia est extensio totius corporis in ter» ram, non super ventrem, sed super latus dextrum, » tibiam unam super aliam tenendo; et hæc facien» da est : »

792. « Ab omnibus Fratribus quando in Vigilia An» nuntiationis B. Mariæ pronuntiatur ab eo qui legit » Martyrologium : *Annuntiatio B. Mariæ V.*, et in Vi-

» gilia Nativitatis Domini postquam dictum fuerit in » lectione Martyrologii : *Jesus Christus.... factus Homo;* » et sic prostrati permaneant quousque Prior non fe- » cerit signum. » (*Const. C. II.*)

793. « Quando in Capitulo culparum Prælatus di- » cit : *Faciant venias suas*, etc., et pariter post accusa- » tionem culparum.

— « Idem faciant Fratres ubicumque reprehensi » fuerint a Prælato ; (*Ibid.*)

— Item, qui de apertis negligentiis apud Magistrum veniam petunt. (*Ibid. C. XIV.*)

794. Item, quando alicui vel aliquibus imponitur præceptum formale, vel officium, vel ministerium aliquod, fit ab iisdem venia. (*Ibid. C. II.*)

795. Suscipientes Benedictionem itinerantium, tam in exitu quam in reditu, maneant prostrati in modum veniæ in Choro, vel ante Crucifixum in Capitulo, dum dicuntur Psalmus et Oratio. (*Ord.*)

— Item, cum exeuntes de domo sunt plus una nocte moraturi, dum Benedictionem a Prælato suscipiunt, et iidem cum redeunt. (*Const. Ibid.*)

796. Fratres communicandi (exceptis Ministris Altaris) veniam faciant dum dicunt *Confiteor* usque post peractam Absolutionem. (*Miss.*)

— Item, qui peccata sua confessuri sunt, solent veniam facere dum dicunt *Confiteor* et dum recipiunt sacram Absolutionem.

797. Item facienda est venia ab eo qui ad Chorum ad *Gloria Patri* primi Psalmi non adfuerit ; (*Ex Const.*)

— Item, ab illo qui in Choro vel in mensa non recte legendo, vel cantando, vel serviendo, vel aliud faciendo in aliquo offenderit, facienda est venia post Officium in Choro ; (1) in Refectorio vero, Fratribus surgentibus

(1) Si quis in Choro male legendo vel cantando levius offenderit,

a mensa, post pulsationem nolæ humiliter fit venia quousque Prælatus signum non fecerit. (*Const. Ibid.*)

— Item a Servitore Missæ privatæ qui in suo officio offenderit, cum in Sacristiam redierit et Missale deposuerit. (*Miss.*)

— Item ab illo « qui quovis modo Fratrem suum » scandalizaverit, vel offenderit, fiat venia ante pedes » ejus, quousque placatus eum erexerit. » (*Const. Ibid.*)

798. A Recipiendis et Profitendis ad petendam *Misericordiam*, etc. fit prostratio toto corpore in terram cum brachiis in modum Crucis extensis, donec Prælatus eos erexerit; et iterum iidem Recipiendi se prosternant postquam ad Altare pervenerint, dum absolvitur Hymnus *Veni Creator* cum ℣℣. et Orationibus sequentibus.

### §. VIII. De Cæremoniis observandis in Choro erga SS. Sacramentum.

799. Erga SS. Sacramentum *occlusum in Tabernaculo* hæc fieri debent :

« Quando primum (1) Fratres Chorum intraverint, » (si Altare SS. Sacramenti ibi fuerit, secus vid. n.° » 763.) vel præsentaverint se ante divinissimum Eu- » charistiæ Sacramentum etiam transeundo, non so- » lum profunda inclinatione, sed etiam genuflexione

---

tunc statim coram omnibus se debet humiliare pro more Provinciarum : in aliquibus Fratres digito terram tangunt, vel saltem prope terram infra genua digitum demittunt; sed in pluribus Scapulare suum reverenter, inclinato capite, osculantur. (*Ex Const. D. 1. C. XVI.*) Quod et faciunt cum licentiam a Choro exeundi petere volunt.

(1) Nota : « Quando *primum* intraverint, » id est in primo ingressu, « vel præsentaverint se, » seu de novo accesserint ; « etiam transeundo, » scilicet non moraturi sed alibi eundo : nam infra divina Officia, cum Fratres in Choro vel Ministri ad Altare Sanctissimo jam præsentes existunt, aliter disponit Collectarium et Missale, ut infra dicetur.

» reverenter illud adorare debent ; » (*Const. C. II.*) et similiter cum ultimo recesserint. Hæc autem genuflexio fit communiter unico genu.

800 Infra divinum Officium, vel Missam, vel alias functiones, si SS. Christi Corpus fuerit in Altari Chori reconditum, Fratres in medium Chori accedentes ad cantandum Invitatorium, aut quid simile, vel, pari ratione, a medio recedentes, vel ab una parte ad aliam transeuntes, absque genuflexione, inclinent profunde. (*Ex Collect.*) (1)

Infra Missam ab elevatione usque ad peractam Communionem idem respective servetur ac supra (2), nisi SS. Sacramentum sit patenter expositum.

801. Erga SS. Sacramentum *publice expositum*, etiam in Pyxide, vel Feria V. in Cœna Domini intra Calicem omnes ad illud, etiam transeundo, accedentes, seu ab illo ultimo recedentes semper utrumque genu debent flectere in plano, et caput discoopertum devote inclinare. (*Ex Const. Miss. et usu Ecclesiæ.*)

802. « Quandocumque SS. Sacramentum super Al-
» tare manet patenter expositum, conveniens esset ut
» ob reverentiam tanti Sacramenti omnes præsentes
» et in Choro assistentes, durante Officio, starent
» semper capite detecto, et numquam sederent : quod
» si ob longitudinem Officii præstare non poterunt,

(1) Si autem Fratres processionaliter ab Altari in quo SS. Sacramentum asservatur discederint, vel ad illud similiter accesserint, aut procedendo prope illud transierint, Ministris tunc genuflectentibus, ipsi quoque ad mentem Decret. S. R. C. ante dictum Altare similiter genuflectere debent, omissa prævia inclinatione profunda, ad quam, ut dictum est, tunc non tenentur. (V. annot. ad n.° 763.)

(2) Rubrica enim Missalis (de Offic. Ministr.), non solum nil speciale præscribit faciendum in eo casu, sive a Fratribus in Choro, sive a Ministris ad Altare, sed etiam manifeste declarat tunc non esse expositum SS. Sacramentum. (*ibid.* 22).

» non omittant saltem in signum reverentiæ, detecto » semper capite, existente SS. Sacramento super Al» tari, divinis Officiis assistere. » (*Cærem. Episc.*) (1) Idem servetur in Processionibus SS. Sacramenti.

803. Item, infra Officium et Missam, vel alias functiones accedentes ad medium Chori, vel recedentes a medio, aut per medium transeuntes, unicum genu flectant.(*Miss.*)

804. Dum fiunt preces liturgicæ ante Benedictionem SS. Sacramenti, omnes maneant genuflexi, præterquam ad Cantica *Benedictus* vel *Magnificat*, ad Hymnum *Te Deum* et Antiphonam *Regina Cæli*, ad quæ omnes tam in Choro quam apud Altare se debent erigere. (*S. R. C.* 27 *Mart.* 1779. *et al.*)

805. Ad verba *Veneremur cernui*, dum cantantur ante prædictam Benedictionem, omnes Fratres de Choro solent se prosternere super formas ; Sacerdos vero et Ministri ad Altare inclinent caput profunde. Idem faciant omnes dum Benedictio, sive cum Pyxide, sive cum Ostensorio datur, quamdiu Sacerdos in manibus tenet. SS. Sacramentum. (*Ex usu Romano et Ordinis.*)

806. Item quotiescumque SS. Sacramentum defertur, statim ac Fratres illud conspexerint, ubicumque fuerint, prosternant se. Item in termino Processionis, dum Sacerdos deferens SS. Sacramentum ante eos in Præsbyterio transit.Similiter dum fit communio e conspectu Chori , Fratres in Choro existentes prostrationes super formas faciant, a tempore quo extrahitur S. Pyxis e Tabernaculo, quousque ibidem reponatur. (*Miss.*) Fratres vero extra Chorum, dum fit elevatio vel communio,

---

(1) Hæc enim apud nos vigent in multis Provinciis, nonobstante Constitutione de sessionibus alternativis ad Psalmos : quæ tamen, ubi non existit talis consuetudo, retineri poterit, cum Rubrica supralaudata Cæremonialis Episc. non sit præceptiva , et ob longitudinem Officii omnibus sedere permittat.

faciant prout notatur n.is 847. et 848. De servandis autem a communicantibus vid. n. 1311, et seq.

## ARTICULUS V.

### DE INCLINATIONIBUS ALIISQUE HUJUSMODI CÆREMONIIS A SACERDOTE ET MINISTRIS ALTARIS FACIENDIS.

807. Hucusque egimus de inclinationibus faciendis a Fratribus in Choro, vel alibi infra divina Officia. Ad majorem autem rei elucidationem opportunum duximus de hujusmodi reverentiis a Sacerdote et Ministris peragendis seorsum dicere, (1) cum non sit una eademque ratio illarum in Choro et apud Altare. Etenim non solum notabiliter differunt in modo quo fiunt, verum etiam, in multis casibus, aliæ in Choro, aliæ circa Altare eodem tempore fieri præscribuntur, prout patebit cuique perpendenti ea quæ dicenda sunt in decursu hujus Articuli.

### §. I. De variis observantiis Ministrorum erga Sacerdotem et ad invicem.

808. Ad Ministros inferiores pertinet majoribus ministrare; majorum autem, et præcipue Diaconi, munus est Sacerdoti semper assistere. Dum in Sacristia se præparant, Acolythi, postquam se induerint (ipsis mutuo juvantibus), Diaconum et Subdiaconum adjuvent, et isti Sacerdotem. « In hujusmodi autem præ» paratione caputia sic aptanda sunt sub vestibus ec» clesiasticis, ne gibbus aliquis notabilis umquam ap» reat in humeris Fratrum », « et diligenter atten-

(1) Nostræ inclinationes et prostrationes chorales a monasticis usibus deromptæ sunt, illæ vero, ut recte observat P. M. Cavalerius, in *Statera sacra*, communes sunt omnibus Ecclesiis etiam sæcularibus.

» dant Ministri quod vestes Sacerdotis et suæ decenter
» componantur. » (*Miss. de præp. et alibi.*)

809. Dum Servitor Missæ, vel quilibet alius Minister, « Sacerdoti porrigit Amictum, Manipulum, Sto-
» lam, vel quid aliud, semper capite discooperto, re-
» verenter ejus deosculatur manus ; et similiter dum
» hæc vel quid aliud ab eo accipiet. » (*Ibid. de Serv.*)

Item, infra Missam vel Officium, Diaconus tradens Sacerdoti, vel ab eo accipiens aspersorium, Calicem, thuribulum, manum illius reverenter osculetur ; Patenam vero tradens infra Missam, humerum Sacerdotis osculetur. Thuriferarius idem faciat quoties tradit Sacerdoti, vel ab eo accipit thuribulum. Hujusmodi autem oscula omitti debent si SS. Sacramentum expositum fuerit. (*Miss.*)

810. Vinum et aquam tum Servitor Missæ, tum quilibet alius Minister, « cum omni reverentia » (quod intelligitur de reverentia capitis Sacerdoti tunc exhibenda) ministrent. Similiter, « cum sessum eunt, Sa-
» cerdotem in sede sua reverenter una collocent. » (1) (*Ex Miss. pass.*)

811. « Cavendum est Ministris ne transeant, dum
» aliquid instat agendum, inter Ministros gradus ma-
» joris, sed retro eos. (2) (*Miss.*)

812. Manus semper mundas habeant ; et dum aliquo ministerio non sunt occupatæ, illas junctas ante pectus teneant majores Ministri stantes ad Altare, vel incedentes ; quando autem sedent cum Sacerdote,

---

(1) Exeuntes de Sacristia, vel illic una cum Sacerdote redeuntes, et generaliter quoties infra divina Officia ad Celebrantem accesserint, vel ab eo recesserint, omnes Ministri eamdem reverentiam ipsi communiter exhibere solent.

(2) Decet insuper quod Ministri inferiores, cum Diacono vel Subdiacono aliquid porrigunt vel ab eis accipiunt, eisdem caput paululum inclinent. (Vid. adnot. ad n. 751.)

illas appodiant super Mappulam super ipsorum genua extensam. Cæteri vero Ministri, cum aliquid præ manibus non habent, brachia decenter cancellata ante pectus tenere poterunt, nisi aliter notetur, vel etiam manus junctas habere, pro more Provinciarum.

813. Ministri inferiores in Missa solemni, cum adsunt majores Ministri, « numquam in tota Missæ celebratione ascendant ad supremum gradum Presbyterii in quo Sacerdos assistit. » (*Miss.*)

814. « In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus suis nihil faciant (singuli Ministri) quod cujusquam offendat aspectum, sed quod ipsorum deceat sanctitatem. » (*Miss.*) Pergentes ad Altare (vel quocumque infra sacras functiones ire necesse fuerit) « cum religiosa modestia et gravitate incedant. » (*Ibid.*) Dum autem Acolythi simul progrediuntur, æquali gressu de fronte procedant; curentque omnes ut genuflectendo, inclinando, vel quid aliud cum aliis peragendo, uniformiter omnia perficiant.

815. « Oculos et mentem habeant circa Altare, ut videant quæ fuerint facienda, et audiant cum Sacerdoti fuerit respondendum : cui prompte et devote semper respondere debebunt. » (*Ibid.*)

## § II. De diversis inclinationibus capitis faciendis a Sacerdote et Ministris Altaris.

816. « In Rubrica Missalium nostrorum (ait P. Cavalerius, *Statera sacra*, *Tit. IV.*) triplex diversimode præscribitur inclinatio, nempe : *inclinet aliquantulum caput*, — *inclinet caput*, — *inclinet profunde*; inclinationis autem quam usque ad genua vocamus, nullibi mentio est. »(1) Hujusmodi autem inclinatio-

(1) « Iisdem fere terminis utitur Missale Romanum ad exprimendam triplicis generis, quam præscribit Inclinationem.... Dicerem itaque

nes, non solum eo modo, sed etiam eo tempore quo præscribuntur, conformiter ad Rubricas observari debent. (1)

817. *Paululum inclinet caput* Sacerdos in sequentibus casibus, videlicet : « *Gloria Patri* ad Introitum » Missæ dicens, aliquantulum capite versus Crucem » inclinato, reverentiam exhibeat ;

« — Item dum dicit *Oremus* sive ante Collectas, sive » ante Postcommunionem, paululum inclinet caput » versus Crucem Altaris.

— « Item cum in Conclusione Orationum etiam » Secretarum dicit : *Jesum Christum*, etc., reverentiam » Nomini Dei exhibeat, capite versus Crucem Altaris » paululum inclinato. » (*Miss. pass.*)

818. Ministri autem similiter inclinent dum aliqua ex prædictis verbis simul recitant cum Sacerdote. (2)

---

» quod quando Rubrica nostra præcipit *inclinare paululum caput* » (hanc simplicem inclinationem Romani Missalis explicatores appellant) inclinare debemus cum paucissimo humerorum motu. Quando absolute jubet *inclinare caput* (quam inclinationem mediam illi » appellant), caput magis inclinamus, cum aliquantulo majori humerorum necnon corporis motu. Quando tandem jubet *inclinare profunde* (in quo etiam in terminis cum Romano Missali nostrum convenit) humeros vix profundius inclinamus, quam ut caput sit per » directum ad genua oppositum. (*Id. Ibid.*) »

(1) Hic autem referuntur inclinationes faciendæ prout a Rubricis nostris stricte præcipiuntur, (non exclusis tamen legitimis consuetudinibus) et juxta mentem hujus Decreti : « Aliqui Rubricistæ volunt » quotiescumque Nomen Jesu nominatur in Missa, vel dicitur *Gloria* » *Patri*, vel acceditur ad medium, vel ac ipso receditur, caput Cruci » esse inclinandum ; alii sentiunt hujusmodi inclinationes tunc tantum » faciendas cum a Rubrica præscribuntur ; quæritur quando hujus» modi inclinationes sint faciendæ ? » — R. « Serventur Rubricæ. » » (12. *Nov.* 1831.)

(2) Quamvis non sit explicite præscripta hujusmodi inclinatio a Ministris facienda, attamen in dicto casu Ministri taliter uniuntur Celebranti quod utrisque eadem sit ratio easdem inclinationes similiter peragendi : secus vero cum Sacerdos submisse orando, quasi privatim talia peragit, puta in Secretis aut in Canone.

— Item paululum inclinent caput dum thurificantur, ut supra dictum est.

819. *Inclinent caput* tam Sacerdos quam Ministri, prout sequitur : Sacerdos celebraturus « reverentiam, » inclinato capite, (caputio et Amictu cooperto) Cruci » vel Imagini, quæ in Sacristia reperitur exhibeat, » cum ad Altare progreditur : (*Miss.*) et similiter faciant omnes Ministri cum eo. (Vid. adnot. ad præced.)

Idem faciant omnes cum ad Sacristiam redierint. Et sic laudabiliter solet fieri tam a Sacerdote quam a Ministris in consimilibus casibus.

820. Infra Missam, Sacerdos similem inclinationem Cruci faciat in medio Altaris : cum progrediens ad cornu Evangelii dicit : *Dominus sit in corde meo;* item postquam inchoaverit: *Gloria in excelsis Deo,* vel *Credo in unum Deum ;*

— Item ad *Oremus* ante Offertorium ;

— Item priusquam pergat ad cornu Epistolæ ad abluendas manus, et ad dicendam Communionem.

821. Si autem ibi fuerit Tabernaculum SS. Corporis Christi, insuper idem faciat cum transit per medium Altaris ante et post *Dominus vobiscum,* quoties dicendum est, et post *Orate, Fratres,* prout n. 845 dicetur. In thurificatione, inclinationem capitis exhibere debet Cruci vel Tabernaculo, solummodo priusquam incenset oblata, et iterum priusquam thurificet Reliquias aut Imagines, si quæ sint, ex utraque parte Altaris ; cum enim transit per medium Altaris, dum thurificat, inclinet profunde, ut dicetur infra.

822. Ministri transeuntes ab una ad alteram partem in medio Altaris, reverenter semper inclinent caput, nisi amplius facere debeant ob SS. Sacramentum patenter expositum. (V. n.° 850.) (*Miss.*) A medio autem recedentes, vel illud repetentes cum Sacerdote, ei se conforment. Si vero Acolythi, hinc et inde stantes, ad dexteram partem vel sinistram simul accedant, ita ut

unus permedium transire debeat, sufficit quod ambo simul versus Altare in loco suo inclinent, vel genuflectant, si genuflectere debent.

823. Dicto ultimo Evangelio, Sacerdos priusquam se cooperiat, caput Cruci devotius inclinet in medio Altaris; (*Miss. mod. et ritus.*) et similiter faciant Diaconus et Subdiaconus. (Vid. adnot. ad n.° 818.)

824. Præterea, Sacerdos debet caput similiter inclinare ad sequentia verba:

Cum dicit in Hymno *Gloria in excelsis: Adoramus te;* — *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; — *Jesu Christe;* — *Suscipe deprecationem nostram*; — — et iterum *Jesu Christe.*

» Dum cantantur in Choro verba *Veni sancte Spiritus*, » si prius sedeat non genuflectit, sed surgit, et caput » tantum cum Ministris profunde inclinat. »

Cum pronuntiantur a semetipso, vel a Diacono, in Evangelio SS. Nomina Jesu et Mariæ, inclinet caput versus librum, et similiter dum ipse pronuntiat eadem Nomina in *Credo*, in Præfatione et in Canone. (1) (*Miss. mod. et ritus.*)

825. Dum recitantur vel cantantur hæc verba Symboli: *Simul adoratur et conglorificatur.* Item dum dicit: *Gratias agamus Domino Deo nostro.*

Item ad *Oremus*, etc. ante Orationem super populum in Missis Quadragesimæ. (*Ibid.*)

826. Ministri ad omnia prædicta verba n.° 824 et 825 similiter inclinent caput simul cum Sacerdote, sive dum ab ipsis cum illo recitantur, sive dum cantantur,

---

(1) De inclinatione capitis facienda a Sacerdote aut Ministris ad Altare *infra Orationes* ad Nomina B. Mariæ V., et B. Dominici Patris nostri nihil explicite dicitur in Missali. Rubricæ tamen, tum generales tum supra scriptæ, satis permittere videntur ut fiat versus librum quando pronuntiantur prædicta Nomina infra Orationes, modica capitis inclinatio ut supra ad Nomen Jesu, n.° 817.

exceptis SS. Nominibus Jesu et Mariæ infra Canonem.

Insuper, debent similem inclinationem facere Diaconus dum accipit Benedictionem ante Evangelium, et omnes Ministri ad Benedictionem Sacerdotis in fine Missæ. (*Miss. de Offic.*)

827. Aliæ occurrunt inclinationes a solo Celebrante faciendæ infra actionem, videlicet : « aliquantulum » *corpore* inclinatus proferat verba Consecrationis Hostiæ ; — stans inclinato capite proferat verba Consecrationis Sanguinis ; »

« Hostiam, reverentia capite aliquantulum ei exhibita, reponat super Corporale, dicens : *Omnis honor* » *et gloria.* »

« Inclinato tantum capite sumat ore sacrum Christi » Corpus. » (*Miss. mod. et rit.*)

### §. III. De Inclinatione profunda a Sacerdote et Ministris facienda.

828. « Inclinatio profunda tam a Sacerdote quam a Ministris facienda est genibus non curvatis, (1) non ex transverso, sed in directum versus medium Altaris, et regulariter manibus junctis ante pectus, dum non sunt occupatæ. (*Ex Miss. pass.*) Hujusmodi inclinatio fiat in sequentibus casibus :

829. Quando Sacerdos, cum Ministro vel Ministris,

(1) « Hinc magis intelligas, ait supralaudatus P. Cavalerius, quod, » quidquid sit de inclinationibus profundis extra Altare, illæ quæ » Sacerdoti Sacrum facienti proponuntur, ita fieri debent, ut genua » non curventur. Si autem stent, non flexis ullo modo proplitibus, » sed rectis existentibus, erit quidem inclinatio paululum demissior » quam ut caput sit per directum ad genua oppositum, sed non pro- » funda quantum cubitus genibus inhæreat : quæ citra indecentiam » vix posse præstari videtur, cum et oblata omnino tunc populo » paterent ac celebrantis intuitu omnino destituerentur. (*Ibid.*) *Tit. VII.*)

celebraturus, vel aliquam sacram functionem peracturus, accedit ad Altare, ubi non est Tabernaculum Corporis Christi, stantibus omnibus in aliqua distantia ante illud infra infimum gradum, omnes simul profunde inclinent, Sacerdote et Ministris majoribus caput coopertum habentibus. Idemque fiat in ultimo recessu ab Altari. (*Miss. pass.*) Si autem ibi fuerit SS. Christi Corpus, vid. n.° 841. et seq., 847. et seq.)

830. « Item quando celebraturus accesserit ad me-» dium Altaris, facta profunda inclinatione, stans « muniat se signo Crucis, dicens clara et intelligibili » voce : *In nomine Patris*, etc. (*Ibid. Ordo servand.*). Item Sacerdos et Ministri recedentes ab Altari profundam inclinationem faciant in medio, capite discooperto, scilicet : cum ad sedes, vel ad Chorum, vel ad Sacristiam, vel ad locum ubi cantandum est Epistola aut Evangelium vadunt; et pariter cum ad Altare revertuntur, sive ibi fuerit Tabernaculum SS. Corporis Christi sive non. (*Ex Miss. de Offic.*) Cum autem SS. Sacramentum est patenter expositum, vid. n.° 850. et seq.

831. Dum dicitur *Confiteor* in principio Missæ, Celebrans et Ministri (exceptis Acolythis) inclinent profunde, usque ad *Adjutorium nostrum* exclusive. (*Ibid.*)

832. Dum thurificatur Altare, Sacerdos et Diaconus tantum, recedentes a medio Altaris, vel transeuntes per medium profunde inclinent. Idem fiat a Thuriferario in Vesperis et Laudibus, dum Sacerdoti assistit : insuper Thuriferarius inclinet profunde ante Altare, vel in medio Chori, priusquam thurificet Ministros et Chorum. Item fit inclinatio profunda a Sacerdote post thurificationem Altaris, dum transit in medio Chori prope sedem Prælati. (*Miss. et Collect.*) Si SS. Sacramentum fuerit expositum, vid. n.° 850. et seq.

833. Præterea Sacerdos solus inclinat profunde infra Missam in quocumque casu, cum dicit Orationes :

*Aufer a nobis*, etc., — *In spiritu humilitatis*, etc. — *Placeat tibi Sancta Trinitas*, etc.

### §. IV. De Genuflexionibus faciendis infra Missam, sive Tabernaculum SS. Corporis Christi sit in Altari, sive non.

834. Sacerdos genuflexus unico genu reverenter SS. Sacramentum adoret, consecratione facta, ante et post elevationem tum Hostiæ tum Calicis, moxque se erigat, ad singulas genuflexiones manus tenens appodiatas ad Altare. (1)

— Item, priusquam sacram Hostiam accipiat ad *Per ipsum*, et postquam illam deposuerit.

— Similiter antequam accipiat sacram Hostiam ad fractionem, et Calicem ad communionem. (*Miss. mod. et rit.*)

835. Ministri, in consecratione et elevatione maneant genuflexi quousque Sacerdos post elevationem Calicis genuflexus fuerit. (*Miss. De Offic.*)

836. « Semper genuflectit unico genu in Missa pri-
» vata Sacerdos, quando dicit Evangelium S. Joannis,
» *In principio*, ad illa verba : *Et Verbum caro factum est*,
» et in Evangelio Epiphaniæ, *Cum natus esset*, ad illa
» verba : *Et procidentes adoraverunt eum* ;

» — « Item in Evangelio Feriæ IV. post Dominicam
» IV. Quadragesimæ, ad illa verba in fine : *Et proci-*
» *dens adoravit eum* ;

— « Item genuflectit in Missa Dominicæ Palmarum
» et in Missis de Cruce ad illa verba in Epistola : *In*
» *nomine Jesu omne genu flectatur*.

— « Item genuflectit ad illa tantum verba Tractus

---

(1) Soli Sacerdoti genuflectenti licet manus appodiare ad Altare. (*Ex Rubricistis.*)

» vel Responsorii in Quadragesima : *Adjuva nos Deus salutaris noster ;*

— « Item, in omnibus Missis de Spiritu Sancto, dum » dicit Versum (in *Alleluia* vel Tractu), *Veni Sancte* » *Spiritus*, usque ad *reple.* » (*Miss.*)

837. « Utrumque genu flectit Sacerdos quoties dicit : » *Flectamus genua ;*

— « Item, quando legitur Passio, ad illa verba : » *Expiravit*, vel *Emisit spiritum ;*

— « Item, ad illa verba Symboli : *Et incarnatus est* » *de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et Homo factus* » *est.* » (*Ibid.*)

838. « In Missa solemni etiam Sacerdos genuflectit » ad omnia prædicta : » quæ si cantanda erunt, Sacerdos, omissa genuflectione dum recitat eadem verba in privato, genuflectit cum Ministris dum cantantur : « præterquam ad *Flectamus genua ;* quia ipse » solus stat, Diaconus vero et omnes alii utrumque » genu flectunt; et ad Versum *Veni Sancte Spiritus*, si » prius sedeat, non genuflectit, sed surgit, et caput tan- » tum cum Ministris profunde inclinet. » (*Ibid.*) Cum autem cantantur verba : *In Nomine Jesu*, et *Adjuva nos*, etc., Sacerdos et Ministri idem poterunt observare. « In prædictis autem (verbis) omnes Ministri, quando » Sacerdos genuflectit, debent etiam genuflectere, » exceptis Acolythis ad Evangelium tenentibus Can- » delabra, » (et Cruciferario deferente Crucem) qui » tunc non genuflectunt ; et dum Diaconus cantat » illa verba ad quæ est genuflectendum, ipse versus » librum, Sacerdos et alii omnes versus Altare genu- » flectunt. » (*Ibid.*)

839. « Nec Sacerdos nec Ministri flectant genua cum dicitur *Salve sancta Parens.* » (*Ibid. de Offic.*) Genuflectere autem debent Feria VI in Parasceve duo Sacerdotes accedentes ad Altare ad cantandum : *Popule meus ;* item duo Diaconi quoties ante Crucis adorationem can-

tant particulam *Sanctus*; item omnes Ministri ut supra 779 in adoratione Crucis, et quoties specialiter ipsis præscribitur in propriis Rubricis.

840. Prostrationes nullas faciant infra Missam, tum Sacerdos tum Ministri, (et specialiter Servitor Missæ): præterquam Feria IV. Cinerum et Feria V. in Cœna Domini ad Psalmos Pœnitentiales ante Missam, ut suo loco dicetur, Feria VI. in Parasceve, ut supra 790, in adoratione Crucis, et propter Sacramentum Altaris, ut infra n.° 857.

### §. V. De his quæ observanda sunt a Sacerdote et Ministris erga SS. Sacramentum in Tabernaculo occlusum.

841. De Missa celebranda ad Altare SS. Sacramenti dictum est supra n.° 355.

Erga SS. Sacramentum in Tabernaculo occlusum hæc observentur:

*Extra Missam*. Sacerdos Missam celebraturus, progrediens ad Altare, vel post Missam ad Sacristiam rediens, « si interim ante Tabernaculum Sacratissimi » Christi Corporis transire contigerit, cooperto capite, » dexterum genu flectat, » (*Miss.*) omissa semper profunda inclinatione de qua n.° 799, tum in præsenti casu cum in aliis infra scriptis. (1)

842. Cum ad Altare pervenerit, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, loco inclinationis de qua n.° 829, cooperto capite, unicum genu flectat infra infimum gradum. Idemque faciat post Missam in Sacristiam reversurus.

843. Similiter genuflectat in primo ingressu et in

---

(1) Idem servetur si transitus fiat ante Altare ubi celebratur, post consecrationem usque ad communionem Celebrantis. (Vid. supra notata ad n.° 800.)

ultimo recessu Altaris, ubi asservatur SS. Sacramentum, tam in Missa solemni quam in thurificatione Altaris in Vesperis et Laudibus, et quoties fit aliqua functio distincta, uti aspersio Aquæ benedictæ, aut aliqua Processio, addita vero in dicta thurificatione genuflexione super gradum, priusquam ascendat ad Altare ad thurificandum, et alia genuflectione post peractam thurificationem ejusdem Altaris. (*Ex Miss. et Coll.*)

844. In omnibus prædictis casibus Ministri omnes similiter genuflectant : Diaconus et Subdiaconus capite cooperto, tam in ingressu quam in recessu, cæteri vero capite discooperto. In thurificatione autem Acolythi omittant prædictam genuflexionem super gradum.

845. *Infra Missam* aliasque functiones, primo serventur, in casu de quo agitur, a Sacerdote et Ministris inclinationes tum capitis (817. et seq.), tum profundæ (n.° 830. et seq.), et genuflexiones prout in §. præcedenti n.° 834. et seq. Insuper, infra Missam, tam privatam quam solemnem, « si in Altari sit SS. » Sacramentum in Tabernaculo occlusum, quoties- » cumque Celebrans dicit *Dominus vobiscum*, ne terga » vertat Tabernaculo, ad medium Altaris procedat, » factaque capitis inclinatione, paululum ad cornu » Evangelii secedens, vertat se ad populum per latus » dexterum, et per idem latus, facta iterum coram » Tabernaculo capitis inclinatione, ad librum redeat, » ibique dicat pro more : *Oremus*, etc. (*Miss. de His.*)

846. « Idem faciat ad *Orate Fratres*, et *Ite Missa est*, » et dum benedicit populum, advertendo etiam quod » tunc non perficit circulum, sed revertitur eadem » via ad medium Altaris, ubi iterum caput inclinat » coram Tabernaculo : et data Benedictione, ad cornu » Evangelii accedit dicturus ultimum Evangelium. » (*Ibid.*) Diaconus autem et Subdiaconus in Missa solemni Sacerdotem ad medium Altaris ut supra euntem comitentur.

### §. VI. De genuflexionibus aliisque observantiis erga SS. Sacramentum patenter expositum, etc.

847. *In accessu et recessu.* Sacerdos celebraturus. dum progreditur ad Altare, « si ante Altare ubi ce- » lebratur Missa, contingat elevari, tunc utrumque » genu flectat, et detecto capite SS. Sacramentum » adoret, neque antea surgat quam Celebrans depo- » suerit Calicem super Corporale. » (*Miss.*)

848. « Quod si SS. Sacramentum in Altari patenter » sit expositum, vel in illo ministretur, pariter utrum- » que genu flectat, ac detecto capite illud adoret : et » mox se erigens, ut prius incedere pergat » (*Ibid.*) In reditu similiter se gerat.

849. » In ingressu Altaris in quo patet SS. Sacra- » mentum, omnes tam Celebrans quam Ministri, cum » pervenerint ante infimum gradum Altaris, ordinati » in aliqua distantia ad invicem ante illud, debent » utrumque genu flectere. » (1) (*Miss.*)

Pariter « recedit Celebrans cum Ministris ab Altari, » genuflexione utroque genu facta. » (*Ibid.*)

850. *Infra sacram functionem.* « Accedens Celebrans » ad medium Altaris et recedens a medio, vel transiens » ante medium, toties quoties semper unico genu » flectat : quod et alii Ministri similiter obser- » vent. » (*Ibid.*) Item ubi n.° 830. facienda est inclina- tio, fiat pariter genuflexio unico genu. (2)

---

(1) Rubrica Missalis de discooperiendo prius capite nihil dicit in casu ; attamen, vi regulæ generalis (n.° 802.), potius laudandi erunt qui, statim ac in conspectu SS. Sacramenti veniunt, capite discooperto incedunt, prout generaliter fieri consuevit.

(2) Quod confirmatur et declaratur seq. Decret. S. R. C. « Quando » Celebrans genuflectit ante Altare SS. Sacramenti tam expositi quam » in Tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii,

851. « Quotiescumque debet converti ad Conven-
» tum seu populum, dicturus *Dominus vobiscum*,
» stans in medio Altaris, facta genuflexione, accedat
» ad cornu Evangelii, et ibi sistat se, renibus versis
» circa cornu Altaris, et facie versa ad populum di-
» cat : *Dominus*, etc.; et tum per eamdem viam, facta
» iterum genuflexione in medio, redeat ad librum,
» ibique more solito dicat : *Oremus*, etc.

852. « In thurificatione, observentur dicenda infra,
» præterquam quod post thurificationem Calicis, Sa-
» cerdos non stans, sed utroque genu flexus, cum
» Ministris debite ordinatis, in supremo gradu incen-
» sat SS. Sacramentum, inclinando caput profunde
» ante et post incensationem ipsi Sacramento. Deinde
» erectus incensabit Altare ut infra dicetur, dexte-
» rum genu flectens quoties transibit per medium
» Altaris. (*Ibid.*)

Hic modus incensandi SS. Sacramentum servetur etiam in Vesperis et Laudibus, dum thurificantur Altaria. In Benedictione SS. Sacramenti et in Processione ejusdem, Sacerdos cum Ministris genuflexus in infimo gradu Altaris ante et post incensationem similiter inclinat. (*Ex Collect.*)

853. « Cum Sacerdos incensandus est in Missa,
» descendens a supremo gradu in cornu Epistolæ si-
» stat se versa facie ad populum, et ibidem post thu-
» rificationem lavet manus. » (*Ibid.*)

---

» an in infimo gradu Altaris ? » — R. « Serventur Rubricæ ; sed in
» accessu et recessu in plano est genuflectendum, in infimo autem
» gradu Altaris quoties genuflectere occurrat. »

« Genuflexio quæ fit coram SS. Sacramento exposito, tam in Missa
» quam in Oratione 40 horarum, cæterisque functionibus, quando fieri
» debet unico genu, et quando utroque, tum a Celebrante, tum a Mi-
» nistris, vel alio qui exponit et reponit ? » — R. « In accessu et recessu
» utroque genu ; intra Missam unico genu : pro reliquis functionibus
» consulantur Rubricistæ. »

854. « Diaconus, vel alius Minister, non debet tunc » osculari manus Sacerdotis in traditione thuribuli, » sicut neque in traditione quarumcumque aliarum » rerum, » (*Ibid.*) nec etiam osculari humerum Sacerdotis in traditione Patenæ. (*Ibid. De Offic.*)

« Insuper animadvertant omnes dum movent se, ne » umquam terga vertant Sacramento. » (*Ibid.*)

855. Dicitur *Orate, Fratres* et *Ite Missa est*, a Sacerdote (idem observetur a Diacono dicente *Ite Missa est*) et « datur Benedictio a Celebrante ubi dictum est *Do-* » *minus vobiscum*; sed non perficit circulum, sed » revertitur ad medium Altaris, ubi iterum genufle- » ctit coram Sanctissimo: et post Benedictionem, facta » genuflexione, accedit ad cornu Evangelii ultimum » Evangelium dicturus. » (*Ibid.*) Idem servetur in ministranda S. Communione (V. n. 1326), et in casu de quo n. 1444, et similibus.

« Hæc omnia observentur in Missa privata, præter » specialia Missæ solemnis. » (*Ibid.*) (1)

856. In Benedictione SS. Sacramenti, serventur ea quæ supra n.is 804. et 805. scripta sunt, Ministris inclinantibus profunde ante et post thurificationem cum Sacerdote, sed tamen ad Orationes genuflexis manentibus.

857. Si contingat deferri SS. Sacramentum a Diacono, Ministri qui sunt ad Altare, videntes ipsum prosternant se super genua, præter Sacerdotem qui solus genuflexus adoret, quousque SS. Sacramentum super Corporale repositum fuerit.

— Item Ministri dicentes *Confiteor* ad communionem prosternant se super genua quousque facta fuerit Ab-

(1) Cum Rubrica Missalis nostri *de his quæ addenda sunt in Missa quæ dicitur in Altari in quo expositum est SS. Sacramentum*, satis provideat etiam de minimis observandis erga SS. Sacramentum, strictim huic standum est, cæteris non mutatis et more solito servatis.

solutio a Sacerdote. Postquam autem communicaverint, stent genuflexi in Presbyterio. (*Ex Miss. de Sacra Com.*)

858. Sacerdos, tum in Sacrificio Missæ, ut supra dictum est, tum in ministranda S. Communione, vel in exponendo aut reponendo SS. Sacramento, (et similiter Diaconus cum ipsi competit ea peragere) « quotiescumque tantum Sacramentum manu tractandum » venit, ante ejus acceptionem, et post ejus depositionem, singulis vicibus, (omissa profunda venia) » genua flectat »(*Paris* 1611.) unico genu. (*Miss. Quod convenit cum Rituali Rom. et S. R. C. Decretis.*) (1)

(1) Hinc in ministranda S. Communione, Sacerdos *primam* genuflexionem faciat antequam extrahat a Tabernaculo S. Pyxidem; *secundam*, postquam eamdem discooperuerit; *tertiam*, priusquam accipiat sacram Hostiam post *Misereatur* ; *quartam*, cum S. Pyxidem super Altare reposuerit, peracta Communione; *quintam*, Pyxide in Tabernaculo reposita, priusquam ostiolum claudat.

# PARS III.

Continens Rubricas et Cæremonias quæ communiter observari debent a singulis Ministris Sacrarum Functionum, tam in Choro quam apud Altare.

---

Hæc pars in duo Capita dividitur.

## CAPUT I.

De Cantore et Ministris.

## CAPUT II.

De Sacerdote.

# CAPUT PRIMUM

## DE CANTORE ET MINISTRIS

### IN VI. ART. DIVISUM.

Art. I. De officio Cantoris et Succentoris.
II. De officio Sacristæ, Versicularii, Lectoris, et Servitoris Missæ.
III. De officio eorum qui notati sunt ad Crucem, ad Aquam benedictam et ad Thuribulum.
IV. De officio Acolythorum.
V. De officio Subdiaconi.
VI. De officio Diaconi.

---

## ARTICULUS I.

### DE OFFICIO CANTORIS ET SUCCENTORIS.

**859.** Duo Fratres Sacerdotes a Priore ad officium Cantoris deputentur, videlicet : Cantor, ad quem præcipue pertinet tale officium, et Succentor. Præter quos, alii duo Succentores minores institui poterunt.

### §. I. De Fratribus notandis ad sacras Functiones.

**869.** Cantoris est, singulis Sabbatis, Tabulam scribere, notando Fratres ad munia Officii divini, Missæ et Processionis pro hebdomada sequenti. Item scri-

benda est Tabula specialis in Vigilia Festorum solemnium, in quibus notatur aliquis ad Officium, et quoties functiones propriæ fiunt, uti Triduo ante Pascha, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum etc. Notandi sunt etiam aliquibus diebus antecedentibus qui cantare debent Passiones in Hebdomada majori, ut possint prævidere canenda. (*Ex Cærem. C.*)

861. *Ad Officium* faciendum notandi sunt R.mus Magister Ordinis, Prælati et Superiores actuales Provinciarum, Conventuum aut locorum; deinde Magistri in S. Theologia, Supprior, vel aliquis ex gravioribus Patribus aut Officialibus, pro solemnitate diei, et consuetudine Conventus. (*Ibid.*)

862. Dies in quibus aliquis notandus est ad Officium determinantur prout sequitur : Rubrica veteris Ordinarii quæ præcipiebat ut in « Festis Duplicibus » et supra Prior faciat Officium, » propter multitudinem hujusmodi Festorum sic moderata fuit : « In » Festis Duplicibus et supra, *si quis* notetur ad Offi» cium, etc. » Ideo in Festis tantum præcipuis, id est in iis quæ correspondent Duplicibus primæ vel secundæ classis, necnon in Festis Sanctorum Ordinis nostri, et in nonnullis aliis, quæ sunt specialis notæ, generaliter consuevit fieri. (Vid. Litt. Mag. Ord. XII, XIII.) (1) Præterea diebus in quibus communio generalis est facienda, (V. n.° 1309.) « debet Prælatus (si

(1) Hic, pro norma directiva tantum, ponitur series dierum in quibus Prælatus, vel aliquis ex gravioribus Patribus facit Officium, prout notari solet in aliquibus præcipuis Conventibus Ordinis.

*R.mus Magister Ordinis* : in Nativitate Domini, Triduo ante Pascha, in die Paschæ et Pentecostes, in Festo S. P. N. Dominici (Missam tamen celebrent FF. Minores), in Festo Omnium Sanctorum.

*R.mus Procurator Ordinis* : In Epiphania Domini.

*Adm. R. P. Provincialis* : Absente Magistro Ordinis, iisdem diebus ac supra. Insuper in Benedictione Cinerum, in Festo SS. Corporis Christi, in Festo SS. Rosarii, et in Sepultura Fratris Defuncti.

« commode potest,) vel aliquis ex gravioribus Patribus » Missam Conventualem celebrare. » (*Miss.*) Insuper, Prælatus Officium facere debet Feria IV. in capite jejunii ad Benedictionem Cinerum, Dominica in Ramis Palmarum ad Processionem et Missam, Triduo ante Pascha, in Vigilia Pentecostes ad Missam, in die Animarum et in obitu Fratris defuncti. (*Ex Miss. Process. et Ord.*)

---

*Adm. R. P. Prior :* Absentibus majoribus Prælatis, iisdem diebus ac supra. Præterea, in Circumcisione Domini, Dominica Palmarum, prima die post Pascha, post Pentecosten et post Nativitatem Domini, nisi ipse pridie celebraverit; in Ascensione Domini ; in Exaltatione S. Crucis; in Festis Immac. Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. ; S. Thomæ Aquinatis, et SS. Trinitatis, ubi non adest Magister aut studiorum Regens; SS. Apostol. Petri et Pauli, S. P. Francisci, die Animarum, in Festo Omnium SS. Ordinis, Patroni principalis, et Titularis Ecclesiæ nostræ.

*Magistri in S. Theologia :* In Festo SS. Trinitatis, et duobus diebus post Pascha, Pentecosten et Natalem. Iidem alibi notantur in omnibus Festis SS. Apostolorum, S. Michaelis, S. Joseph, S. Mariæ Magd. et S. Catharinæ V. et M.

*Adm. R. P. Supprior :* In prædictis diebus, si desunt qui supra notati sunt. Præterea in Vigilia Nativitatis Domini in Laudibus et in Missa, in Visitatione et Præsentatione et in aliis Festis B. M. V. ejusdem dignitatis, in duobus Festis secundariis S. P. N. Dominici, in Festis S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, S. Joseph, S. Michaelis, SS. duodecim Apostolorum, et singulorum Sanctorum Ordinis nostri, nisi alii designentur.

*Studiorum Regens :* in Festo S. Thomæ Aquinatis.

*Baccalaureus :* in Festo Translationis S. Thomæ et S. P. Augustini; vel etiam in Festis singulorum SS. Ordinis nostri.

*Magister Studentium :* in Festo S. Catharinæ V. et M. Alibi vero in Exaltatione S. Crucis.

*Prædicator generalis :* in Festis SS. Marci, et Lucæ Evang.

*Magister Novitiorum :* in Festo S. Ludovici Bertrandi.

*Sacrista major :* in Dedicatione Ecclesiæ.

*Lector Philosophiæ :* in Festo B. Alberti Magni.

*Lector casuum :* in Festo S. Antonini. Lectores notantur etiam alibi in Festis SS. Antonii, Abb., Vincentii, M., Laurentii, M., Nicolai, etc.

*Procurator :* in Festo S. Martini.

*Magister Conversorum :* in Conversione S. Pauli Apostoli.

De cætero omnia arbitrio Superiorum relinquuntur.

863. *Ad munus Hebdomadarii* notentur omnes Fratres Sacerdotes professi non exempti, vel a Magistro Ordinis non dispensati, incipiendo a majoribus, quilibet vice sua, pro tota hebdomada. Quoad exemptiones. vid. in Const. Cap. I. Declar. VI. (1)

864. *Ad officia Diaconi* et *Subdiaconi* notentur « Fratres ad hos ordines promoti, vel Sacerdotes, » (2) » nullusque deinceps sacris vestibus indutus solemniter Epistolam canere permittatur qui ad Subdiaconatus ordinem non sit promotus ; injungimusque Visitatoribus nostri Ordinis et Superioribus Prælatis ut, » si in nostris Conventibus tales abusus invenerint, » penitus de medio tollant et delinquentes severæ » vindictæ subjiciant. (*Bonon*. 1564.)

865. *Ad officia Acolythorum*, seu Ceroferariorum, et *Thuriferarii* scribantur Fratres ad ordines minores promoti, vel cæteri novitii Clerici, imo et Fratres Conversi, si desint alii ; et qui primus notatus fuerit, partes impleat Acolythi senioris, alter vero junioris : qui in statura, quantum fieri potest, æquales eligantur, ut lumina æqualiter teneant et deferant. (*Ex Miss. et Cærem. Ep.*) Item *ad Crucem* tum in Missa tum in Processionibus deferendam cum opus fuerit, notetur aliquis Clericus vel Conversus, et alius similiter *ad Aquam benedictam*.

---

(1) Cantores, cum jam munus proprium quotidie exerceant, ab hoc onere eximuntur.

(2) Ex consuetudine Ven. Conventus S. Mariæ supra Minervam Ministri R.mi Magistri Generalis notantur : duo primi Socii ;

R.mi Procuratoris Ordinis : Baccalaureus et Magister studentium ;

Adm. R.P. Provincialis: Socius ejusdem et Lector primus Philosophiæ;

Adm. R. P. Prioris : Lector primarius Philosophiæ, et Decanus Collegialium ;

Regentis : Decanus et Subdecanus Collegialium;

Baccalaurei : Subdecanus et alius Collegialis;

Magistrorum in S.Theologia, Supprioris, Prædicatoris generalis : duo ex studentibus.

866. *Ad Versiculos* et ℟℟. Horarum deputentur duo ex novitiis : quorum erit etiam Invitatorium cantare diebus non solemnibus.Si vero Prælatus vel alius faciat Officium, Cantores dicant Versiculos ; et tunc quatuor ad Invitatorium scribantur : ille scilicet qui ad Officium, et tres alii ex antiquioribus immediate post eum subsequentibus, nisi aliter Cantori visum fuerit : quibus etiam committetur Responsorium in Vesperis et nonum ℟. in Matutinis. (*Ex Cærem. C.*)

867. *Ad Lectiones* singulas singuli Fratres notentur, incipiendo a junioribus ; ita tamen ut, quantum fieri potest, quo major fit solemnitas, eo digniores successive scribantur ; ille vero qui facit Officium in Festis solemnibus, vel Hebdomadarius, cæteris diebus, ad ultimam, etiamsi legerit primam, designetur, et qui immediate illi succedit ad octavam ; Diaconus vero, vel alius ex gravioribus Patribus, ad septimam de Evangelio et Homilia. (*Ex usu.*)

Ad Lamentationes, Triduo ante Pascha, noteturprimo qui facit Officium, deinde alii duo ex antiquioribus Patribus. Similiter in Festo Omnium Sanctorum ad primam Lectionem scribatur qui facit Officium ; ad cæteras vero usque ad octavam inclusive notentur Fratres a majoribus ad minores successive progrediendo ; et ad ultimam idem qui ad primam.

868. Si Officium fiat in verbis, ad tres Lectiones I. Noct. scribi poterit unus Frater, et ad Lectiones II. Noct. alius antiquior ; vel ad sex priores Lectiones unus deputetur ; ad Homiliam vero et octavam Lectionem Diaconus, et ad nonam ubi consuevit Hebdomadarius scribantur. Hoc autem fiat pro consuetudine Conventus et numero Fratrum.

869. *Tempore Paschali*, Die Dominica, et quoties aliqua Homilia fuerit legenda, necnon pro Feria IV. et Sabbato, scribantur ut in III. Nocturno alterius temporis ; deinde tres Fratres pro Feria II. et V., et alii

tres pro Feria III. et VI.; vel si non cantetur Officium, unus tantum scribi poterit ad omnes Lectiones. In quolibet Festo autem solemni semper tres scribantur ut in tertio Nocturno extra Tempus Paschale. (*Cærem. C.*)

870. *Ad Responsoria* post Lectiones, dum cantantùr ab uno, (V. n° 661.) notari poterit idem Frater qui ad Lectionem, prout Cantori videbitur; cum autem a duobus dicuntur, eidem adjungatur alter, vel alii duo signentur pro arbitrio Cantoris : ad Responsoria, quæ a quatuor decantari debent, regulariter notentur iidem qui ad Invitatorium.

871. *Ad Calendas* scribatur unus novitiorum, vel alius.

Ad *Prophetias* in Missa, quando una tantum fuerit legenda, non oportet scribere aliquem ad illam; sed unus Acolythorum, cui Cantor injunxerit, eam legat; in Sabbatis Quatuor Temporum scribantur quatuor Fratres, prout Cantori videbitur; in Vigiliis Paschæ et Pentecostes quatuor ex antiquioribus notentur. (*Cærem. C.*) Ad officium Lectoris mensæ, secundum usum Provinciarum et Conventuum Fratres in Tabella signentur : ubi autem tale officium non ultra diem protrahitur, non scribatur in Tabella.

872. Sine acceptione personarum Cantor debet omnes adnotare ad munera ipsis proportionata obeunda; nisi cum aliquibus justis de causis Prælatus dispensaverit. Attamen ut æqualitas qualiscumque fiat, dispensatos ab uno officio ad officia ipsis possibilia designet. In diebus solemnioribus magis peritos potius eligat. Et quando duo Fratres notandi sunt ad aliquod officium, si fieri potest, unus ex uno Choro, alter ex altero assumatur. (*Ibid.*)

873. Ubi propter paucitatem Fratrum non possunt singula officia a diversis impleri, poterit Cantor eosdem scribere ad diversa munia quorum unum non impediat alterum : ut, exempli gratia, Diaconum et Sub-

Diaconum, vel Acolythos ad Versiculos; vel unum Acolythorum ad Thuribulum (*Miss.*); et similiter in aliquibus functionibus propriis Hebdomadæ sanctæ, prout ibidem notatur. (*Ibid.*)

874. Officium eorum qui signati sunt in Tabula hebdomadæ incipit in Sabbato ad Vesperas, et terminatur similiter Sabbato sequenti : præterquam in Sabbatis infra Quadragesimam ad prandium, in quo omnia fiunt ab officialibus septimanæ præcedentis more solito, quamvis illi qui notati sunt pro hebdomada sequenti suum officium in Vesperis præcedentibus incœperint. Qui vero scripti sunt specialiter pro Festo solemni, munus suum exercent a primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive, præter eum qui facit Officium de quo infra. (*Ex Collect.*)

### §. II. De modo scribendi et legendi Tabulam Officialium.

875. *Tabula hebdomadæ* scribatur sub titulo Dominicæ currentis, hoc modo :

DOMINICA TALI.

| | |
|---|---|
| Hebdomadarius : | Fr. N. |
| Diaconus : | Fr. N. |
| Subdiaconus : | Fr. N. |
| Acolythi : | Fr. N. et Fr. N. |
| Ad Thuribulum : | Fr. N. |
| Ad Crucem : | Fr. N. |
| Ad Aquam benedictam : | Fr. N. |
| Responsoria Horarum : | Fr. N. et Fr. N. |
| Invitatorium : | Iidem, vel Fr. N. et Fr. N. |
| Lectionem primam : | Fr. N. |
| Lectionem secundam : | Fr. N. |

Et sic deinceps usque ad septimam, si cantetur Officium; alioquin scribatur alio modo, ut supra. n.° 868.

| | |
|---|---|
| Homiliam : | Diaconus, |
| Lectionem octavam : | Fr. N. |
| Lectionem nonam : | Hebdomadarius. |

Tempore Paschali, scribatur pro Lectionibus prout supra 869.

| | |
|---|---|
| Responsoria : | Qui habent Lectiones, vel quibus Cantor commiserit, vel Fr. N. |
| Calendas : | Fr. N., vel unus Novitiorum |
| Lector mensæ : | Fr. N. |
| Servitores mensæ. | Fr. N. et Fr. N. |
| Missa pro Defunctis : | Feria tali. |

« Quando autem plures Missæ in Conventu fuerint » celebrandæ, Cantor provideat quis illas Missas ce» lebret, ad quas nec Prælatus nec Hebdomadarius » sunt notati. » (*Ord.*)

Post ista, scribi possunt alia, quæ interdum pro aliquibus officiis notari debent.

876. *Pro aliquo Festo solemni* Tabula scribi poterit modo sequenti :

IN FESTO N.

| | |
|---|---|
| Officium : | $R^{mus}$, vel Adm. R. P. Fr. N. (1) |

Diaconus, Subdiaconus, Acolythi, Thuriferarius, Cruciferarius notentur eodem modo et ordine ac supra in Tabula præcedenti.

| | |
|---|---|
| Responsoria Horarum : | Cantores, vel Fr. N. et Fr. N. |
| Invitatorium : | Qui facit Officium et Fr. N.<br>Fr. N. et Fr. N. |
| Lectionem primam : | Fr. N. |

et sic deinceps ;

| | |
|---|---|
| Lectionem nonam : | Qui facit Officium. |
| Responsorium primum : | Fr. N. et Fr. N. |

et sic deinceps usque ad nonum, quod sic scribatur :

| | |
|---|---|
| Responsorium nonum : | Qui Invitatorium, |

vel quatuor alii, sicut scriptori Tabulæ visum fuerit.

Si Festum inciderit in Dominicam, duæ Tabulæ, al-

(1) Exprimi poterunt tituli Fratrum pro more Provinciarum, ex. gr.: Adm. R. P. Magister Fr. N., Provinciæ N. Prior Provincialis ; vel hujus vener. Conventus N. Prior ; vel aliter.

tera pro hebdomada et altera pro solemnitate, unaquæque sub suo titulo, conficiantur.

877. Quando occurrit aliqua *functio propria*, Ministri specialiter notandi sunt, hoc modo :

In Festo Nativitatis D. N. J. C.

| | |
|---|---|
| Diaconus ad Genealogiam : | Fr. N. |
| Subdiaconus : | Fr. N. |

et cæteri ut supra, et similiter in Epiphania Domini.

Item Triduo ante Pascha notentur ut supra, cum hac differentia :

| | |
|---|---|
| Lamentationem j : | Qui facit Officium. |
| Lamentationem ij : | Adm. R. P. N. |

et sic deinceps. Lectiones sequentes et Responsoria notantur sicut in Dominicis diebus (*Cærem.*) ; deinde :

| | |
|---|---|
| *Kyrie* cum Versiculis : | Fr. N. et Fr. N. |
| *Domine miserere* : | Fr. N. et Fr. N. |

Ad ablutionem Altarium, post facientem Officium, Diaconum, Subdiaconum et Acolythos, notentur :

| | |
|---|---|
| Situlam cum aqua : | Fr. N. |
| Scopam et linteum : | Fr. N. |

Et similiter ad Mandatum peragendum notantur Prior cum duobus adjutoribus ; et ad ablutionem pedum ipsorum Supprior et duo adjutores, et alii si fuerint necessarii.

Ad Sermonem Dominicum Diaconus, Subdiaconus, Acolythi et Thuriferarius scribantur.

Feria VI. in Parasceve, præter Officiales ad Matutinum et ad Missam ut supra, ad Crucis adorationem signentur :

| | |
|---|---|
| Sacerdotes : | Fr. N. et Fr. N. |
| Diaconi : | Fr. N. et Fr. N. |

Item Sabbato sancto, præter Ministros ut supra, scribatur ad Benedictionem Cerei :

| | |
|---|---|
| Diaconus : | Fr. N. |

deinde :

| | |
|---|---|
| Prophetiam j : | Adm. R. P. Fr. N. |
| Prophetiam ij : | Fr. N. |

et sic deinceps usque ad quartam ; postea :

Litanias : Cantores.

Similiter ad Prophetias scribantur in Vigilia Pentecostes ; in Sabbatis vero Quatuor Temporum quatuor notentur successive ad Lectiones et duo ad Hymnum.

878. Quolibet Sabbato, et in Vigilia Festi solemnis, quando ante finem mensæ ab eo qui præest fit signum ad tollendum sal, Lector mensæ legat Tabulam cum tono Lectionis, quolibet Versu cum modulatione finali deposito. Sub uno autem Versu pronuntiantur ii qui ad Crucem et Aquam benedictam notati sunt; item Acolythi et ad Thuribulum. Poterit etiam legi in Choro post Gratiarum actiones. (*Ex Cærem. C.*)

879. Tabula, postquam lecta fuerit, collocetur a Cantore in loco ubi possunt qui ejus lectioni non interfuerunt videre officium ipsis injunctum. Qui vero non potest officium exsequi, ad quod est scriptus, notum faciat Cantori, qui alium in ejus locum substituat. Et si contingat, lecta Tabula, aliquid mutari, qui de novo scribitur, et qui deletur est admonendus ne aliqua confusio oriatur in Choro. (*Ibid.*)

880. Cantori etiam incumbit cura Fratrum absentium defectus per alios supplere ; qui in hoc promptos se debent exhibere. Item in Processionibus, in Receptionibus, in ministrandis Sacramentis infirmorum, in Sepulturis, provideat de Ministris opportunis, si non sint per Tabulam designati, deputando eos ad singula ; vel si sint in scriptis destinati, reducat illis ad memoriam quæ facere debent, ut ordinate ad omnia sine confusione procedatur. (*Ibid.*)

## §. III. De directione divini Officii.

881. *Quoad instructionem Fratrum.* Cantoris est Fratres circa omnia quæ pertinent ad sacras Functiones instruere et dirigere. Unde suggerere debet Priori ut

faciat legere, prout in Litteris Magistri Ordinis statutum est (V. n.° XIV), Rubricas quæ sunt magis scitu necessariæ : singulariter vero, tempore opportuno, quæ pertinent ad Sacrificium Missæ, et ad tres ultimos dies Hebdomadæ sanctæ. Fratres omnes, cum opus fuerit, et ad sacros Ordines recenter promotos Cæremonias et cantum edocere debet, maxime neopresbyteros, quibus insuper primis vicibus celebraturis de idoneo coadjutore providebit. (*Ex Cærem. G.*)

882. Quæ infra divinum Officium dicenda aut agenda erunt ipse prævideat; aliquot diebus ante majores aut extraordinarias Solemnitates Rubricas peculiares attente perlegat, quo difficultatibus valeat consulere. De quo Missa Conventualis fuerit celebranda, si opus sit, Sacerdoti intimare, Diaconumque, vel ipsum Sacerdotem, de Orationibus aliisve in Missa legendis admonere debebit. (*Ibid. et Miss.*)

883. *Quoad libros.* Apud Priorem procuret ut habeantur in Choro libri necessarii, et correcti in cantu, præsertim non laceri. Et si aliquando ex Apostolico statuto fit aliqua mutatio vel additio in Officio divino, curet quod statim libri tali statuto conformentur. Sacerdoti qui facit Officium de libro provideat pro Orationibus, vel aliis, quæ spectant ad ipsum, dicendis, vel cantandis, sive in Officio, sive in Processionibus. Processionaria, cum opus fuerit, in Choro distribuat quibus judicaverit expedire, si pro omnibus non habeantur. (*Ibid.*)

884. *Quoad loca.* Sedes Cantoris est in dextera parte chori, Succentoris vero in sinistra. « In Festis Duplicibus et supra, (cum cantatur Officium) in utrisque » Vesperis, Matutinis, Laudibus et Missa, Cantor » et Succentor in medio Chori stare debent, et Chorum » pariter regere. » (*Ord.*) ibidemque maneant cum aspergendi aut incensandi erunt his diebus. (*Ibid. et Coll.*)

In absentia unius, et cum opus fuerit, alter poterit in partem illius transire et vices ejus supplere.

885. Fratres de novo advenientes in Chorum Cantor in suis sedibus collocabit, prout in Constitutionibus habetur. Et si in Chorum venerint Clerici sæculares, vel Laici nobiles, aut alicujus dignitatis, Cantor illos ducet ad locum, gradui vel nobilitati illorum proportionatum. Homines viles, et maxime pueros, non permittat in Choro manere, et, si absque scandalo tunc possit, illos ejiciat. (*Cærem. G.*)

886. Fratres ex uno ad alterum Chorum transire faciet, ut æqualitas vocum in utroque Choro servetur; ita tamen quod ordinem suæ professionis teneant. Imo Fratres, præsertim novitios, ad pulpitum in medio Chori convocare poterit, si judicaverit expedire, quo melius Officium decantare valeant.

887. « Cum imminet aliqua Processio facienda, Can-
» tor provideat de his quæ legenda sunt et cantanda,
» et de Ministris ad quæcumque facienda sollicitandis,
» et instruendis, et assignandis illis qui non fuerint per
» Tabulam assignati. Et si visum fuerit expediens ante
» Processionem cauti reddantur Fratres et instruantur
» circa singula facienda. Cum incipit Processio Cantor
» curam habeat de combinandis decenter Fratribus:
» qui combinationem hujusmodi studeant observare. »
(*Process.*) Attendat pariter quod Fratres ordinate et cum debita distantia uniformiter incedant, instruatque præcedentes in quo loco subsistere debeant pro qualibet statione. (*Ibid. et Cærem.*)

888. *Quoad psalmodiam et cantum.* « In Choro,
» cui Cantores præ cæteris diu noctuque interesse
» debent (ne defectus aliquis in eorum absentia se-
» quatur) omnem diligentiam adhibeant ut Officium
» divinum, tam cantu quam verbis recitandum,
» devote dicatur, videlicet: non cum rigiditate, vel
» asperitate, sed dulcedine quadam et suavitate vo-

» cis; non nimis alte, nec nimis submisse, sed mediocriter; non festinanter, conculcando syllabas et confundendo dictiones; nec ita morose, protrahendo vocem, sive in medio, sive in fine Versus, vel cantus, ut fastidium generet et devotionem auferat audientibus; sed breviter et succincte, cum debitis pausis, et simplici syllabarum et dictionum proportionata distinctione. (*Cærem. C.*) Provideat etiam quod Fratres simul psallant et cantent, simul incipiant, et pausent, et terminent; quod unus ante alios non incipiat, vel præcurrat; aut, post alios psallendo vel cantando, nimis protrahat. Debet etiam providere quod omnia fiant et cantentur secundum quod in libris Officii est notatum. » (*Ordin.*) (V. n.° 908. et seq.)

889. Pariter ut omnia ad Altare rite adimpleantur se exhibeat maxime sollicitum. Circa Sacerdotem infra sacras functiones frequenter permaneat, ipsumque etiam ad Altare stantem, si opus sit, adeat; cæterosque Ministros cum eo reverenter admoneat et modeste dirigat, in his quæ agenda sunt. (*Ex Cærem.*)

890. *Quoad correctionem.* « Quod si aliquis, sive in dextero sive in sinistro Choro, festinanter vel morose cantando perturbat Conventum, vel aliquem alium defectum in sedendo, stando, inclinando, vel genuflectendo commiserit, Cantoris erit illum corrigere, modeste tamen et sine strepitu, ne ille perturbetur et adstantes offendantur. Correctus autem debet ei obedire, etiamsi Cantor erraret, dummodo non sit intolerabilis error; qui Cantor postea in Capitulo proclamabitur de errore comisso et corrigetur. Absente Cantore, Succentor corrigat; eo autem præsente, poterit in suo Choro solummodo; correctusque pariter debet ei acquiescere. » (*Ibid.*)

### §. IV. De Intonationibus a Cantoribus faciendis.

891. Ad Cantorum officium, utriusque videlicet « in suo Choro, pertinet incipere quæcumque cantanda » vel psallenda sunt a Conventu, exceptis his quæ ab » uno, vel a duobus, vel a quatuor tantum inchoan- » da seu cantanda signantur. » (*Ord.*) Hoc autem fiat prout sequitur :

« In *Festis Duplicibus* et Totis Duplicibus, in utris- » que Vesperis, Matutinis et Laudibus, Hymnos, » Cantica *Benedictus* et *Magnificat*, atque Hymnum *Te* » *Deum* ambo Cantores simul incipiant in medio » Chori. » « Item Antiphonam *Salve Regina* post Com- » pletorium Cantores, vel illi quibus committitur, si- » mul inchoent. Omnes vero Psalmos et Canticum » *Benedicite* (vel aliud) singulariter unusquisque Can- » tor in suo Choro incipiat. »

« Poterunt vero post Psalmum, vel Canticum, An- » tiphonam reincipere cum sibi videbitur expedire, » secundum quod viderint Conventum melius posse » prosequi et cantare. » (*Ord. pass.*)

892. Prædictis diebus, in Missa, ambo Cantores in medio Chori simul incipiant Antiphonam ad aspersionem Aquæ benedictæ, et ejus Versus ; et similiter Introitum et ejus Versus ; *Kyrie*, prosecutionem Hymni *Gloria in excelsis*, Offertorium, *Sanctus*, *Agnus Dei*, et Communionem. Ambo cantant alternatim cum toto Choro Sequentiam et Symbolum Fidei. (*Cærem. C. et alibi.*)

893. *Cæteris vero diebus*, sicut et qualibet die etiam solemnissima ad Horas minores, supradicta omnia, tam in Officio quam in Missa, necnon in Capitulo et in mensa solus inchoet de loco suo Cantor hebdomadæ, præter Psalmos et eorum Antiphonas, quæ in altero Choro incipiuntur, et a Cantore illius Chori inchoari debent, et Sequentiam, de qua n.° 700. (*Ex Ord. et Cærem.*)

894. In *Processionibus*, in quibus est notatum, Cantor hebdomadæ, Antiphonas et Responsoria solus incipit, necnon eorum Versus, toto Choro prosequente; in aliis vero Cantores omnia simul incipiunt, præter Versus Responsoriorum, et Antiphonam vel Responsorium ad ingressum Ecclesiæ, de quibus infra, n.° 902. (*Process.*)

895. *Modus inchoandi* talis est : Inchoatio Psalmorum, Canticorum, et Versuum Introitus Missæ et similium, fit usque ad medium Versus. Inchoatio Hymnorum primum metrum tantum, vel si Officium non cantetur etiam secundum comprehendit. « De » principio autem Antiphonæ (aut Responsorii, aut » similium) inchoari tantum debet usque ad duas » primas virgulas simul junctas. Post incœptionem » Antiphonæ *Benedictus* (in Vesp. Sabbati) Cantor » ipsum Psalmum prosequatur hoc modo : *Dominus* » *Deus meus* : et sic semper fiat ubicumque Antiphona » et suus Psalmus unum habent initium in plena di» ctione dyssillaba et supra. » (*Ord.*)

896. Quando duo Cantores vel plures Fratres simul aliquid inchoant, illud faciant stando detectoque capite, in medio Chori versis vultibus ad Altare, vel si fuerit in medio Processionis versis vultibus ad Crucem. Et similiter quoties unus solus aliquid incipit vel cantat in medio Chori. Qui vero Antiphonam vel Psalmum solus inchoat stare debet in sua sede verso vultu ad Chorum, nisi aliter notetur. « Quando vero » alter Cantorum aliquid debuerit incipere dum Con» ventus sedet, propter hoc eum surgere non oportet. » « Post inchoationem statim debet qui incipit, (vel qui » incipiunt, sive Cantores sive alii) aliquantulum in» clinare, » (*Ord.*) (Vid. n.° 750. 751.) non omissa debita inclinatione ad Altare si inchoatio fiat in medio.

## §. V. De Antiphonis, Responsoriis, etc. committendis a Cantoribus.

897. *In Officio. In Festis Duplicibus* et supra, (si cantetur Officium) Cantor committit Antiphonam præintonandam super primum Psalmum, vel unicam super omnes Psalmos, ei qui facit Officium, vel Hebdomadarie, si nullus scriptus sit ad Officium, in utrisque Vesperis, Matutinis et Laudibus. (*Ex Collect.*) Quod si quilibet Psalmus habeat Antiphonam propriam, Succentor committit secundam ei qui in Choro sinistro, juxta professionem vel gradum, proximius succedit illi qui inchoavit primam; et sic alternatim reliquæ eodem ordine committuntur proxime inferioribus successive, ita ut semper inchoatio Antiphonæ fiat in illa parte ubi inchoandus est Psalmus. (*Cærem. et Ord.*)

898. Antiphonæ ad *Benedictus*, et ad *Magnificat*, et ad *Nunc dimittis*, semper quovis die committendæ sunt incipiendæ Hebdomadario, vel illi qui facit Officium. In Vesperis autem et Laudibus Festi Duplicis et supra, idem qui prius inchoavit Antiphonam ad *Magnificat*, vel *Benedictus*, illam iterum inchoat post Canticum. (*Collect.*)

899. « *Cæteris diebus*, non Duplicibus et supra, primam
» Antiphonam super Psalmos in Vesperis Matutinis et
» Laudibus incipere debet Frater qui scriptus est ad
» Responsoria Horarum. Iste debet etiam omni tempore
» incipere Antiphonam ad Primam, Tertiam, Sextam,
» Nonam et Completorium. Cæteras autem Antiphonas,
» tam in Vesperis quam in Matutinis et Laudibus si
» plures fuerint, Cantor in suo Choro, et Succentor in
» suo injungat, » eodem ordine ac supra. (*Ord.*) (1)

---

(1) Ad injungendam Antiphonam ante Psalmum, Cantor tempore opportuno, accedat reverenter ad eum cui defertur, ipsique initium Antiphonæ cum suo cantu pronuntiet, tali voce ut ab ipso possit audiri : quo facto, redit ad locum suum Psalmum ipse incœpturus.

900. Responsorium, in Vesperis de Sabbato, si fuerit cantandum, Cantor committit uni, v. g. Hebdomadario ; in Vesperis de Festo Duplici, illud committit duobus, videlicet Hebdomadario et Fratri qui illi immediate succedit in ordine; si autem fuerit Festum solemne, Responsorium Vesperarum committetur eis qui scripti sunt ad Invitatorium, et Responsoria in Matutinis committuntur Fratribus in Tabula designatis. Responsorium *In pace* infra Quadragesimam committi solet Fratribus successive incipiendo a majoribus. (*Ex Cærem. C.*) (1)

Præterea Cantor deferat Hebdomadario, vel ei qui facit Officium, Versiculum ante Laudes. (*Ibid.*)

901. *In Missa.* Responsorium, vel primum *Alleluia*, quando a duobus cantandum est, ab ipsis Cantoribus cantatur, vel aliis duobus committitur. *Alleluia* autem post Responsorium, vel secundum *Alleluia* Tempore Paschali, semper committendum est duobus quos Cantor elegerit, vel etiam, in Festis solemnibus quatuor ex antiquioribus Fratribus. Tractus similiter, et cætera quæ ab uno vel pluribus cantanda sunt, injungi posssunt quibus Cantor voluerit. (*Ex Cærem. C.*)

902. *In Processionibus.* Versus Responsoriorum ab ipsis Cantoribus, vel a quibus injunctum fuerit, cantantur. Antiphona autem vel Responsorium ad Introitum Ecclesiæ deferatur a Cantore ei qui facit Officium, vel si minus idoneus fuerit ab ipso Cantore incipiatur. Item Cantor deferat Acolythis Versiculum ante Orationem dicendum. (*Ex Process.*)

903. Ad Processionem post Completorium Cantores

(1) Generaliter Cantor admonere solet per capitis inclinationem illos omnes quibus aliquid committitur cantandum in medio Chori, puta Responsoria, Lectiones, etc.

injungere possunt uni, vel duobus pro tempore, inchoationem Antiphonæ *Salve Regina*, præsertim in Solemnitatibus, in quibus talis inchoatio committi solet ei qui facit Officium, et alteri qui secundum professionem aut gradum ipsi immediate succedit. Antiphona vero post *Salve* cantari solita, a Ceroferariis regulariter inchoatur, prosequente Cantore. (*Cærem. C.*) (1)

904. Quando Prælatus facit Officium, ipsi Cantores Versiculos et Responsoria Horarum dicere solent; nec tamen Antiphonas inchoare et cætera, quæ Versiculariis competunt, dicere aut facere debent. (*Ex Cærem. C.*)

905. Insuper, Dominicis diebus, et Festis Duplicibus et Totis Duplicibus, exceptis solemnioribus n.° 1039, Cantor accipit Pacem ab Acolytho, et postquam eam acceperit, eo ordine quo supra, n.° 683, eam Fratribus dabit, terminato *Agnus Dei*. (*Miss.*)

Item Cantoris est offerre Candelam Priori in die Purificationis et Ramum in die Palmarum. (*Ibid.*) (2)

906. In multis Provinciis, qualibet hebdomada, solent adnotari in Tabula duo Fratres, qui et *Succentores* vocantur. Hi obtinent locum Cantorum diebus ferialibus et minoribus Festis infra hebdomadam quoad intonationem Antiphonarum et Psalmorum in Horis Canonicis, tam diurnis quam nocturnis. In Missa vero cessat eorum munus, quia id pertinet ad Cantores. In hoc servandus est mos Provinciarum. (*Cærem. C.*)

---

(1) Quotiescumque vero Responsorium, vel Antiphona, ab aliquo vel aliquibus inchoantur, Cantor primam vocem post inchoationem solus prosequatur firmando vel etiam mutando tonum, si opus fuerit.

(2) In pluribus Conventibus solet etiam Cantor legere coram Conventu acta publica Prælatorum, nempe assignationes, confirmationes, etc.

# ARTICULUS II.

## DE SACRISTA, VERSICULARIO, LECTORE LECTIONUM, ET SERVITORE MISSÆ.

### §. I. De officio Sacristæ. (1)

907. Officium Sacristæ in nostris Ecclesiis pernecessarium est. In Sacristam instituatur a Priore qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censeri possit, et potius qui in Sacerdotali ordine sit constitutus, et cui præsto esse debebit coadjutor et socius, de mandato Prioris, vel plures pro Ecclesiæ necessitate.

908. Ejus præcipua cura erit ut paramenta sacra, vasa, libri, cerei, ornamenta, instrumentaque pro usu Ecclesiæ et Altarium, ac reliqua præterea supellex ecclesiastica habeantur, sana, integra, et munda conserventur, eaque cum attrita aut lacera erunt renovari, aptarique procuret. Imprimis diligentissime curabit ut ea quæ ad sacrosanctæ Eucharistiæ cultum et honorem spectant nitide conserventur; locusque, seu Tabernaculum, ubi custoditur diligentissime et fidis clavibus obseretur; lampas vel lampades circa illum perpetuo ardeant; illaque semel in hebdomada mutetur et renovetur, ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur.

909. Pariter circa Olei Sancti asservationem et renovationem diligentissimam curam habebit. Idem et de sacris Sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter et honorifice asserventur; et ut tota Ecclesia,

(1) Totus hic paragraphus depromptus est ex Cærem. Ep. et ex Ven. Humberto, et legibus nostris adaptatus.

præcipue Chorus et Presbyterium, necnon singula Sacella et Altaria semper munda et nitida sint, nec per incuriam absordescant; ostiumque Ecclesiæ claudatur et aperiatur tempore suo secundum ordinem Prælati.

910. *Circa rerum præparationem.* Curabit etiam pro tempore, dierum Festorumque qualitate, ut Altaria ornentur, prout n.° 511 et seq. dictum est; et cum Missæ et cætera divina Officia celebranda erunt, ipse peculiarem curam geret, ut sacræ vestes, resque omnes necessariæ opportune præparentur, nec earum aliquæ deesse contingat, maxime diebus et circumstantiis in quibus propriæ Cæremoniæ fiunt. Et si Episcopus celebrare, aut aliquam sacram functionem exercere debuerit, provideat Sacrista, cum consilio Magistri Cæremoniarum, quod omnia juxta Cæremoniale Episcoporum requisita habeantur in promptu, nec sit defectus in aliquo.

911. *Circa pulsationes.* Ad eum pertinet omnis pulsatio quæ fit in Ecclesia, nisi quando fiunt causa Capituli. Debet autem esse vaide sollicitus circa pulsationes tempore suo et modo debito faciendas, ne earum inordinatione contingat Conventum turbari vel impediri. De candelis accendendis in Altari, ante divina Officia diligenter provideat, quas, cum alii Ministri ad hoc non fuerint deputati, tempore opportuno accendere et extinguere debebit. Item, de igne ad thuribulum debito tempore providebit.

912. *Circa res benedicendas.* Aqua benedicta singulis hebdomadibus renovetur : quam super gradus Altaris collocabit diebus Dominicis ante Missam, et quotidie post Completorium ad aspersionem præparabit, curabitque ut in vasis decentibus ad januas Ecclesiæ semper servetur. Ad ipsum etiam spectabit benedicere Rosaria, Candelas, Rosas, Cingula S. Thomæ, Fidelesque adscribere ad Confraternitates Ordinis : ad hoc

enim illi conceduntur facultates necessariæ pro sui muneris tempore.

913. *Circa administrationem.* Ad Sacristam pertinet oblationes Fidelium, et eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dantur, recipere, custodire et adnotare in libris Sacristiæ; et Missas, tam manuales quam in Tabulis Sacristiæ descriptas, statutis diebus facere celebrari, ut omni exacta diligentia benefactorum intentioni satisfiat Expensas pro cultu divino necessarias, habita prius Prioris licentia, faciat, et tam de his quam de celebratione Missarum singulis mensibus rationem reddat. Inventarium rerum omnium spectantium ad Ecclesiam et sacrarium apud se custodiat, et successori tradat; librumque peculiarem habeat in quo nomina, cognomina, annum et diem omnium, tam Fratrum quam sæcularium, in Ecclesiis nostris sepultorum adnotare debet diligenter.

914. Postremo, quia in magnis Conventibus difficile est omnia supradicta ab uno executioni mandari, cum socio, qui ei datus fuerit, poterunt onera sic dividi, ut, utroque sciente quid ad se pertineat, nec confidente de alio, in his quæ ad se pertinent, fiant ordinatim universa.

### §. II. De officio Versiculariorum.

915. *Versicularii* dicuntur illi qui a Cantore notantur ad Responsoria Horarum et Versiculos.

*Ante Officium.* Alter eorum debet accendere cereos super Altare ad Vesperas, Completorium et Matutinas, (V. n. 514 et seq.) et post Officium extinguere, si tamen Altare non multum distet a Choro; nam tunc, si talis sit consuetudo, Sacrista minor eos accendere debebit. (*Cærem. C.*)

916. *Infra Officium.* Ipsorum est, nisi alii designentur, Invitatorium cantare, sive a duobus, sive ab uno

dicendum sit, etiam in Officio quotidiano B. M. V., prout jam superius n.° 648 et seq. dictum est. Tunc, cum opus fuerit, alter eorum præparet pulpitum cum libro, ante majus pulpitum Chori, vel inter istud pulpitum et Altare.

Attendant autem quod non repetantur in principio vel in fine Versuum Psalmi verba quæ dicta fuerunt, vel dicenda erunt in Invitatorio, et quod simul inclinationes debitas faciant. (V. n.° 648.)

917. Versicularius hebdomadæ debet inchoare Antiphonam super primum Psalmum in Matutinis, Laudibus et Vesperis, si non fiat de Festo Duplici et supra, semper vero ad alias Horas. Quomodo id fieri debeat. vid. n.° 895. et seq. (*Ord.*)

Item ipsorum est dicere Versiculum ante *Pater noster* in Nocturnis, et post Hymnum in Laudibus, Vesperis et Completorio, et post Antiphonas Memoriarum : quod faciant etiamsi non cantetur Officium, ambo versi ad Altare cum debitis reverentiis (V. n.° 751. 757.) in medio Chori, inter pulpitum majus et Altare, (ubi stare poterunt si plures Memoriæ successive dicantur) in Duplicibus et supra, nisi fiat Officium a Prælato. Cæteris diebus Versicularius Hebdomadæ solus dicit Versiculos, stans in sede sua versus ad Altare. Similiter dicant *Benedicamus Domino* in fine Laudum et Vesperarum, nisi Officium fiat in verbis ; tunc enim *Benedicamus* dicitur ab Hebdomadario. (Vid. n.° 663. et seq.) (*Collect. Ord. Cærem.*)

918. Responsoria Horarum cum Versiculo sequenti dicuntur a Versiculariis eodem modo ac n.° præced. de Versiculis dictum est. In Dominicis infra Septuagesimam, et quotidie infra Quadragesimam, quando fit de tempore, qui est in Choro hebdomadæ (nisi alius designetur) inchoat Responsoria ad Tertiam, Sextam et Nonam, deinde dicit Versum, et post resumptionem, *Gloria Patri*, si dicendum fuerit. (V. n.° 661.) (*Ibid.*)

919. Ad Completorium Versicularius hebdomadæ, etiam quando Prælatus facit Officium, signo facto incipit : *Jube Domne*, etc., et dicit Lectionem : *Fratres sobrii estote*, etc., verso vultu ad Chorum. (*Collect.*)

Item in prandio et in cœna, finita pulsatione nolæ, idem Versicularius in medio Refectorii dicat : *Benedicite*. (*Ord. et Const.*)

Alter eorum communiter deputari solet ad recitandas Antiphonas et Responsoria, de quibus n. 662.

920. *In Officio quotidiano B. M. V.* idem solet Lectiones legere in Matutinis, et tam Versiculum ante easdem quam Versus Responsoriorum post eas recitare; in Horis ejusdem Officii Responsoria et Versiculos dicere debet eodem modo ac supra in Officio diei.

Similiter in Officio Defunctorum Versiculum ante *Pater noster* in Nocturnis dicat.

921. *Ad Processionem ad Salve Regina*, post Completorium, Versicularii non dicant Versiculos, sed semper illi qui deferunt candelabra; et sic regulariter in cæteris Processionibus. Unus tamen eorum deferre debet Aquam benedictam post Hebdomadarium in aspersione Fratrum et sæcularium post Completorium. (*Collect.*)

### §. III. De Officio eorum qui notantur ad Lectiones in Officio divino.

922. *Ante Lectionem*. Qui ad Lectiones infra divinum Officium legendas deputantur debent opportuno tempore eas prævidere, ut quæ fuerint legenda sciant et modum legendi. (1) (*Ex Cærem. et Const.*)

(1) In pluribus locis, qui ad primam Lectionem notatur solet deputari ad librum super legile (quod ante majus pulpitum ordinarie collocatur) reponendum, Lectiones quærendas, stipulam, tam pro seipso quam pro cæteris, accendendam, atque completis Lectionibus, librum cum legili in proprio loco reportandum.

Opportuno tempore qui lecturus est Lectionem ad locum ubi legendum est accedat, facta debita reverentia ad Altare. Completo *Pater noster*, vel Responsorio, dicat : *Jube Domne benedicere*, soletque aliquantulum caput inclinare versus eum qui daturus est Benedictionem ; dum autem datur Benedictio inclinet versus Altare usque ad genua.

« Attendat quicumque legit primam Lectionem » vel quartam, vel septimam quod, data Benedi» ctione, vel dicto *Et reliqua* quando legitur Homilia, » non prosequatur Lectionem quousque strepitus se » dium conquiescat. » (*Ord.*)

923. *Quoad modum legendi*. Non nimis submissa, nec clamosa, sed distincta voce legant ; nec nimis cursim, sed morose valde et sonore, et pausas servent competentes, cum debitis vocis inflexionibus, nisi plane recitent. Correctionem, si qua occurrerit, attendant, humiliter suscipiant et exsequantur, dummodo non sit manifestus error. (*Ex Cærem. et V. Hum.*)

924. *Post Lectionem*. Terminata Lectione per *Tu autem*, vel *Hæc dicit*, vel sine clausula pro variis circumstantiis (Vid. n.° 269.), vel expletis Responsoriis aut aliis Lectionibus si ad hoc deputetur, Lector faciat inter pulpitum et gradus Præsbyterii aut Altare inclinationem profundam, vel prostrationem pro tempore, nisi in Officio hebdomadali Defunctorum. (V. n.° 766. 784.)

925. *Ille qui scriptus est ad Calendas*, si tenendum sit Capitulum, sive post Laudes, sive post Primam, tempore opportuno, pulset Campanulam Capituli ; si autem non sit tenendum, reponat librum apertum Martyrologii super pulpitum in quo legentur Lectiones, (*Cærem. C.*) et quando dicitur *Per Dominum* in fine ultimæ Orationis discedat a loco suo, et dicto *Deo Gratias*, incipiat Lectionem Martyrologii. (*Martyr.*) (1)

(1) *Cærem. C.* sic habet : « Qui scriptus est ad Calendas dum dici-

926. Sedentibus Fratribus, Lector primo pronuntiet Calendas, (excepto die Paschæ) Lunam, et cætera quæ pertinent ad Lectionem Martyrologii. (V. n.° 292. et seq.) Advertat autem quando Festum aliquod mobile inserendum erit in principio Lectionis, et quæ mutanda, aut addenda erunt certis diebus, vel pro diversitate locorum. Quo lecto, stet coram pulpito, et ibi inclinet ad *Gloria Patri*, etc., prout cæteri Fratres. Dicta Oratione *Dirigere*, petat Benedictionem ab Hebdomadario, et legat de Evangelio, vel de Constitutionibus pro tempore. (V. n.° 296. et seq.) Si hac die evenerit obitus vel Anniversarium (quod intelligitur per ✠ appositam in fine Martyrologii), tunc illud pronuntiet; sin minus dicat : *Commemoratio*, etc. : quo facto, revertatur in locum suum, auferens pulpitum et librum Martyrologii.

927. *Qui notatur ad legendam Prophetiam* in Missa, indutus Superpelliceo, veniat ad pulpitum præparatum ante gradus Præsbyterii, ubi legi solet Epistola Ferialibus diebus, et tempore debito legat Prophetiam cum tono Lectionis; qua terminata absque *Tu autem*, vel alia clausula, ad locum suum revertatur, non omissa ante et post Lectionem inclinatione debita ad Altare. Idem faciat qui legit Epistolam quando non adsunt Ministri majores; quæ tamen, pro consuetudine, poterit in Choro legi ab aliquo Fratre absque Superpelliceo.

» tur ultimus Ps. Laudum, vel, si *Pretiosa* dicendum sit post Pri- » mam, ad Ps. *Retribue*, vadat ad Prælatum si in Choro adest, sin » minus ad eum cujus est præsidere Capitulum pronuntiando solum » hanc vocem : *Capitulum*, et si respondeat affirmative pulset Cam- » panulam pro Capitulo, si vero negative, reponat, etc., ut supra. » Caveat autem petere a Prælato an velit tenere Capitulum dum ipse » cum suo Choro recitat Versum Psalmi ; sed ita opportune hoc intel- » ligat ab eo, ut a recitatione Versus dicti Psalmi non impediatur, » expectando propter hoc quantum opus fuerit. »

## §. IV. De Lectore Mensæ.

928. Qui notatus est ad legendum in mensa, sive in prandio sive in cœna, opportuno tempore præparet quæ legenda erunt, ut supra dictum est n.° 922. Postquam Benedictio pronuntiata fuerit super mensas, veniens in medio Refectorii, capite discooperto, petat Benedictionem, ad quam inclinet in eodem loco. Postea veniat ad locum ubi legendum est, et stans, detecto pariter capite, Fratribus pacifice residentibus, incipiat, sub tono Lectionis, titulum libri; et lectis duobus Versibus, factoque signo, sedeat et cooperiat caput. (*Ex Ord. et Cærem. C.*)

Ad collationem, facto signo, similiter incipiat legere, quousque ille qui præest alterum fecerit signum; quo audito, in suo loco stans detecto capite, dicit: *Benedicite;* et data Benedictione ab Hebdomadario, resideat, et pergat legere. (*Ex Collect. Ord. Const.*)

929. Quando autem legit de sacra Scriptura, quod fit regulariter in principio mensæ, titulum dicat hoc modo; si librum incipiat: *Incipit liber* N; si Capitulum: *Libri* N *Capitulum*, *vel Caput* N; si infra Capitulum: *Libri* N. *Capitulo* N.; et quando finitur liber dicat: *Explicit liber* N. (*Ex V. Humb.*)

930. Lectiones de *Constitutionibus* diebus non solemnibus, de Actis vero Capitulorum, et Decretis Apostolicis, statutis diebus, in principali mensa debet inserere. Cum autem de Constitutionibus legit, præmittat titulum prout supra n.° 297. dictum est.

*Regulam* autem debet legere quolibet Sabbato, vel alia die, secundum consuetudinem Conventuum; si autem contingat extraneos in Refectorio interesse, debet omittere Lectionem de Constitutionibus, et Lectionem Regulæ ad aliam diem remittere. (*Cærem. C. et alibi.*)

931. *In fine mensæ.* Ad signum quod fit ad auferen-

dum sal, in prandio et in cœna, surgat Lector, et, discooperto capite, legat in tono Lectionis, quousque facto signo cum nola a Prælato, Lectionem terminet per clausulam : *Tu autem Domine* etc. Idem faciat ad signa quæ fiunt in fine collationis. (*Ibid.*)

Singulis diebus Sabbati et pridie Solemnitatum, post signum salis, legat Tabulam Officiorum pro hebdomada, vel Festo.

### §. V. De Servitoribus Missarum privatarum.

932. *Regulæ generales.* « In Missis privatis, Frater » ministrans deferat Cappam saltem diebus Dominicis » et Festivis ; semperque habeat mundas manus », eaque observet quæ sibi competunt in his quæ jam supra n.° 808. et seq. dicta sunt. (*Miss.*)

933. *Ante Missam.* De omnibus ad Sacrificium necessariis provideat, nisi jam fuerit provisum. Ampullas vini et aquæ præparare, easque tunc ad parvam mensam aut fenestellam in cornu Epistolæ cum manutergio deferre poterit. « Attendat quod vinum sit bene sanum » et mundum, similiter quod aqua sit recens et munda. » Mappas Altaris (coopertorium auferendo) explicit » mature, et diligenter alia circa Altare disponat et » ordinet. » « Provideat ne cum vestibus suis vestes sa- » cras, vel alia sacra, circa Altare irreverenter tangat. »

934. « Deferat Sacerdoti Missale ad hoc ut Missam » præparare possit antequam pergat ad Altare. Diligen- » ter attendat quod vestes Sacerdotis, dum induit se, » decenter componantur : Albam nimis longam elevet » super Cingulum circumcirca, ut honeste pendeat et » tegat vestes, ac ejus fimbrias diligenter aptet, ut ad » latitudinem digiti vel circiter prope terram æqualiter » fluat ; (*Miss. Quomod.*) et dum porrigit Amictum, » Manipulum, Stolam, aut quid aliud, semper capite » discooperto reverenter manus ejus deosculetur. » (*Ibid. De Serv.*)

935. « Pergens ad Altare, (V. n.° 819.) portando » Missale ante pectus cum religiosa modestia incedat. » (*Ibid.*) Si commode poterit, Aquam benedictam Sacerdoti reverenter porrigit : et, si fuerit usus, pulset Campanulam ad ingressum Ecclesiæ, (V. ad-not. ad n.° 613.) Sacerdotem præcedens, cum eo uniformiter inclinet, vel genuflectat, et similiter in regressu. (V. n.° 819. 841. 847. et seq.)

936. « Cum ad Altare pervenerit, reverenter (1) in- » clinet, vel genuflectat cum Sacerdote ; deinde Mis- » sale reponat super pulvinari in cornu Epistolæ ; » candelas accendat ; vinum et aquam reverenter mi- » ministret, et caveat sollicite ne unum pro alio mi- » nistret. Aquam porrigens dicat : *Benedicite* (præter- » quam in Missis Defunctorum), et post Benedictionem » respondeat : *Amen*. Si non est in majoribus Ordinibus » constitutus non tangat Calicem manu nuda, nec » propria manu Hostiam, aut vinum et aquam mini- » stret, sed omnia Sacerdoti exhibeat accipienda. » (2)

937. *In principio Missæ*, « recipiat se ad sinistram » Sacerdotis, (V. n.° 822.) et genua flectens, » (super infimum gradum, si plures sint, alioquin infra gradum, (*Cærem. C.*) « ipsi devote respondeat, » hoc modo :

Ad *Confitemini Domino*, etc. : *Quoniam in sæculum misericordia ejus.*

Ad *Confiteor* etc. : *Misereatur tui*, etc.

Deinde dicat ipse *Confiteor* ; et ad *Misereatur*, et *Absolutionem*, etc., respondeat : *Amen.*

Ad *Adjutorium*, etc. : *Qui fecit cœlum et terram.*

Postea *Kyrie* cum Sacerdote alternatim dicat ;

---

(1) Sacerdote inclinante tunc profunde, et Ministro inclinante cum illo uterque eodem modo inclinare debent.

(2) In alio loco Missalis dicitur absolute : « Sacerdos ampullam vini de *manu* Ministri accipiens. » Hinc quicumque Servitor potest, juxta praxim generalem, ampullas propria manu exhibere Sacerdoti.

Ad *Dominus vobiscum* respondeat : *Et cum spiritu tuo.*

Ad *Flectamus genua*, in Quadragesima : *Levate.*

Ad Orationes : *Amen.*

938. « Animadvertat quod quando liber est in cornu » Epistolæ debet ipse semper esse in cornu Evangelii, » et e contra ; semperque genua flectens, nisi cum » legitur Evangelium ; vel cum ministraturus est Sa- » cerdoti vinum aut aquam, cereum accensurus ad » elevationem, seu librum transportaturus. Transiens » ab una ad alteram partem, in medio Altaris sem- » per reverenter inclinet ; (V. n.° 822. et 800.) vel » genua flectat si SS. Sacramentum sit expositum. » (*Ibid.*) (V. n.° 850.)

939. *Ad Evangelium.* « Dicta Epistola, et *Alleluia* cum » Versu ; post ipsum, vel Tractum, aut Sequentiam » surgens, librum (cum pulvinari) accipiet, et ad cornu » Evangelii portabit. » (*Ibid.*) Sacerdoti respondeat :

Ad *Dominus vobiscum*, ut supra ;

Ad *Sequentia* etc. : *Gloria tibi Domine.*

Interim signet se signis Crucis simul cum Sacerdote; veniensque ad cornu Epistolæ, ibidem se sistat, versa facie ad Evangelium ; in cujus fine se signet, et si Sacerdos genuflectit, ipse pariter genuflectat. (*Miss. et Cærem.*)

940. *Ad lotionem manuum.* « Dum Sacerdos dicit » Offertorium, ad cornu Epistolæ accedat, mappulam » (seu manutergium) explicet et extendat aquam præ- » paret, ut venienti Sacerdoti pro digitis abluendis » omni cum reverentia ministret, » (*Ibid.*) ampullam tenens aliquantulum elevatam. (*Cærem.*) In Præfatione respondeat hoc modo :

Ad *Per omnia*, etc., *Amen ;* ad *Dominus vobiscum*, ut supra,

Ad *Sursum corda* : *Habemus ad Dominum.*

Ad *Gratias agamus*, etc. : *Dignum et justum est.*

941. « *Ad Sanctus*, aliquot ictibus Campanulæ ad- » stantes moneat, deinde surgat, et cereum accendat

» (V. n.° 615.) In elevatione SS. Corporis et Sanguinis » D.N.J.C., Campanulam, flexis genibus, retro Sacer- » dotem modeste pulset, et elevare Casulam non omit- » tat. » (*Ibid.*) Deposito a Sacerdote Calice jam elèvato, retrocedat ubi prius a latere Epistolæ, et respondeat :

Ad *Per omnia*, etc. : *Amen.*

Ad *Et ne nos*, etc. : *Sed libera nos a malo*.

Ad *Pax Domini*, etc. : *Et cum spiritu tuo.*

Quo dicto, Patenam, vel Imaginem pacis, ubi consuevit hoc fieri, præbeat Sacerdoti osculandam, et postquam Sacerdos eam osculans dixerit : *Pax tibi*, etc., ipse eamdem osculetur. (*Ex Miss. Mod. rit.*)

942. *Ad Communionem.* Si sit sumenda SS Eucharistia, postquam Celebrans illam sumpserit, Minister extendat mappulam ante communicandos, et genuflexus a latere Epistolæ dicat : *Confiteor*, etc., et respondeat ut supra ad *Misereatur*, etc. (1) Si ipse sit communicandus, accipiat mappulam ad hoc præparatam (non autem manutergium aut velum Calicis), et dictis quæ supra, communicet. (*Ex Cærem.*)

943. *Ad Ablutiones.* « Postquam Sacerdos communica- » vit, Minister presto surgat; vinum in prima ablutio- » ne, in secunda autem vinum et aquam pro ablutione » ministret; librum a cornu Evangelii ad cornu Episto- » læ asportet ; cereum qui fuit in elevatione accensus » extinguat; et a cornu Evangelii genua flectat. »

Ad ultimas Orationes respondeat ut supra.

*Ad Ite Missa est*, vel *Benedicamus*, etc., dicat : *Deo gratias*, addito bis *Alleluia* infra Octavam Paschæ.

---

(1) « An in Missa privata, dum Celebrans administràt sacram Communionem, Minister debeat eum comitari cum cereo accenso, sicut aliqui putant, cum Rubrica taceat de hoc ritu ; vel cum mappam non sustineat, tunc debeat manere genuflexus in latere Epistolæ ? » — R. « Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. » (*S. R. C. 12 Aug. 1854.*)

Ad *Requiescant in pace*, in Missis Defunctorum, respondeat: *Amen*.

Ad Benedictionem in fine Missæ similiter respondeat.

944. « Data Benedictione, surgat, » librum ad cornu Evangelii deferat si legendum sit Evangelium proprium; alioquin illum « accipiat, et candelas » extinguat tempore opportuno, ita ut, expleto Evan» gelio, quod post Missam dici solet, paratus sit ut » Sacerdotem præeundo ad Sacristiam reducat. » (*Ibid.*)

Ad ultimum autem Evangelium respondeat ut ad primum, et in fine dicat: *Deo gratias*.

945. « *In Sacristiam reversus*, depositis Missali et » cereo (1) prostratus ad pedes Sacerdotis veniam pe» tat, si in aliquo circa servitium deliquit; postea Sa» cerdotem adjuvet ad deponendas sacras vestes, et » quando ab ipso Stolam, Manipulum, Cingulum vel » quid aliud accipiet, tunc ejus, (ut dictum est), » deosculetur manus; quibus peractis, dicat Sacerdoti: » *Benedictus Deus*; quo subjungente: *Pater, et Filius*, » *Spiritus sanctus*; Minister respondeat: *Amen*: et » deinde recedat, accepta benedictione. » (*Ibid.*)

## ARTICULUS III.

## DE OFFICIO EORUM QUI NOTATI SUNT AD CRUCEM AD AQUAM BENEDICTAM ET AD THURIBULUM.

### §. I. De Officio Cruciferarii.

946. *Regulæ generales*. Cruciferarius numquam inclinat vel genuflectit dum defert Crucem. Cum incedit, vertit Imaginem Crucifixi versus locum ad quem

(1) Missale 1603. habet: « cereis. » In pluribus locis auferuntur a Servitore duo cerei accensi tempore Missæ, alibi vero nullus solet auferri.

proceditur, nisi in Processionibus, in quibus Imago Crucifixi versus Conventum semper vertenda est, sive in incessu, sive in stationibus. Ita Ordinarium, Processionarium et Bullarium O. P. VIII. p. 320. et VII, p. 392, ubi legitur Constit. Clementis XII *Cum habitus*, in qua ad sequens quæsitum : « An liceat Fratribus » Prædicatoribus gerere Crucem obviam retroincedentibus ? » — Respondetur : « Licere »; et subjungitur : « Sic enim ubique terrarum Fratres Prædicatores solemne habent ut in publicis supplicationibus seu » Processionibus, Imaginem Crucifixi deferant ad ipsos » Fratres conversam. »

947. *In Missa.* « In Totis Duplicibus, in quibus so- » lis est Crux ad Evangelium deferenda, » (*Miss.*) si tamen cum solemnitate celebrentur, Cruciferarius tempore opportuno induat se Alba, vel Superpelliceo si sit Conversus. Venientibus autem Acolythis in Sacristiam post Epistolam et ipsis comitantibus, Cruciferarius cum Cruce in medio eorum procedat ante gradus Altaris vel Præbyterii, ibique stet medius inter Acolythos verso vultu Crucifixi ad populum. Cumque Diaconus acceperit Benedictionem ad Evangelium, procedat ad pulpitum collocatum in cornu Evangelii : ubi cum pervenerint, « ille qui defert Cru- » cem et Ceroferarii, unus a dextris, et alius a si- » nistris ejus a retro stent ante pulpitum, versis » propriis vultibus, et verso vultu Crucifixi ad Dia- » conum. » Si autem pulpitum fuerit retro Chorum eundo vadat per Chorum dextrum, et redeundo per sinistrum. (*Miss.*)

948. Dicto Evangelio, si *Credo* non sit dicendum, Cruciferarius cum Acolythis redit in medium eodem ordine quo venerat, et pariter ad Sacristiam revertitur. Si vero dicatur *Credo*, ad cornu Evangelii accedens, collocat se inter Acolythos ad sinistram Sacerdotis, et *Credo* cum cæteris submissa voce prosequitur. Reci-

tato Symbolo a Sacerdote, ante medium Altaris infra infimum gradum veniat, ibique stet verso vultu ad Altare dum dicitur *Et incarnatus est*, etc. Ad *Crucifixus* vero, comitantibus Acolythis, ad Sacristiam revertatur eo ordine quo supra. (*Ex Miss.* 13.)

949. *In Processionibus*, (exceptis Processionibus solitis post Completorium), Cruciferarius, indutus Alba, vel Superpelliceo pro tempore, cum instat Processio, finita aspersione, vel Benedictione, si qua fuerit ante Missam, accipiat Crucem et veniat in medium in aliqua distantia ante gradus Præsbyterii; et cum incipit cantari Antiphona, aut Hymnus, aut Responsorium, ad egressum Processionis, procedat in medio post Acolythos. In stationibus, vertit faciem suam ad Conventum, nisi statio fiat ante externum introitum Ecclesiæ vel Chori, in quo casu, vertit faciem ad Altare, Crucifixo remanente semper verso ad Conventum. (*Ex Process. pass.*)

950. In regressu Processionis, Cruciferarius stet sicut in egressu ante gradus Præbyterii, et dum dicitur Oratio a Sacerdote, reponat Crucem in loco suo. In die Palmarum, deponit eam in aliquo loco honesto ad cornu Evangelii. Feria V. in Cœna Domini relinquit eam in loco ubi asservatur Corpus Domini, et revertitur, præcedens Acolythos, crastina die rediturus eodem ordine, ut eam iterum reassumat ad Processionem (*Ibid.*)

Cæteræ functiones Cruciferarii certis diebus peragendæ puta in Officiis Defunctorum, in locis propriis reperientur.

### §. II. De Officio deferentis Aquam benedictam.

951. Qui notatus est ad Aquam benedictam adsit in Processionibus quæ regulariter per Claustrum aut extra

Ecclesiam fiunt. In cæteris vero Processionibus, uti in Vesperis Paschæ, in Dominicis I, II, et III mensis, et quando defertur SS. Sacramentum, non adsit. Post Completorium autem deferat Aquam benedictam qui notatur ad ℞. Horarum.

952. Cum autem Aquam deferre debet in Processione, Superpelliceo indutus, veniat ante gradus Præsbyterii, retro Cruciferarium. In inclinationibus et genuflexionibus aliis Ministris sese conformet. Cum egreditur Processio, ipse præcedat, et eundo terram aspergat. In stationibus vero, vas aquæ deponet ante Cruciferarium; et, si sit Clericus, collocet se ultimo loco in Choro suo, verso vultu ad alterum Chorum; si sit Conversus, stet aliquantulum retro Crucem. Cum autem Fratres intrant Chorum, ipse in Sacristiam revertatur, non expectans cæteros Ministros. (*Ex Process. pass.*)

953. Adsit etiam in Receptione solemni Legatorum et in aliis, necnon in communione Fratris infirmi per modum Viatici, et in delatione corporis Defuncti ad Ecclesiam, et in Sepultura et Exequiis Defunctorum. Quæ ab ipso agenda sunt in his functionibus sub propriis titulis dicentur.

## §. III. De Officio Thuriferarii in thurificatione Altarium.

954. *Ante thurificationem.* « In Festis Duplicibus » et supra, dum thurificanda sunt Altaria, Thurifera- » rius cum Ceroferariis, hora competenti, in Vespe- » ris et Laudibus, ad Sacristiam vadat, ibique lotis » manibus Alba se induat, et thuribulum præparet. » Cum Sacerdos paratus fuerit, (V. n.° 819.) « Thu- » riferarius cum thuribulo et thure in navicula

» primo procedat graviter et modeste ad majus Altare.
» (1) Et cum pervenerit ante infimum gradum Alta-
» ris, stans a dextris Acolythi stantis a dextris Sacer-
» dotis, vel post Sacerdotem, simul cum eis profunde
» inclinat, vel genuflectit. (V. n.° 829) (*Collect.*)

955. *Infra functionem.* « Tunc Thuriferarius accedat
» ad Sacerdotem, et offerat ei in cochleari thus bene-
» dicendum, dicendo : *Benedicite*; responsoque *Amen*,
» ponat thus in thuribulum, et tradat thuribulum
» clausum Sacerdoti, deosculando ejus manum, quod
» semper faciat dum Sacerdoti porrigit vel accipit
» thuribulum, nisi sit expositum SS. Sacramentum. »
» Interea dum Sacerdos thurificat, Thuriferarius re-
» tro eum sequatur; et semper cum illo inclinans vel
» genuflectens, partem Cappæ sericæ, quæ super bra-
» chium dextrum Sacerdotis defluit, manicamque Su-
» perpellicei decenter elevans, ut expedite possit incen-
» sare. » (*Ibid.*)

956. « *Peracta thurificatione*, Thuriferarius accipiat
» thuribulum a Sacerdote; factaque inclinatione vel
» genuflexione, si fuerit Festum alicujus Sancti qui
» habet Altare aliquod de minoribus in Ecclesia, thu-
» rificetur etiam illud » eodem modo. « Quo facto, (si
» adhuc suppetit tempus) Thuriferarius eat ad Cho-
» rum per eam partem quæ sibi est a dextris, et stans
» in medio ante pulpitum, ponat thus non benedi-
» ctum, in thuribulum, et facta versus Altare incli-
» natione profunda, incenset prius Sacerdotem facien-
» tem Officium » (Ibid.) triplici ductu (*Miss.*)

957. *Modus incensandi* talis est : « Assumens thuribu-
» lum manu dextera brevi intervallo e catenis supen

---

(1) Pollice dextera manus Thuriferarius tenens annulum fixum in summitate catenarum, et medio digito annulum mobile, apertum thuribulum elevat, et sinistra æqualiter elevata naviculam tenet, prout habetur in Cærem. C. et Episc. servata tamen consuetudine; petiturus vero Benedictionem incensi, teneat in manu sinistra thuribulum. (Cærem. C).

» sum, sinistra manu tenens catenarum, extremita-
» tes, ducat et reducat thuribulum, non illud vi-
» brando in altum, sed modice demissa cum thuri-
» bulo manu, modiceque subinde elevata ita ut manus
» numquam super humerum attollantur. » (*Collect.*)
« Porro circa modum thurificandi instruendi sunt qui
» non sunt assueti, ut decenter illud faciant et ho-
» neste. » (*Ord.*)

958. *Ordo thurificandi.* « Secundo incenset Magistrum
» Ordinis (si adsit, triplici ductu); deinde Acoly-
» thos (unico ductu); postea Cantores stantes in me-
» dio Chori; deinde cæteros eo ordine quo dictum est
supra n.° 683. et seq. (*Collect.*)

Si adsit aliquis Episcopus Rochetto et Mosetta simpliciter indutus, Thuriferarius illum incenset triplici ductu post facientem Officium et Magistrum Ordinis. (V. Cærem. Ep.)

Prælati sigillatim triplici ductu, Sacerdotes duplici ductu; cæteri vero Clerici, et Fratres Conversi (post omnes alios) unice ductu solent thurificari.

959. Si autem non suppetit tempus, Sacerdotem stantem coram pulpito Thuriferarius solet incensare, deinde Ministros, et quos poterit de Choro, donec dicatur Oratio. Quo peracto, inclinatione vel genuflexione facta, revertatur ad Sacristiam.

## §. IV. De Officio Thuriferarii in Missa majori.

960. *Quando adesse debet.* « Thuriferarius adsit in
» Festis Simplicibus, et supra, et in Dominicis die-
» bus, et in tertia Feria quando fit de B. Dominico,
» in quarta quando de B. Thoma vel de alio Sancto
» Ordinis, in quinta quando de SS. Corpore Christi,
» et in Sabbato quando de B. Mariæ Virgine, (et in
» Octava Solemni, *Ord.*) et in die Octava Simplicium
» Octavarum, » (*Miss.* 10.) necnon in Missis Votivis

solemnibus. Cæteris vero diebus, et in Missis etiam solemnibus Defunctorum non adsit, quod satis excludit Rubrica Missalis. (1)

961. Thuriferarius Superpelliceum vel Albam induat pro qualitate diei, et accepto thuribulo cum navicula et thure præparato, sive in Sacristia sive in Choro pro consuetudine, circa finem *Alleluia*, vel Tractus, vel Sequentiæ, veniat in Præsbyterium, ibique, ante medium Altaris facta inclinatione profunda vel genuflexione, stabit cum thuribulo.

962. *Ad Evangelium.* Si Crux deferenda est ad Evangelium, dum cantantur quæ supra, inclinatione facta cum Acolythis, eos præcedat in Sacristiam euntes et cum Cruce redeuntes; et stans ante gradus Altaris, a dextris Acolythi qui est ad dextram Cruciferarii, cum cæteris inclinet profunde. Si autem Crux non sit deferenda, omissis quæ in præsenti n.°, statim quæ sequuntur peragat.

963. « Tunc Thuriferarius vadat ad Sacerdotem, et » oblato ei thure (ut supra n.° 958.), dicat: *Benedicite*, » dataque Benedictione respondeat: *Amen*: »(2) (*Miss.*) Deinde, inclinatione facta cum ipsis, primus procedat ad pulpitum Evangelii; « et ad sinistram Acolythi, qui » est a sinistris Cruciferarii, vel post Subdiaconum, ubi » commode poterit, se collocet » versa facie ad Evangelium. Postquam Diaconus dixerit: *Initium*, etc. vel

(1) Quoad thurificationem in Missa majori absque Diacono et Subdiacono, eadem Rubrica eam implicite permittere videtur cum ait: « In » diebus solemnibus, ubi ob paucitatem Fratrum prædicta Ministrorum » solemnitas haberi non poterit, prout commodius et honestius poterit » observetur. » (*Miss.* 33.) Et ita quidem ab antiquo consuevit fieri in multis Conventibus. In aliis tamen, ad mentem Decretorum S. R. C., etiam in dicto casu thurificatio non fit.

(2) Juxta Cærem. C., si non sit tempus cantandi Evangelium stabit post Cruciferarium, vel post Acolythos; et cum Diaconis dicit *Dominus vobiscum*, tunc ponat thus in thuribulum.

*Sequentia*, etc., statim Thuriferarius tradat thuribulum Subdiacono, illudquc ab eo post incensationem recipiat.

964. *Ad Symbolum*. Finito Evangelio, Thuriferarius præibit Acolythos in redeundo ad Altare. Et si pulpitum ita dispositum fuerit ut transitus fiat per Chorum, Thuriferarius transeat per medium Chori, tam eundo quam redundo. Et cum ad Altare pervenerit ordinet se ad cornu Evangelii ad sinistram Acolythorum, ubi *Credo in Deum* prosequatur submissa voce, vel, si non dicatur *Credo*, Offertorium audiat.

Recitato Symbolo, Thuriferarius veniat in medium, a tergo Cruciferarii. Et cum Chorus pervenerit ad illa verba : *Et incarnatus est*, etc. genua flectit usque ad *Crucifixus*. Postmodum cum aliis surgens, et facta inclinatione ante Altare, comitetur Crucem in Sacristiam, semper præcedens Acolythos ; moxque rediens cum ipsis veniat in medium post Subdiaconum, ibique profunde inclinet. Hunc locum semper occupat, nisi aliter notetur. Cum autem in *Credo* dicuntur illa verba : *Simul adoratur*, etc., debet caput inclinare.

965. *Ad Thurificationem*. Iterum post Symbolum redeat ad cornu Evangelii, auditurus Offertorium.

Recitato Offertorio, Thuriferarius secedit cum Acolythis ad dexteram partem Altaris (V. n° 822.), et ascendens infra supremum gradum offert naviculam apertam Diacono, et statim thuribulum apertum elevet, et Diaconus thus benedictum ponat in eo ; accepta tunc navicula, thuribulum clausum Diacono tradat ; quo facto, sistat se ad sinistram Subdiaconi infra Acolythos, versa facie ad latus Evangelii, quousque, finita Thurificatione, accedat ad Diaconum a quo recipiat thuribulum ; deinde redeat in medium Altaris post Subdiaconum.

966. Cum incipitur Præfatio, Thuriferarius præparet se ad thurificandum, non tamen ponat incensum in thuribulo, et cantatis illis verbis : *Gratias agamus*

etc., prius inclinatione facta ante Altare, thurificet Ministros Altaris : primo Diaconum, deinde Subdiaconum duplici ductu; postea Acólythos unico ductu, incipiendo a seniore; his incensatis, præmissa inclinatione profunde ante Altare, Thuriferarius vadat in Chorum, et stans in medio ante pulpitum ponat thus non benedictum in thuribulo; thurificetque Magistrum Ordinis, si adsit; postea Cantores in Festis Duplicibus et Totis Duplicibus (*Ord.*) et alios prout supra n.° 683. Si dum cantatur Præfatio inclinandum est, Thuriferarius, interrupta thurificatione, inclinet versus Altare. His peractis, revertatur ad Altare, in medio stans post Subdiaconum, ibique profunde inclinet. (*Miss.*)

967. *Instante elevatione*, ponet incensum in thuribulo et illud dabit Diacono : durante autem consecratione et elevatione, ipse remanebit genuflexus in suo loco. Qua peracta, et accepto thuribulo a Diacono, genuflectat in medio post Subdiaconum, et redeat in Sacristiam, ubi dimisso thuribulo exuat se, et postea revertatur in Chorum.

968. Si Chorus non fuerit juxta Altare, Subdiaconus non deferat pacem in Solemnitatibus, sed deportetur a Thuriferario, ut suprà induto, postquam eam acceperit a Subdiacono ante Altare. (*Ex Miss.*) In quo casu, postquam dimiserit thuribulum in Sacristia stare poterit in primis sedibus Chori, vel in suo loco coram Altari, pro consuetudine loci.

### §. V. De officio Thuriferarii extra Officium et Missam.

969. *In Expositione et in Processione et Benedictione* solemni SS. Sacramenti semper adsit Thuriferarius; qui, indutus ut supra, veniat ante Altare cum cæteris Ministris more solito, et pariter inclinet, aut genu-

flectat. Mox, ut SS. Sacramentum expositum fuerit, imposito thure in thuribulo absque Benedictione, thuribulum tradat Diacono, si adsit, alioquin Sacerdoti, maneatque genuflexus dum incensatur SS. Sacramentum. Quo incensato, accipiat thuribulum et genuflectat in medio Præsbyterii, tempore opportuno incensum ministraturus.

970. Si tunc facienda sit Processio cum SS.$^{mo}$ Sacramento, immediate ante Baldachinum procedens, non incessu retrogrado, sed aliquantulum inflexo ad latus, ne terga vertat Sacramento, sed facie quasi ad illud versa, Corpus Christi continue incensabit. (*Miss.*) Si autem duo sint Thuriferarii ante Baldachinum hinc inde procedant SS. Sacramentum continue incensent, simul gressus moventes et pariter simul thuribulum elevantes. (1) (*Process.*) In Processionibus SS. Ordinis nostri, quando adsunt duo Thuriferarii, post Fratrem deferentem Aquam benedictam incedunt, cum thuribulo fumigante, more romano.

971. Cum *Benedictio SS. Sacramenti* impertienda fuerit, post illa verba : *Veneremur cernui*, uti solet fieri, Thuriferarius dabit incensum, ut supra. Et dum Sacerdos populum cum Sanctissimo benedicit, poterit ille, si usus fuerit, incensare SS. Sacramentum. (2)

972. Thuriferarius adsit etiam in cantandis Genealogiis in Nativitate et in Epiphania Domini; ad Evangelium ante Processionem Dominica in Ramis Palmarum; in Sermone Dominico Feria V. in Cœna

---

(1) Hæc Rubrica novi Processionarii in dicto casu ita intelligitur ut ambo Thuriferarii, in summitate catenarum et manu quæ ab intus est thuribulum tenentes, simultaneo et levi ductu ante et retro illud moveant. (*Ita rit. rom. et usus.*)

(2) « In expositione SS. Eucharistiæ Sacramenti, dum a Sacerdote Benedictio Fidelibus impertitur, licet necne Thuriferario incensare Sanctissimum ? » — R. « Non præscribi, et servandam consuetudinem locorum. » (*S. R. C.* 7 *Sept.* 1861.)

Domini; in delatione Fratris Defuncti ad Ecclesiam, et ad Officium sepulturæ. Videat in propriis locis quid ab eo agendum fuerit in dictis functionibus.

## ARTICULUS IV.

## DE OFFICIO ACOLYTHORUM.

### §. **In incensatione Altarium.**

973. *Regulæ generales.* Attendant Acolythi regulis generalibus supra positis n.° 808, et seq. Hæc insuper specialiter observent : 1.° quod, præ manibus habentes candelabrum, uterque uniformiter ante faciem suam, manu dextera tenente nodum, sinistra vero pedem candelabri, illud portent; 2.° quod recta teneant candelabra, maxime dum inclinant vel genuflectunt; 3.° « quod ad Evangelium tenentes candelabra non genuflectant. » (*Miss.*)

974. « Dum thurificanda sunt Altaria, in Vesperis » et Laudibus, hora competenti, Acolythi in Sacristiam vadant, ibique lotis manibus, Albis se induant, et cereos præparent. Cum Sacerdos (quem » alter eorum adjuvare debebit) paratus fuerit, (V. » n.° 819.) præeunte Thuriferario, ambo cum candelabris et cereis accensis procedant graviter et modeste » ad majus Altare. » (*Collect.*)

975. *Infra Thurificationem.* « Cum pervenerint ante » infimum gradum Altaris, ordinati unus ad dexteram » alter vero ad sinistram Sacerdotis, in aliqua distantia ab invicem ante dictum gradum, omnes simul » profunde inclinent, vel genuflectant dextro tantum » genu; et mox se erigentes, dum Sacerdos Thurificationem peragit, interim stent ante inferiorem gradum Altaris, hinc et inde, versis vultibus ad Altare. » (*Collect.*)

976. « *Peracta Thurificatione*, factaque inclinatione

» vel genuflexione, si fuerit Festum alicujus Sancti » qui habet Altare aliquod de minoribus in Ecclesia, » thurificetur etiam illud; quo facto, (si adhuc sup- » petit tempus) eodem quo venerunt ordine eant ad » Chorum, uno Acolythorum per eam partem quæ est » sibi a dextris, alio vero a sinistra Chori parte ingre- » diente. » (*Ibid.*)

977. « Acolythi vero stent hinc et inde, infra Sacer- » dotem, in inferiori ordine sedium, unus in Choro » dextro ante sedem Prioris, et alius in Choro sinistro, » in simili loco, versis vultibus ad Altare. » Ibidemque post facientem Officium vel Magistrum Ordinis, si ad- sit, thurificantur.

978. « *Ad Orationes.* Appropinquante fine Antiphonæ super Canticum, unusquisque ex sua parte conveniat, præcedendo Sacerdotem, ad pulpitum ubi præparatum est Collectarium, et stent ante illud, candelabra præ manibus gestientes, audientes Orationem et Memorias. Quibus finitis, dicto *Dominus vobiscum*, non expectantes *Benedicamus*, eodem ordine eademque facta ad Altare reverentia ac supra, cætera de Officio cum Sacerdote submissa voce complentes redeant ad Sacristiam (V. n.° 819), ubi eum adjuvent ad se exuendum, et genuflexi cum eo dicant: *Salve Regina,* etc., ut in terminatione Horarum, si tunc fuerint dicenda. (*Ex Collect. et Cærem.*)

### §. II. Ante Missam majorem.

979. *De præparatione.* « Quando Missa in Conventu » fuerit celebranda, Acolythi, audito signo, se præpa- » rare non differant; et in primis Superpelliceis induti, » vel Albis pro qualitate diei, alios Ministros juvent » ad se induendum. (*Miss.*)

980. « Postmodum Acolythi Altare præparent, coo- » pertorium mapparum auferendo, et ipsas mappas

» decenter explicando ; et unum pulvinar ad Missale » in cornu Epistolæ reponendum ex parte anteriori, » et alterum in cornu Evangelii ex parte posteriori, » et Epistolarum librum, collocandum in cornu Epi- » stolæ in parte posteriori et ibidem appodiandum de- » ferant. » (*Ibid.*)

981. Insuper, quando Subdiaconus defert Calicem in initio Missæ, præparent librum Evangeliorum in cornu Evangelii pariter appodiandum, ac velum humerale juxta pulvinar Missalis explicatum. Item instrumentum pacis, cum suò velo e cornu Epistolæ super Altare reponant, nisi pro Defunctis celebretur. « Et de » ampullis cum vino et aqua (cum manutergio) suo » loco in cornu Epistolæ ponendis et de aliqua map- » pula ad tergendas nares juxta Missale ponenda (V. » n.° 509.) provideant; » et si ampullæ non erunt afferendæ infra *Kyrie* vel *Gloria*, ante Missam ab Acolythis deferantur.

982. « Hora competenti cereos suos, et Altaris, ante inchoationem Missæ semper accendant, pro qualitate diei, prout n.° 514 et seq. Tempore autem frigoris magni, patellam decentem cum prunis accensis tempore opportuno ministrabunt. (*Ibid.*)

983. *In aspersione Aquæ benedictæ.* « Diebus Domini- » cis, Hora præcedente Missam finita, Acolythi sine » candelabris, (V. n.° 819.) præcedentes Subdiaconum, » accedent ad Altare : ubi cum pervenerint, Acoly- » thus senior stans a dextris Diaconi, junior a sini- » stris Subdiaconi, simul profunde inclinent vel genu- » flectant ante Altare, ut alibi dicitur. Tunc senior » Acolythorum deferat aquam acceptam de gradibus » Altaris Sacerdoti, » tradens aspersorium Diacono; (*Miss.*) aspersis Ministris, factaque inclinatione profunda præcedat Sacerdotem in Chorum (*Cærem.*) euntem ad aspergendos Fratres et sæculares, (V. n.° 822.) eo ordine quo dictum est n.° 683. Finita aspersione,

redeat ad Altare, ubi facta inclinatione profunda, deponat Aquam benedictam suo loco. Post Orationem, inclinatione vel genuflexione facta, Acolythi præeundo in Sacristiam revertantur.

984. Si sit facienda Processio, aspersione finita, Acolythi ad Sacristiam soli redeuntes, cereos deferant, et cum Cruciferario in medio eorum accedant ad Præsbyterium, et ordine solito ad Processionem cum Conventu incedunt (V. n.° 1013.): qua peracta, ad Sacristiam revertantur, facta cum cæteris reverentia ut n.° 983. ad Altare. (*Ibid.*)

## §. III. A principio Missæ usque ad Evangelium.

985. Incœpto post Introitum *Gloria Patri*, vel Versu, si *Gloria Patri* non dicitur, (V. n.° 819.) Acolythi, cum candelabris decentibus et cereis accensis, primo procedant ad Altare, ubi cum pervenerint se ordinent et reverentiam faciant ut n.° 983. (*Miss.*)

986. *Ad Confitemini*, etc. respondeant intelligibili voce : *Quoniam in sæculum*, etc. Ad *Confiteor*, stantes erecti, versis ad se mutuo vultibus, ac candelabra præ manibus habentes, respondeant voce mediocri : *Misereatur*, etc. prout majores Ministri. Responso ad *Adjutorium* « *Qui fecit* etc., deponant cereos cum » candelabris infra gradus Altaris, (1) extinguentes » eosdem. »

987. *Ad Introitum* et *Kyrie*. Quo facto, statim conveniant « ad librum (V. n.° 822.), cum cæteris Mini» stris, et stantes a dextris Subdiaconi ordinati, di» cant cum Sacerdote Introitum Missæ et *Kyrie eleison;*

---

(1) Id est in utroque latere, et in eadem linea ac candelabra Altaris; vel, ut habetur in Ordinario : « super gradus Præsbyterii : » quod, ubi sunt dicti gradus distincti a gradibus Altaris, poterit observari.

» nec flectant genua cum dicitur : *Salve sancta parens.* » (*Miss.*) Deinde « Acolythi infra gradus Altaris hinc » et inde, (vel in primis sedibus Chori, maxime ubi » sunt pauci Fratres,) stent parati ad sua ministeria » peragenda. Si vero Dominica, vel Duplex et supra » fuerit, poterunt in sessum (V. n.°. 830.) ad sini- » stram Subdiaconi, vel alibi in scabello tamen infe- » riori. Qui antequam sessum eant mappulam exten- » dant super genua Sacerdotis, Diaconi, et Subdia- » coni, taliter ut possint etiam super eam manus » appodiare, quam postea alter Acolythorum, ad ul- » timum *Kyrie eleison* surgens, levabit, incipiendo a » Sacerdote, » (*Ibid.*) cui manum osculabitur, tam extendendo quam levando dictam mappulam, super sedes iterum reponendam.

988. Ad *Gloria in excelsis*. Procedente Sacerdote cum Diacono et Subdiacono ad Altare, Acolythi, cum eis ad illud pergentes inclinent profunde hinc et inde. Dum autem Sacerdos incipit *Gloria in excelsis* ordinent se post ipsum : inchoatione facta, inclinent caput, et statim ad cornu Epistolæ venientes prosequantur inceptum *Gloria*, cum Sacerdote, stantes a dextris ejus ordine supradicto, n.° 987 : quo dicto, redeant ad sua loca.

989. « Interim dum absolvitur *Gloria in excelsis*, » in Dominicis diebus et in Festis Duplicibus et Totis » Duplicibus, vel *Kyrie eleison*, quando *Gloria in excel-* » *sis* non dicitur Dominicis diebus, junior Acolytho- » rum (V. n.° 830.) præcedens Subdiaconum in Sacri- » stiam pergat, et ibi eum juvet ut mappula super humeros ejus decenter extendatur. Deinde illum iterum præcedat, ampullas vini et aquæ cum manutergio in pelvi deferens, (V. n.° 830.) quas in fenestella aut super scamnum ad cornu Epistolæ reponat; postea, si opus fuerit, Subdiaconum juvet ad deponendam mappulam ; quo facto, redeat ad locum suum.

990. *Ad Epistolam.* Ad Orationes Collectas Acolythi in suo loco stent; ad *Flectamus genua*, si dicitur, ibidem utrumque genu flectant. Si Prophetia sit legenda ut supra n.° 392. Acolythus eam legit, ut dictum est, n.° 927. in medio. Cum autem plures Lectiones leguntur in Missa, Acolythi sessum veniant cum Sacerdote, more solito, et similiter ad Altare revertantur, unusque illorum de libro ministret, ut infra n.° 991. Dum autem ultima Oratio dicitur, junior Acolythorum præcedat Subdiaconum ad locum in quo Epistola legenda est, (V. n.° 830.) ante gradus Præsbyterii, stetque (a sinistris Subdiaconi) verso vultu ad Altare. « In Conventibus vero in quibus consuevit legi, » Dominicis diebus et Festis Duplicibus et supra in » loco eminenti supra pulpitum servetur consuetudo. » Prædictus vero Acolythus, Epistola perlecta, librum » qui sibi traditur a Subdiacono, (V. n.° 830.) defe- » rat super Altare, ponens illum in loco suo; » (*Miss.*) statimque ad sedes vadat, versus Sacerdotem, ad audiendum Responsorium et ea quæ sequuntur.

991. Completis Orationibus, senior Acolythorum, simul cum Sacerdote et Diacono ante Altare profunde inclinet, et adstans Sacerdoti una cum Diacono, illum in sede sua reverenter collocet, mappulamque super ejus genua superponat ut supra n.° 987. Deinde cum Diacono redeat ad Altare, (V. n.° 830.); digitis Diaconi ad cornu Epistolæ aquam infundat, et manutergium porrigat. Accepto ibidem Missali a Diacono, revertatur ad Sacerdotem (V. n.° 830.) ante quem teneat Missale apertum, ut ex eo legat Epistolam et ea quæ sequuntur.

992. *Ad præparationem Calicis.* Evangelio a Sacerdote perlecto, stantibus Ministris et signando se respondentibus, Acolythus Missale tradat Subdiacono, idemque, vel alter pro consuetudine, eum ad Altare comitetur, (V. n.° 830.) eique aquam cum manutergio

ministret e cornu Altaris, et mappulam super humeros ejus adaptet. Acceptis deinde ampullis vini et aquæ, in pelviculo, accedat cum eo ad Sacerdotem (V. n.° 830.) et stans a dextris Subdiaconi vinum ei porrigat, deinde aquam, post cujus Benedictionem respondeat : *Amen.* Postea revertatur ad Altare cum Subdiacono (V. n.° 830;) ampullas suo loco reponat ; juvet, si opus fuerit, Subdiaconum ad deponendam mappulam, et, si tempus suppetat, redeat ad sedem suam.

993. Interim, alter Acolythorum poterit deferre pulpitum ad locum in quo erit cantandum Evangelium. (*Cærem.*) « Dum autem Sacerdos sedet, Acolythi, » cum non sunt occupati in aliquo Ministerio, possunt » ire ad adjuvandum Fratres in Choro, maxime in par» vis Conventibus. (*Miss.*)

994. « Circa finem cantus *Alleluia*, vel Tractus, vel » Responsorii, vel Sequentiæ, pro tempore, Acolythi » cereos accendant » (*Ibid.*) ; et ambo accipientes candelabra, in medium ante gradus Altaris, vel Præsbyterii, conveniant. « In totis autem Duplicibus, in quibus » solis est Crux deferenda, (V. n.° 830.) in Sacristiam » eant, indeque Crucem comitentur, » Cruciferario in medio eorum procedente usque ad medium ante gradus, ut supra, ubi profunde inclinent. (*Ibid.*)

## §. IV. Ab Evangelio usque ad consecrationem.

995. *Ad Evangelium.* Procedentibus Ministris majoribus ad pulpitum Evangelii, Acolythi, (V. n.° 830.) in quorum medio semper stet qui Crucem fert, cum illis procedant ; « et postquam ad pulpitum pervenerint, » sistant se unus a dextris Cruciferarii et alius a sini» stris, retro pulpitum, versis vultibus ad Diaco» num donec Evangelium fuerit lectum. (V. n.° 973.) » In Conventibus tamen in quibus fuerit pulpitum re» tro Chorum, vel alibi in loco superiori, legatur Evan-

» gelium super illud Dominicis diebus, et Festis Du-
» plicibus et supra : tunc, si eundo ad illud transeant
» per Chorum, unus Acolythus juxta unum Chorum,
» alius vero juxta alium vadant », et similiter redeundo ; et cum ad Altare pervenerint una cum aliis Ministris inclinent profunde. (*Miss.*)

996. *Ad Credo.* Si Evangelium fuerit lectum prope Altare, inchoato *Credo*, Acolythi stantes ad sinistram Sacerdotis ordinati ad cornu Evangelii unus post alium, et Cruciferario in medio eorum, (1) *Credo in Deum* prosequuntur submissa voce, et cum dicent : *Jesum Christum* et *Ex Maria Virgine*, etc., caput tantummodo inclinent. (V. n.° 826.)

997. Recitato Symbolo, cum candelabris ante Altare veniant; et cum Chorus pervenerit ad illa verba : *Et incarnatus est*, etc., Acolythi ordinati hinc et inde, ita ut in medio eorum sit Cruciferarius, in inferiori gradu post Diaconum et Subdiaconum genua flectant, versis vultibus ad Altare, depositisque candelabris super gradus. « Postmodum surgentes, Aco
» lythi comitentur Crucem in Sacristiam eo ordine quo
» venerunt., facta inclinatione ante Altare », tam eundo quam redeundo ; deinde deponant candelabra, et cereos extinguant. Tunc alter eorum pulpitum Evangelii poterit amovere, et unusquisque stet ad locum suum, quousque dicatur Offertorium. « Cum
» autem in *Credo* dicuntur illa verba : *Simul adoratur*,
» etc., debent caput inclinare. » (*Ibid.*)

998. *Ad Offertorium.* Expleto cantu Symboli, post *Dominus vobiscum* caput Altari inclinent cum Sacerdos

(1) Cærem. C. sic habet : « Stabuntque verso vultu ad Sacerdotem in » eadem dispositione qua ad Evangelium. » Quod in multis Conventibus observatur ab inferioribus Ministris quoties aliquid recitant, sive ad dexteram sive ad sinistram Sacerdotis ordinati, et in casu prædicto candelabra deponere solent.

dicit *Oremus*, et ad cornu Evangelii conveniant, ubi cum Sacerdote prosequantur Offertorium, stantes ad sinistram ejus ordinati ut supra. Quo dicto, se transferant ad cornu Epistolæ, caput in medio Altaris inclinantes. (V. n.° 822.)

Si *Credo* non dicitur, finito Evangelio, statim ad cornu Evangelii conveniant, ubi prosequantur Offertorium ut supra : quo lecto, deponant candelabra in loco solito, et cereos extinguant ; deinde ad cornu Epistolæ se transferant.

999. *Ad Lotionem manuum.* Dum Sacerdos incensat Altare, taliter se ordinent ut sint a sinistris Subdiaconi stantis prope Altare, unus infra alium ; versa facie ad cornu Evangelii. Et dum Sacerdos incensatur a Diacono, (vel dum fit oblatio, cum thurificatio omittitur,) junior Acolythorum ampullam aquæ cum pelvicula porrigat Subdiacono; alter vero linteolum seu manutergium Diacono tradat. Quibus post lotionem manuum acceptis et in suo loco repositis, Acolythi infra gradus Altaris ad dextram et ad sinistram Diaconi in modum quasi Crucis stent ordinati usque ad finem Canonis, nisi in aliquo Ministerio fuerint occupati.

1000. *Ad Præfationem.* Ad *Gratias agamus,* in principio Præfationis, Acolythi versis vultibus ad invicem inclinent caput (V. n.° 826.); deinde aliquantulum versi ad Thuriferarium « seu fere mutuo se respicien- » tes, junctis manibus ante pectus, paululum incli- » nent caput dum thurificantur : » quo facto (V. n.° 751.), iterum se vertant et ordinent ut prius. In fine vero Præfationis « cum ventum fuerit ad *supplici con-* » *fessione* », iterum dispositi uti ad *Gratias*, seniore Acolythorum aliquod ictibus campanula adstantes admonente, dicant cum Sacerdote et majoribus Ministris : *Sanctus*, etc., et ad *Benedictus qui venit*, etc., muniant se signo Crucis a capite ad pectus, etc. Deinde

cum Subdiaconus mappulam sumit, idem Acolythus eum adjuvet; postea ambo cereos accendant pro elevatione. (*Miss.*) (V. n.° 518.)

## §. V. A consecratione usque ad finem Missæ.

1001. *Ad consecrationem.* « Ante elevationem moneatur populus aliquod ictibus campanulæ. (V. n.° 615.) « Dum autem Sacerdos profert verba Consecra-
» tionis junior Acolythorum stet in inferiori gradu
» Altaris juxta Subdiaconum, alter juxta Diaconum et
» modeste pulset campanulam. Et sic stent genuflexi
» (*Ord.*) tempore elevationis usque post Sanguinis
» consecrationem et elevationem. Et in diebus in qui-
» bus ministratur incensum, (deficiente Thuriferario)
» unus Acolythorum, ubi sunt pauci Fratres. » Diacono porrigat thuribulum, quod deinde post thurificationem ab eodem accipiat, illud in Sacristiam reportaturus. (*Miss.*)

1002. *Ad Pater.* Peracta consecratione, iterum se collocent ubi prius erant. In fine *Pater noster*, responso submissa voce *Sed libera nos a malo,* postquam Subdiaconus Diacono patenam porrexerit, Acolythi sumant mappulam ab humeris Subdiaconi, « eamque reve-
» renter plicent, et qui est a sinistris reponat eam su-
» per cornu Evangelii. » (*Ibid.*)

1003. *Ad Agnus Dei.* « Postquam Sacerdos dixerit:
» *Pax Domini*, etc. junior Acolythorum cum Diacono
» ad cornu Evangelii, et alter cum Subdiacono ad
» cornu Epistolæ vadant, et mutuo se respicientes di-
» cant cum eo: *Agnus Dei*, etc.; » deinde in medio post Subdiaconum se collocent pacem ab eo accepturi. (*Ibid.*)

1004. *Ad Pacem.* « In Dominicis autem diebus et Fe-
» stis Duplicibus et supra, postquam Acolythi pacem
» a Subdiacono acceperint, junior eorum (primo Ma-

» gistro Ordinis, si adsit) deinde Cantoribus eam da-
» bit, » dicens singulis : *Pax tibi et Ecclesiæ sanctæ Dei.*
« In cæteris autem diebus numquam detur pax in Mis-
» sa Conventuali, nisi Ministris Missæ. » (*Ibid.*) (V. n° 800. et 830.) Porro in magnis solemnitatibus, n.° 1037.
» designandis, idem Acolythus Subdiaconum pacem
» Cantoribus et cæteris Fratribus in Choro deferen-
» tem præcedat. Ubi autem Chorus non fuerit juxta
» Altare, et Subdiaconus non commode possit ante fi-
» nem Communionis reverti, istis diebus pax deporte-
» tur a Thuriferario, vel ab Acolytho, ut supra.

1005. *Ad ablutiones.* Peracta Communione Acolythi vadant ad cornu Epistolæ; ubi porrecta Subdiacono ampulla vini, mox Diacono ministrent aquam cum manutergio ad ablutionem digitorum; tradita deinde Subdiacono ampulla aquæ et ab eo post secundam ablutionem recepta, eidem ad abluendas manus aquam ministrent; depositisque suo loco ampullis, ordinati ad dexteram Sacerdotis post majores Ministros, dicant Communionem (*Ord. et Cærem.*) Quo facto, cereos in elevatione accensos extinguant. (*Miss.*)

1006. *Ad Postcommunionem.* Dum autem ultimæ Orationes dicuntur, Subdiaconum Calicem in Sacristiam reportantem junior Acolythorum ampullas vini et aquæ deferens, præcedat : (V. n.° 830.) « si vero uni-
» ca tantum Oratio dicenda sit, vel Sacristia nimis di-
» stet ab Altari in quo celebratur, tum Subdiaconus
» Calicem in Sacristiam non reportet, nisi absoluta
» Missa ; et postea unus Acolythorum deferat librum
» Evangeliorum. » (*Miss.*)

1007. *In fine Missæ.* Interim senior eorum cereos suos super « candelabra accendat ; et postquam Sa-
» cerdos dederit Benedictionem, ad quam Ministri de-
» bent caput inclinare, idem Acolythus Missale Dia-
» cono tradat, et alter librum Evangeliorum Subdia-
» cono, (si non debeat deferre Calicem) ; et deinde

» candelabra cum cereis accensis præ manibus te-
» neant, dum legitur Evangelium » hinc inde ordinati infra gradus. Quo « dicto, et facta inclinatione, vel » genuflexione sicut in ingressu, redeant in Sacristiam » eo ordine quo venerunt. » (*Ibid.*) (V. n.° 819. et 810.)

1008. *Post Missam.* Tunc Acolythi, cum Sacerdos sacris vestibus fuerit exutus, petita et accepta Benedictione, ut supra n.° 945., cæteros Ministros juvent ad se exuendum. Ipsi vero « antequam vestes exuant, re-» vertentes ad Altare cooperiant illud, et aptent de-» center, reportantes in Sacristiam quæ fuerint repor-» tanda. Postea in Dominicis diebus deferant Aquam » benedictam per cellas, et reliquas officinas, eas » aspergendo. » (*Ibid.*)

## §. VI. De his quæ omittenda vel addenda sunt in quibusdam circumstantiis.

1009. In diebus *Dominicis*, et in Festis *Duplicibus* et infra tantummodo non deferatur Crux ad Evangelium.

In Festis autem *Simplicibus*, necnon in *diebus Octavis Simplicibus* et supra, et infra Octavas quascumque hæc insuper omittenda sunt : 1.° non sedeat Sacerdos ad *Kyrie eleison*; 2.° Subdiaconus non deferat Calicem ad *Kyrie* vel *Gloria in excelsis*; 3.° non legatur Epistola nec Evangelium in loco superiori extra Præsbyterium ; 4.° non deferatur pax Fratribus in Choro.

1010. « In *Ferialibus* diebus, et Festis trium Lectio-» num et infra Octavas non solemnes unus sufficiat » Acolythus, qui, procedens more solito ad Altare » (*Miss.*), dum fit confessio, et dum dicitur *Sanctus* et » *Agnus Dei* a Sacerdote stare debet a dexteris juxta » Diaconum, et etiam in genuflexione ad Corpus Do-» mini. » (*Ibid.*) Ante cujus consecrationem cereum accendat. (*Ord.*) Omissis quæ supra, n.° præced., hæc insuper observentur : 1.° Acolythus non comitetur Sub-

diaconum dum cantat Epistolam, (*Ord.*) sed teneat librum ante Sacerdotem; 2.° non fit incensatio, nec Patena defertur a Subdiacono ad *Sanctus*. (*Miss.*) De cætero, reliqua serventur prout melius poterit.

1011. In Missis *Defunctorum*, duo Acolythi, vel unus tantum ministret, pro qualitate diei, ut supra, cum candelabris more solito : omissis omnibus quæ in duobus præcedentibus numeris notantur, et hoc insuper observato : quod non benedicatur aqua infundenda in Calice, nec pax datur etiam Ministris, et ad *Agnus Dei* dicatur : *Dona eis requiem*, loco *miserere nobis*. (*Ibid.*)

1012 *In casu paucitatis Fratrum*. « Ubi autem in diebus solemnibus, propter paucitatem Fratrum, prædicta Ministrorum solemnitas servari non poterit, prout commodius et honestius poterit observetur. » (*Miss.*) Ministrantes autem Acolythi absque majoribus Ministris omnia more solito peragant, omissis tamen cæremoniis erga majores Ministros, servatisque sequentibus de more : 1.° Unus eorum cantare poterit Epistolam (1)(V. n.° 927.); deinde Sacerdoti ministrare de ampullis vini et aquæ, et librum deferre ad cornu Evangelii debebunt. 2.° Tempore opportuno cereos accendant ad Evangelium; et dum canitur a Sacerdote, stent ordinati ad ejus sinistram versa facie ad Evangelium, candelabra præ manibus habentes. 3.° Ad Symbolum et Offertorium nihil mutent; aquam Sacerdoti ministrent, juniore fundente aquam, altero vero manutergium porrigente. 4.° A Præfatione ad *Agnus Dei* more solito se gerant, præterquam quod tempore elevationis supra supremum gradum genuflexi casulam elevent. 5.° Ad ablutiones, senior eorum ministret vinum, deinde vinum et aquam, alius vero deferat librum ad cornu Epistolæ.

---

(1) « Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector Superpelliceo indutus. » (*Miss. Rom.*)

1013. *In Processionibus*, servatis quæ supra n.° 984. inclinationibusque aut genuflexionibus debitis, inchoatione facta, incedant in capite Processionis post deferentem aquam, vel Thuriferarium, media Cruce inter eos. In stationibus vultus suos vertant ad Conventum, excepta statione quæ fit ad introitum Ecclesiæ vel Chori, in qua stent versis vultibus ad Altare. Reversi ad Altare stent ut in aspersione Aquæ benedictæ fieri solet, ubi, deferente Cantore, cantent Versiculum regulariter : quod eisdem etiam competit infra Processionem si cantandum sit. (*Ex Process.*)

In Processione ad *Salve Regina*, et in aliis Processionibus propriis, necnon in aliis functionibus in quibus Acolythi interesse debent, videant in propriis Articulis quæ ab ipsis specialiter agenda sunt.

1014. In *sacra Communione*, officium Acolythorum requiratur n.° 1317. et seq. In *Expositione* et *Benedictione* SS. Sacramenti, procedant ad Altare, ut in principio Missæ. Infra functionem stent genuflexi hinc et inde super gradum inferiorem, depositis candelabris super altero gradu. Si non adsint Ministri majores, senior Acolythorum ministret Sacerdoti de libro, alter vero extendat velum humerale super humeros illius ad Benedictionem. Si vero deferendum sit SS. Sacramentum, ante vel post functionem, illum comitentur cum cereis accensis, genua flectentes ad gradus Altaris, sive in termino a quo, sive in termino ad quem.

In dicta autem functione, sicuti et in celebratione Missæ coram SS. Sacramento patenter exposito, diligenter serventur actus reverentiales de quibus supra n.° 847. et seq.

# ARTICULUS V.

## DE OFFICIO SUBDIACONI.

### §. I. Ante Missam majorem.

1015. *Quoad præparationem*. « Quando Missa in Con» ventu fuerit celebranda, Subdiaconus audito signo » se præparare non differat. » (*Miss.*) In Sacristiam vadat, perlegat Epistolam quam cantare debet, et ablutis manibus præparet Calicem et Hostiam, eo modo quo infra n.° 1204. Præparet etiam particulas consecrandas pro numero fratrum communicandorum cum opus fuerit.

1016. Postea induat se, juvante Acolytho, Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, cum Tunicella pro tempore. (V. n.° 547.); poteritque congruenter dicere Orationes quas Sacerdos induendo se tunc recitat. (V. n.° 1205. et seq.); juvabitque Diaconum, si opus fuerit, et cum eo Sacerdotem. « In Conventibus autem, ubi pauci » sunt Fratres, audito signo, poterunt Diaconus et » Subdiaconus se præparare absque sericis indumen» tis, et ita Officium, si erit dicendum, cum aliis in » Choro persolvere, quousque cum Sacerdote disce» dent a Choro ut ipsum adjuvent » (*Miss.*) (V. n.° 808. et seq.)

1017. *Ad aspersionem*. In Dominicis diebus, cum Aqua benedicta fuerit aspergenda, Subdiaconus, Alba indutus, et Manipulo tantum, si non sit facienda Processio, alioquin etiam Tunicella indutus, Hora præcedente Missam finita, (V. n.° 819.) post Acolythos accedat ad Altare : ubi cum pervenerint, stans a sinistris Sacerdotis, facta inclinatione profunda, vel genuflexione ad Altare (V. n.° 829.), discooperiat se, et capite inclinatus Aquam benedictam accipiat, ibi-

que stet quousque peracta aspersione dicta fuerit Oratio. (*Ord.*) Qua dicta, cooperiat se, et facta ut prius rentia, in Sacristiam eodem ordine revertatur. (*Miss.*) Si Processio fuerit facienda V. n.° 1044.

## §. II. Ab ingressu ad Altare usque ad Evangelium.

1018. *In inceptione Missæ.* « Incœpto a Choro post » Introitum *Gloria Patri*, vel Versu si *Gloria Patri* » non dicitur, Subdiaconus indutus ut supra n.° » 1016., cooperto capite cum Caputio et Amictu (V. » n.° 819.), post Acolythos procedat ad Altare de- » ferens librum Evangeliorum, pectori appodiatum, » sinistra manu supposita, et dextera librum tenen- » do, » si fuerit Dominica aut Festum Duplex et supra. Cæteris autem diebus, necnon in omnibus Missis Defunctorum, loco libri Evangeliorum deferat Calicem paratum, absque mappula super humeros : quem mox ut inclinaverit cum cæteris ante Altare reponat in cornu Evangelii, illum ad cornu Epistolæ super mappulam ibidem extensam tempore opportuno repositurus.

1019. Accedens ad Altare, stansque ante illud ad sinistram Sacerdotis in aliqua distantia ante infimum gradum cum cæteris Ministris simul profunde inclinet vel genuflectat, et, deposito libro, caput discooperiat. Deinde una cum Celebrante dicente : *In nomine Patris*, signet se a fronte ad pectus et humeros, et respondeat cum Ministris intelligibili voce ad *Confitemini*, etc. : *Quoniam in sæculum*, etc. Dum dicitur *Confiteor* profunde inclinatus maneat, respondens mediocri voce : *Misereatur*, etc., *Confiteor*, etc. Confessione facta et Absolutione, se erigat, et dicto : *Adjutorium*, etc. respondeat : *Qui fecit*, etc.; deinde, ascendens cum Sacerdote ad Altare, ponat librum ad cornu Evan-

gelii, appodiando illum in posteriori parte Altaris.

1020. *Ad Introitum*. Cum cæteris conveniat ad librum in cornu Epistolæ, (V. n.° 822.) et stans a dextris Diaconi, dicat cum Celebrante Introitum, et alternatim *Kyrie eleison*. Deinde ordinet se post Diaconum. Si vero fuerit Dominica (in qua tunc non sit deferendus Calix) vel Festum Duplex et supra, Subdiaconus poterit ire sessum cum Sacerdote, facta infra gradus inclinatione profunda, Diaconumque præcedens; et Sacerdote reverenter collocato in sua sede, ad sinistram Diaconi sedeat, manibus appodiatis super mappulam super sua genua extensam: qua ad ultimum *Kyrie* ablata, surgant omnes, ad Altare redeant, et ante illud inclinent profunde.

1021. *Ad Gloria in excelsis*. Postquam Sacerdos ascenderit ad Altare, Subdiaconus ordinet se post Diaconum; inchoato Hymno *Gloria in excelsis* inclinet caput; deinde ad cornu Epistolæ una cum cæteris veniens, prosequatur incœptum *Gloria* cum Sacerdote (V. n.° 826.) stans a dextris Diaconi.

1022. « Interim dum absolvitur *Gloria in excelsis* a » Choro in Dominicis diebus, et in Festis Duplicibus » et supra (vel dum cantatur *Kyrie* in Dominicis Ad- » ventus, et a Septuagesima usque ad Pascha), Sub- » diaconus, juniore Acolythorum præcedente (V. » n.° 830.) in Sacristiam pergat, et ibi pulchram et » mundam mappam præparatam super humeros suos » (juvante Acolytho) decenter extendat: » Calicem præparatum, ut supra, et superposita dextera manu, illum dicta « mappa coopertum » (*Ord.*), elevatum ante pectus suum, præcedente Acolytho, deferat reverenter; et cum ad Altare pervenerint, in medio inclinent profunde. (*Miss.*)

1023. « Deinde Subdiaconus Calicem superponat » Altari, mappam deponat (juvante Acolytho), et su-

» per cornu Epistolæ decenter extendat, et super eam » Calicem præparatum accommodet. » Quo facto, recedat ad locum suum retro Sacerdotem et Diaconum, ibique stet dum dicuntur *Dominus vobiscum* et Orationes. Si vero Sacerdos non dicat *Dominus vobiscum* ad cornu Epistolæ (V. n.° 845. et 846.), Subdiaconus eum sequatur ad medium Altaris, semper stans a tergo Diaconi, et revertente Sacerdote ad cornu Epistolæ locum prædictum pariter repetat. Cum dicitur *Flectamus genua* utrumque genu flectat in loco suo. Si lectio fuerit legenda, sessum eat cum Sacerdote et Diacono, et ad Orationem sequentem cum eisdem revertatur ad Altare.

1024. *Ad Epistolam.* « Dum ultima Oratio dicitur, » altero Acolythorum præcedente, Subdiaconus veniens » ante medium Altaris, librum Epistolarum ferat, » secundum modum supra dictum de Evangeliario » et Missali super pectus suum reclinatum, ad locum » ubi Epistola legenda est; (V. n.° 830.) hic vero semper erit ante gradus Præsbyterii, super pulpitum » ad hoc ibidem præparatum in medio. » Epistolam legat, verso vultu ad Altare, tenens manus cancellatas super partem inferiorem libri. (*Cærem.*) Et cum infra Epistolam aliqua verba legit, ad quæ genuflectendum est, dextrum genu flectat ante pulpitum. (V. n.° 836.) « In Conventibus autem in quibus consuevit » legi Dominicis diebus et Festis Duplicibus et supra » in loco eminenti supra pulpitum, servetur consuetudo. » (*Miss.*) (1).

1025. Cantata Epistola, Subdiaconus tradat Acolytho librum clausum, et mox, facta inclinatione versus Altare sessum eat, ea quæ tunc de Responsorio

---

(1) In quo casu ad ambonem pergat, indeque redeat, per partem quæ sibi est a dextris. (Vid. adnotat. ad n.° 460).

vel *Alleluia*, vel Tractu vel Sequentia leguntur auditurus, ad Evangelium surgat, respondeat et signet se cum Sacerdote signo Crucis in initio et in fine, ut infra; deinde manibus junctis audiat Evangelium. (*Ex Miss.*)

1026. *Ad præparationem Calicis.* Dicto Evangelio a Sacerdote, Subdiaconus, dum fuerit reversus, acceptum Missale ab Acolytho, (V. n.° 830.) ad cornu Evangelii cum pulvinari pro recitando *Credo* vel Offertorio deferat; deinde (V. n.° 822.) ad cornu Epistolæ rediens, ibidem « manus aliquantulum lavet; » mappam super humeros suos, ut dictum est supra » n.° 1022, juvante Acolytho, extendat; Calicem velo » discooperiat, et (relicto purificatorio) sinistra manu » per nodum cuppæ (Calicem Mappa coopertum) acci- » piat, dextera desuper Pallam et Patenam firmans; » et accedens (V. n.° 830.) in oculis Sacerdotis et » Diaconi sedentis, præparet hoc modo:

1027. « Diacono Patenam cum Hostia (et Palla) tra- » dat, et tum vinum de manu Acolythi assistentis ac- » cipiat, illudque in Calice infundat, sed ab una parte » et in illa quantitate prout Sacerdos innuerit. Post- » modum aquam benedicendam Sacerdoti offerat, » dicens: *Benedicite;* dataque Benedictione, parum » aquæ in medio Calicis instillet; deinde Patenam » cum Hostia et Palla recipiet a Diacono, et coope- » riat, ac firmet ut supra, et ad medium Altaris (V. » n.° 830.) reportet; » ubi eum Purificatorio abstergat, atque iterum repositis Patena, Hostia, ac Palla super illum, « cooperiat sicut prius erat », et reponat super mappam in cornu Epistolæ denuo accommodatam; « et deinde (V. n.° 830.) sessum veniat, » (*Miss.*) afferens Diacono librum Evangeliorum cum pulvinari,

## §. III. Ab Evangelio usque ad Consecrationem.

1028. *Ad Evangelium.* « Circa finem cantus *Alleluia*, vel Tractus, vel Responsorii, vel Sequentiæ pro tempore, » postquam Sacerdos benedixerit thus, Subdiaconus surgat, et auferat Mappulam osculando manum Sacerdotis: data Benedictione Diacono, factaque ad Altare inclinatione profunda, Subdiaconus post Acolythos « procedat ad pulpitum cum pulvinari pro » Evangelio præparato : ubi cum pervenerint pulvi- » nar libro supponat, stetque post Diaconum » manibus junctis supra pectus. « Cum autem Diaconus » dicit : *Sequentia*, etc., Subdiaconus, faciat unam » Crucem cum pollice super frontem, aliam super » os, et aliam super pectus ; deinde signet se totum » fronte ad pectus et humeros signo Crucis, verso » vultu ad Altare » : postea, accepto thuribulo de manu Thuriferarii, illum porrigat Diacono, et ab eo resumat et Thuriferario restituat. Quo facto, « stet » versa facie ad Evangelium junctis manibus ante » pectus donec fuerit lectum, ubicumque legatur. »

1029. « Evangelio finito, munire se debet signo » Crucis, a capite usque ad pectus et humeros; deinde recipiat a Diacono librum apertum cum pulvi- » nari, et revertatur ad Altare ordine quo venerat. » Si tamen pulpitum ita fuerit dispositum in aliqui- » bus Conventibus, ut eundo ad illud transeant per » Chorum, Subdiaconus et Diaconus vadant juxta » Chorum dexterum, redeundo vero vadant juxta » sinistrum. » (*Miss.*)

1030. *Ad Credo.* Cum pervenerit ad Altare, Subdiaconus absque ulla inclinatione, etiamsi pulpitum distet ab Altari, ascendensque gradus « offerat » librum Sacerdoti ad osculandum (nisi pro defunctis » celebretur, vel Passio fuerit lecta,) deinde Diacono. Et

» post hæc Subdiaconus ipsum librum reponat super
» Altare, ubi et sicut erat prius, inde cum expediens
» fuerit ipsum ad Sacristiam reportaturus. Deinde
» stans ad sinistram Sacerdotis ordinatus ad cornu
» Evangelii post Diaconum, *Credo in Deum* prosequa-
» tur submissa voce » et cum dicit *Jesum Christum*,
et *ex Maria Virgine* caput tantummodo inclinet. Quo
dicto, ad medium Altaris vadat, « et cum Chorus per-
» venerit ad illa verba : *Et incarnatus est*, Diaconus
» et Subdiaconus, hinc et inde in primo gradu Altaris
» post Sacerdotem flectant genua. Postmodum sur-
» gens » stabit post Diaconum in medio Altaris; « Cum
» autem in *Credo* dicuntur illa verba : *Simul adoratur*,
» etc. debet caput inclinare. » (*Ibid.*)

1031. *Ad Offertorium*. « Finito vero *Credo*, vel *Evan-*
» *gelio*, si *Credo* non dicitur, dictoque a Sacerdote
» *Dominus vobiscum* et *Oremus*, Subdiaconus (V. n.°
» 822.) cum eo prosequatur Offertorium ad cornu
» Evangelii stans ad sinistram ejus ordinatus, ut su-
» pra; » quo dicto (V. ibid.), ad cornu Epistolæ ascen-
» dens cum Diacono, Calicem discooperiat Velo et Palla,
» ac (tenendo per nodum) offerat Diacono. » (*Ibid.*)

1032. *Ad thurificationem* — « Interim, dum fit incen-
» satio ordinet se in cornu Epistolæ prope Altare, »
versa facie ad cornu Evangelii. Postquam autem Dia-
conus incensaverit Sacerdotem, Subdiaconus accepta
ampulla ab Acolytho cum pelvicula, et stans in aliquo
gradu Altaris aquam fundat ut Sacerdos lavet manus :
quibus ablutis, restitutaque ampulla Acolytho, redibit
ad locum suum ante medium Altaris simul progre-
diens cum Diacono. (V. n.° 822.) (*Ibid.*)

1033. *Ad Præfationem*. Dictis a Sacerdote illis ver-
bis : *Sursum corda*, Subdiaconus ascendat ad supremum
gradum Altaris in cornu Epistolæ, verso vultu ad Dia-
conum in alio cornu existentem, manibus junctis ante
pectus ; et ad verba *Gratias agamus*, etc., caput in-

clinet. (V. n.° 826.) Deinde, fere respiciens Diaconum, seu versus ad Thuriferarium, paululum inclinet caput dum thurificatur; et Ministris pariter incensatis (V. n.° 751.) post Diaconum iterum se collocet. (*Ibid.*)

1034. *Ad Sanctus.* « Deinde, dicta Præfatione, cum » ventum fuerit ad *supplici confessione*, Subdiaconus » stans super supremum gradum Altaris ad cornu » Epistolæ, verso vultu ad Diaconum, dicat cum Sa- » cerdote : *Sanctus*, *Sanctus*, etc., et ad *Benedictus qui* » *venit* muniat se signo Crucis a capite ad pectus et hu- » meros, » (*Ibid.*)

1035. « Tunc si Dominica fuerit, vel Festum Sim- » plex, aut majus, vel Octava solemnis, aut dies Octava » Simplicium Octavarum, aut Festum votivum infra » hebdomadam, Subdiaconus mappam sumat, et eam » super humeros suos extendat » (juvante Acolytho), et manu dextera mappa circumtecta Patenam a Diacono sibi traditam accipiat, « et Diaconus cooperiat » eam velo Calicis, vel Mappam replicet super eam. » (Cæteris vero diebus, ac in Missis de *Requiem*, Patena » a Subdiacono non teneatur.) Deinde Subdiaconus, » stans post Diaconum, Patenam usque post *Pater no-* » *ster* teneat elevatam dextera manu, sinistram dextro » brachio supponens. » (*Miss.*)

## §. IV. A consecratione usque ad finem Missæ.

1036. *Ad consecrationem.* « Interim dum Sacerdos » profert verba consecrationis Subdiaconus a sinistris » Sacerdotis cum Patena flectat genua super gradum » supremum Altaris, et sic stet a tempore elevatio- » nis usque post Sanguinis consecrationem et eleva- » tionem; » et post elevationem Calicis surgens, stet ubi prius erat. (*Ibid.*)

1037. *Ad Pater.* « Cum Sacerdos inchoat *Pater* » *noster* Subdiaconus manu sinistra discooperiat Pa-

» tenam quam dextera tenet, diebus supra notatis: » dum vero Sacerdos dicit : *Et ne nos inducas*, etc., » respondeat submissa voce : *Sed libera nos a malo*; » et tunc Subdiaconus porrigat Diacono Patenam », et mappam ex humeris deponat, juvante Acolytho. (*Ibid.*)

1038. *Ad Agnus Dei.* « Postquam autem Sacerdos » dixerit *Pax Domini*, etc., Subdiaconus stans super » supremum gradum Altaris ad cornu Epistolæ, et » respiciens Diaconum cum Sacerdote et Ministris di» cat ; *Agnus Dei*, etc.; » moxque descendat infra » gradus Altaris et Pacem sibi porrectam a Diacono » osculetur, quam ipse det osculandam Acolythis, » dicens singulis : *Pax tibi et Ecclesiæ sanctæ Dei.*

In Dominicis autem diebus, et Festis Duplicibus et supra, tradat Patenam, vel Pacis instrumentum, Acolytho juniori qui eam in Chorum deferat; cæteris autem diebus Subdiaconus super Altare eam deponat. (*Ibid.*)

1039. « Porro in magnis solemnitatibus, scilicet » Natalis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corpo» ris Christi, Assumptionis B. Mariæ Virginis, B. P. » N. Dominici et Omnium Sanctorum, et similibus, » Subdiaconus postquam Pacem Acolythis, ut præ» fertur, dederit, deferat eam Cantoribus in Choro » (V. n.° 800. et 830.), (vel prius Magistro Ordinis si » adsit), juniore Acolythorum præcedente, deinde re» liquis Fratribus ordine et modo ut dictum est n.° » 683. et seq. Ubi autem Chorus non fuerit juxta Al» tare, Subdiaconus non deferat Pacem, nisi commode » reverti possit ante finem communionis, sed depor» tetur a Thuriferario vel ab uno Acolythorum. » (*Ibid.*)

1040. *Ad communionem.* Postquam Subdiaconus Pacem dederit, stet in suo loco in medio Altaris quousque peracta communione a Sacerdote, « veniat

» ad cornu Epistolæ, ibique in ampulla (sibi tradita » ab Acolytho) vinum paratum habens infundat in » Calice, postea vinum et aquam. » (*Miss.*) 810.) Deinde restitutis ampullis Acolytho, digitos abluat, aquam et manutergium ministrantibus Acolythis, stetque ad dexteram Diaconi et Sacerdotis, cum eis dicens Communionem. (*Ord. et Cærem.*)

1041. *Ad Postcommunionem*. Dicta autem Communione, Subdiaconus ascendens ad Altare ad cornu Evangelii (V. n.° 822.) « accipiat Calicem ac purificet, » eique Purificatorium, Patenam, Pallam, Velum, » Bursam Corporalis, et Mappulam superponat. Dum » autem ultimæ Orationes dicuntur Calicem ita præ- » paratum in Sacristiam reportet, non extensa mappa » super humeros. Si vero unica tantum Oratio di- » cenda sit, vel Sacristia nimis distet ab Altari in » quo celebratur, tunc Subdiaconus Calicem in Sacri- » stiam non reportet, nisi absoluta Missa, quando cum » Sacerdote et aliis ad Sacristiam redierit. » (*Miss.*)

1042. *In fine Missæ*. Cum Diaconus dicit: *Ite Missa est*, Subdiaconus stet verso vultu ad Altare. « Interim » postquam Sacerdos dederit Benedictionem, ad quam » Ministri debent caput inclinare, Subdiaconus acci- » piat ab Acolytho librum Evangeliorum (si non de- » beat deferre Calicem) et statim ascendat ad sini- » stram Sacerdotis ad cornu Evangelii pro illo au- » diendo. » (*Ibid.*) Ad *Dominus*, etc., et *Initium*, etc. respondeat, et signet se in initio et in fine; et dum dicitur: *Et Verbum caro factum est*, dexterum genu flectat. Evangelio dicto, inclinet caput ad Crucem in medio cum Sacerdote, se cooperiat, (vel si Calicem jam non detulerit in Sacristiam, illum ex Altari accipiet postquam se cooperuerit,) et, facta infra gradus cum aliis Ministris « inclinatione profunda vel genuflexione » sicut in ingressu, redeant omnes in Sacristiam eo » ordine quo venerunt. (V. n.° 819. et 810.) Tunc Mi-

» nistri prius Sacerdotem exuant, et se mutuo juvent » ad exuendum. » (*Ibid.*)

### §. V. De officio Subdiaconi in aliquibus circumstantiis.

1043. Advertat Subdiaconus ea quæ omittenda sunt certis diebus supra notatis. Videat etiam n.° 1009. 1010. et 1011. ubi specialiter de his dicitur, hoc tamen addito : quod in *Missis Defunctorum* non deferat librum Evangeliorum osculandum Sacerdoti post cantatum Evangelium, sed acceptum a Diacono clausum reportet ad cornu Evangelii. Cum autem Missa solemnis fuerit celebranda coram SS. Sacramento patenter exposito, serventur actus reverentiales de quibus n.° 847. et seq. De officio Subdiaconi in sacra Communione, et in aliis functionibus propriis dicetur infra sub respectivis titulis. (V. 1316. et seq.)

1044. *In Processionibus* quæ fiunt ante Missam, et in aliis solemnibus adsit Subdiaconus sericis indutus. Qui more solito ad Altare accedat, et stans ante illud ut in aspersione Aquæ benedictæ, semper a sinistris Sacerdotis assistat, tam in incessu quam in stationibus, librum Processionalem deferens, illumque ad Orationem tempore opportuno ministraturus. Processione autem finita, eodem ordine ad Sacristiam revertatur.

1045. Si autem fiat Processio cum SS. Sacramento post Missam, genuflexus stabit in inferiori gradu Altaris dum fit ejus incensatio ; (V. n.° 856.) deinde Velum humerale super humeros Sacerdotis extendat. Cum Sacerdos præ manibus tenet SS. Sacramentum, stans a sinistris ejus supra supremum gradum Altaris fimbrias Pluvialis elevatas teneat ; incedensque sub baldachino alternatim cum eo Psalmos et Hymnos submissa voce recitabit. Cætera vero servet ut n.° seq.

1046. *Ad Benedictionem* SS. Sacramenti, dum SS. ex-

ponitur super Altare stet genuflexus ut supra in inferiori gradu a sinistris Sacerdotis, cum eo inclinans in incensatione ejusdem. Ad Orationes non surgat. Velum humerale, cum opus fuerit, ad Benedictionem super humeros Sacerdotis extendat. Ascendente Sacerdote ad Altare, poterit et ipse ascendere, et genua flectet in supremo Altaris gradu dum impertitur Benedictio. Post eam, velum auferat, et more solito ad Sacristiam revertatur. (*Process.*)

# ARTICULUS VI.

## DE OFFICIO DIACONI.

### §. I. Ante Missam majorem.

1047. Quando Missa in Conventu fuerit celebranda Diaconus, audito signo, se præparare non differat. In Sacristiam vadat, ibique Missam in Missali perquirat, cum Orationibus et aliis dicendis; pariter Evangelium in libro proprio, ponens signacula ad omnia. Deinde lavet manus, et sacras vestes induat, adjuvante Acolytho, vel Subdiacono, quem ipse etiam poterit adjuvare, et cum eo Sacerdotem juvet. (V. n.° 808. et seq. et 1016. (*Miss. et Cærem.*)

1048. *Ad Aspersionem.* In diebus Dominicis cum Aqua benedicta fuerit aspergenda, Diaconus Alba indutus et Manipulo, et Stola humero sinistro superposita tantum, si non sit facienda Processio, alioquin etiam Dalmatica indutus, Hora præcedente Missam finita (V. n.° 819.), post Subdiaconum accedat ad Altare, capite cooperto; ubi cum pervenerit, stans a dextris Sacerdotis simul cum ipso profunde inclinet, vel genuflectat. (V. n.° 829.)

1049. Quo facto, caput discooperiat, et aspersorium

de manu Acolythi acceptum, Aqua intinctum porrigat Sacerdoti osculando ejus manum. Capite inclinatus Aquam benedictam accipiat, stetque in suo loco dum Sacerdos perficit aspersionem. (*Ord.*) Finita Antiphona, teneat librum ante Sacerdotem ad dicendos Versus et Orationem. Quibus expletis, cooperiat caput, et facta ut prius reverentia ad Altare, in Sacristiam eodem ordine revertatur. (*Miss.*) Si facienda sit Processio V. n.° 1077.

## §. II. Ab ingressu ad Altare usque ad Evangelium.

1050. *In incœptione Missæ.* Incœpto a Choro post Introitum *Gloria Patri*, vel Versu si *Gloria Patri* non dicitur, Diaconus indutus ut supra 1016, cooperto capite cum Caputio et Amictu (V. n.° 819.) post Subdiaconum procedat ad Altare, Missale coram se deferens pectori appodiatum, sinistra manu supposita, et dextera librum tenendo. Accedens autem ante Altare, stansque ante illud ad dexteram Sacerdotis in aliqua distantia ante infimum gradum, cum eo profunde inclinet vel genuflectat, (V. n.° 829.) et deposito Missali caput discooperiat.

1051. Deinde una cum Celebrante dicente : *In nomine Patris*, etc., signet se a fronte ad pectus et humeros, et respondeat intelligibili voce cum Ministris, ad *Confitemini*, etc. : *Quoniam in sæculum*, etc. Dum dicitur *Confiteor* profunde inclinatus maneat, respondens mediocri voce : *Misereatur*, etc., *Confiteor*, etc. Confessione facta et absolutione, se erigat, et dicto *Adjutorium*, etc., respondeat : *Qui fecit cœlum*, etc. Deinde ascendens cum Sacerdote ad Altare ponat Missale super pulvinar in cornu Epistolæ illudque aperiat.

1052. *Ad Introitum.* Adveniente Sacerdote, Diaconus

ostendat ei Introitum, « et etiam toties, quoties oportuerit, folia vertere et Sacerdoti dicenda ostendere » debebit. Stans a dextris Sacerdotis (in gradu proxime inferiori) dicat cum Celebrante Introitum, et » *Kyrie eleison* alternatim. Deinde post Sacerdotem » ordinet se Diaconus. Si vero Dominica, vel Duplex » et supra fuerit, poterit ire sessum cum Sacerdote » tali servato ordine » ut facta inclinatione profunda infra gradus, primum Sacerdotem ad sedes reverenter collocet, deinde ad ejus sinistram sedeat, manibus appodiatis super mappulam super sua genua extensam. Qua ad ultimum *Kyrie* ablata, surgant omnes. ad Altare redeant et ante illud inclinent profunde.

1053. *Ad Gloria in excelsis.* Postquam Sacerdos ascenderit ad Altare, Diaconus ordinet se post ipsum in gradu proxime inferiori ; inchoato Hymno *Gloria in excelsis* inclinet caput ; deinde ad cornu Epistolæ una cum Sacerdote veniens, prosequatur incœptum *Gloria* cum eo, stans a dextris ejus. (V. n.° 826.) « Quo dicto, Diaconus stet retro Sacerdotem, donec Conventus compleverit illud.

1054. *Ad Orationem.* Dum Sacerdos conversus ad populum dicit *Dominus vobiscum*, « Diaconus non » flexis genibus nisi Episcopus celebraverit, leviter » Casulam per inferiorem elevet extremitatem, et ita » tenendo Casulam cum Sacerdote pergat ad librum, » et eidem Orationem dicendam ostendat : quod etiam » faciet ad Offertorium, *Orate Fratres,* et Postcommu- » nionem. Si vero Sacerdos non dicat *Dominus vo-* » *biscum* in cornu Epistolæ, Diaconus eum sequatur ad medium Altaris, levet Casulam ut supra, (V. n.° 845. et 846.) et similiter pergat ad librum. (*Miss.*) Dicto *Dominus vobiscum*, mediocri voce respondeat : *Et cum*, etc. Quod similiter faciet quandocumque aliquid dicitur a Sacerdote ad quod erit respondendum. (*Cærem.*)

1055. Si Missa fuerit de Feria infra Quadragesimam, Diaconus post *Oremus*, flectendo utrumque genu cum aliis inferioribus Ministris, dicat clara voce, cum cantu : *Flectamus genua;* et surgendo, immediate dicat : *Levate.* Et cum plures Orationes dicendæ sunt, singulas digito ostendat, stans e cornu Altaris. Quibus finitis « et responso a Choro » *Amen*, Sacerdos et Diaconus ad medium Altaris » euntes usque ad infimum gradum descendant, et » facta simul inclinatione profunda, ad sedes va» dant. Sacerdotem vero Diaconus et alter Acoly» thorum adstantes in sede sua reverenter una » collocent; et Acolythus, vel ipsemet Diaconus, si » desit Acolythus, aliquam super ejus genua ut su» pra, superponat mappulam. » Si fuerint legendæ Prophetiæ, Diaconus tradito Missali Acolytho post Orationem sessum eat eodem modo, et ad Lectionem, etc., similiter se gerat ac infra n.° 1057. ad Epistolam. Et cum sequens Oratio fuerit dicenda revertatur ad Altare. Quod similiter faciet quoties hujusmodi Lectio erit legenda. (*Ex Miss.*)

1056. *Ad Epistolam.* Quo facto, ante medium Altaris rediens (V. n.° 830.), e cornu Epistolæ ablutis primo digitis, ministrante Acolytho, accipiat Bursam e qua extrahat Corporale quod in medio Altaris totum explicet reverenter, postea Missale accipiens, tradat ipsum Acolytho e cornu Epistolæ, et cum eo sessum veniat (V. n.° 830.) ut prius.

1057. Tunc, si desit Acolythus, stans Diaconus teneat librum coram Sacerdote. Si vero adsit alter Acolythorum, Diaconus sedeat, mappula super ejus genua extensa, et audiat Epistolam lectam a Sacerdote. « Deinde quæ de Responsorio, vel *Alleluia*, Tractu, vel » Sequentia dicenda sunt, per Versus a Sacerdote et » Diacono alternatim dicantur, incipiente Sacerdote. » Quibus dictis surgant; » ad Evangelium Diaconus

respondeat, et signet se cum Sacerdote signo Crucis in initio et in fine ut infra n.° 1060; deinde manibus junctis audiat Evangelium.

1058. Quo dicto, sedeat. Accedente autem Subdiacono ad Calicem præparandum, Diaconus accipiat ab eo Patenam cum Hostia et Palla, et eam Sacerdoti exhibeat. Dicto a Subdiacono ad Benedictionem aquæ : *Benedicite*, Diaconus respondeat : *Dominus;* deinde Patenam cum Hostia et Palla Subdiacono reddat super Calicem reponendam et mappa cooperiendam.

### §. III. Ab Evangelio usque ad consecrationem.

1059. *Ad Evangelium.* Circa finem *Alleluia*, vel Tractus, vel Sequentiæ, petita a Thuriferario Benedictione incensi, « mox surgat Diaconus, et accipiens ambabus manibus librum Evangeliorum, inclinatus parum corpore coram Sacerdote, dicat : *Jube Domne benedicere;* et data Benedictione respondeat : *Amen.*» In Missis autem Defunctorum, et cum Passiones leguntur hæc Benedictio non petitur. Facta ad Altare inclinatione profunda cum Sacerdote, Diaconus ultimo procedat ad pulpitum Evangelii, « librum Evangeliorum reclinatum supra pectus deferens secundum modum supradictum. Pulpitum autem erit præparatum ad cornu Evangelii, in loco parum eminenti versus aquilonem. In Conventibus tamen in quibus fuerit pulpitum retro Chorum, vel alibi in loco superiori, legetur Evangelium super illud, diebus Dominicis, et Festis Duplicibus et supra. Et si fuerit ita depositum ut eundo ad illud transeant per Chorum, Diaconus vadat per Chorum dextrum, redeundo vero juxta sinistrum. » (*Miss.*)

1060. Postquam autem ad Pulpitum pervenerit,

Diaconus aperto libro dicat : *Dominus vobiscum*, manibus junctis ante pectus. Responso *Et cum spiritu tuo*, cum subjungit : « *Sequentia*, vel *Initium* » *Sancti Evangelii*, etc., faciat unam Crucem super » Evangelii principium cum pollice, et etiam super » frontem, aliam super os, et aliam super pectus ; » deinde signet se totum a fronte ad pectus et humeros signo Crucis. Postea accepto thuribulo de manu » Subdiaconi ter librum Evangelii thurificet ; reddito » thuribulo et junctis manibus ante pectus prosequatur Evangelium, et ipso finito munire se debet » signo Crucis, a capite usque ad pectus et humeros : » (*Ibid.*)

1061. Deinde « tradat Diaconus librum apertum » Subdiacono cum pulvinari, et revertantur ad Altare » eo ordine quo venerunt ; » ubi cum pervenerint, absque ulla inclinatione ascendant ad Altare, et Subdiacono offerente librum Sacerdoti ad osculandum, « Diaconus ei cum digito Evangelium demonstret » (nisi pro Defunctis celebretur vel Passio fuerit lecta) : et Sacerdos pollice signans Evangelium lectum » signo Crucis, dicat deosculando illud : *Per Evangelica*, etc., et Diaconus respondeat : *Amen*. Post eum » Diaconus osculetur. » (*Ibid.*)

1062. *Ad Credo.* « Diaconus stans ad sinistram Sacerdotis ad cornu Evangelii *Credo in unum Deum* » prosequatur submissa voce » , et cum dicit *Jesum Christum, et ex Maria Virgine* caput tantummodo inclinet. Quo dicto, ad medium Altaris accedat ; « et cum » Chorus pervenerit ad illa verba : *Et incarnatus est*, » etc., Diaconus et Subdiaconus hinc et inde in primo » gradu Altaris post Sacerdotem flectant genua. » Postmodum surgens, stabit post Sacerdotem in medio Altaris. « Cum autem in *Credo* dicuntur illa verba : » *Simul adoratur*, etc. debet caput inclinare. » (*Ibid.*)

1063. *Ad Offertorium.* « Finito vero *Credo*, vel Evan-

» gelio, si *Credo* non dicitur, dum Sacerdos dicit : *Domi-*
» *nus vobiscum*, Diaconus Casulam elevet ut supra ;
» dictoque *Oremus*, (V. n.° 822.) Diaconus ad cornu
» Evangelii similiter pergens, prosequatur Offertorium
» cum Sacerdote stans ad sinistram ejus.

Quo dicto, (V. n.° 822.) ad cornu Epistolæ transiens ad dexteram Sacerdotis, Calicem de manu Subdiaconi accipiat, « ac tenendo eum per inferiorem partem pe-
» dis, Sacerdoti offerat, osculando manum ejus, (nisi
» SS. Sacramentum sit expositum) et dicat : *Immola*
» *Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua.* »
(*Ibid.*)

1064. *Ad Thurificationem.* Dum autem Sacerdos facit oblationem, « Diaconus sumptum thus de vasculo
» in quo servatur offerat in cochleari Sacerdoti ad
» benedicendum : quo facto, ponat ipsum Diaconus
» in thuribulo, et assumptum thuribulum tradat sta-
» tim Sacerdoti, manum ipsius osculando, (si SS. Sa-
» cramentum non sit expositum). Interea, dum Sa-
» cerdos thurificat, Diaconus decenter Casulam ejus
» sublevet, ut expedite possit incensare, et cum Sa-
» cerdote inclinet profunde ad medium Altaris, (quod
» semper est servandum dum fit transitus ab uno
» latere ad aliud). » (V. n.° 832.) « Dum autem Sa-
» cerdos desierit thurificare, Diaconus thuribulum de
» manu ejus (eam osculando) accipiens (et stans in
» aliquo gradu inferiori) triplici ductu eum incenset,
» sublevando Casulam leviter manu sinistra, et dextera
» tenendo thuribulum ; postmodum illud reddat Thu-
» riferario. » (*Ibid.*)

1065. *Ad lotionem manuum.* « Dum Subdiaconus
» aquam super fundit, Diaconus accipiens linteolum
» vel manutergium ab Acolytho, illud porriget Sacer-
» doti ad manus abstergendas ; » deinde recipiat et reddat Acolytho. Procedente Sacerdote ad medium Altaris, simul progrediatur Diaconus, (V. n.° 822.) et

stet retro eum. Dum autem Sacerdos se vertit ad populum dicens : *Orate Fratres*, Diaconus Casulam elevet, ut supra dictum est; postea Missale appropinquet, Orationesque Secretas Sacerdoti indicet. « Tem- » pore quoque muscarum, debet eas Diaconus fla- » bello amovere, ne molestent Sacerdotem, et abigere » a Sacrificio. (1) » (*Ibid.*)

1066. *Ad Præfationem.* Dictis a Sacerdote illis verbis : *Sursum corda*, Diaconus ascendat ad supremum gradum Altaris in cornu Evangelii, verso vultu ad Subdiaconum in alia parte existentem, manibus junctis ante pectus, et ad verba *Gratias agamus*, etc. caput inclinet (V. n.° 826); postea fere respiciens Subdiaconum seu versus ad Thuriferarium, paululum inclinet caput dum thurificatur, et Acolythis incensatis, retro Sacerdotem iterum se collocet (V. n.° 751.) (*Ibid.*)

1067. *Ad Sanctus.* « Deinde dicta Præfatione cum » ventum fuerit ad *supplici confessione,* » Diaconus stans ut prius super supremum gradum Altaris ad cornu Evangelii verso vultu ad Subdiaconum, dicat cum Sacerdote : « *Sanctus, Sanctus,* etc., et ad *Benedi-* » *ctus qui venit* muniat se signo Crucis a capite ad pe- » ctus et humeros. (*Ibid.* 20.)

1068. « Tunc si Dominica fuerit, vel Festum Sim- » plex aut majus, vel Octava Solemnis, aut dies Octava » Simplicium Octavarum, aut Festum Votivum infra hebdomadam, Diaconus ad dexteram Sacerdotis transiens (V. n.° 822.) Patenam sumat, et tradat Subdiacono, et cooperiat eam velo Calicis, vel mappam replicet super eam. Deinde attendat ad folia vertenda dum Sacerdos dicit Canonem. (*Ibid.*)

## §. IV. A consecratione usque ad finem Missæ.

1069. *Ad consecrationem.* « Interim dum Sacerdos » profert verba consecrationis, Diaconus a dextris Sa» cerdotis flectat genua super supremum gradum Al» taris, et sic stet a tempore elevationis usque post» Sanguinis consecrationem et elevationem. Et in die» bus, in quibus ministratur incensum, Diaconus ac» cipiat thuribulum a Thuriferario, (vel ab uno Aco» lythorum ubi sunt pauci Fratres) et incenset con» tinue in elevatione Corporis et Sanguinis; postea » reddat thuribulum Thuriferario, » et stet erectus retro Sacerdotem. (*Ibid.*)

1070. *Post Pater noster.* « Dum vero Sacerdos dicit » *Et ne nos*, etc. Diaconus cum aliis Ministris respon» deat submissa voce : *Sed libera nos*, etc.; et tunc » Patenam recipiet manu nuda a Subdiacono, ac tra» dat Sacerdoti, quando dicturus est : *Da propitius pa» cem*; et cum tradit eam ipsius humerum osculetur, » (nisi Corpus Christi fuerit expositum super Altare.) » Quando vero Subdiaconus Patenam non tenuerit, » nihilominus Diaconus post *Pater noster*, ut dictum » est, eam accipiet de Altari et prædicto modo offerat » Sacerdoti. » (*Ibid.*)

1071. *Ad Agnus Dei.* « Postquam autem Sacerdos » dixerit : *Pax Domini*, etc., Diaconus stans super su» premum gradum Altaris ad cornu Evangelii et re» spiciens Subdiaconum, dicat cum Sacerdote et Mi» nistris : *Agnus Dei*, etc. Dicto a Sacerdote *Hæc sa» crosancta*, etc., Diaconus Patenam vel aliquam san» ctam Imaginem (quæ *Pax* communiter dicitur) ei » illico porrigat osculandam, (quod non faciet triduo » ante Pascha, et in Missis Defunctorum) » quam et ipse similiter osculetur. « Deinde det eamdem Sub» diacono osculandam » dicens : *Pax tibi et Ecclesiæ sanctæ Dei.* Tunc stet in loco suo. (*Ibid.*)

1072. *Ad Communionem.* Postquam Sacerdos communicaverit, Diaconus Missale deferat ad cornu Epistolæ, a quo deinde paululum secedat ut det locum Sacerdoti venienti ad ablutiones, mox digitos abluat, ministrante Acolytho ; et dum Sacerdos sumit secundam ablutionem , Diacònus Corporale plicet et reponat in Bursam. Deinde simul ad cornu Epistolæ progrediens , ad ejus dexteram stans, Communionem, quam digito præmonstravit , dicat cum eo. (*Ibid. et Ord.*)

1073. *Ad Postcommunionem.* « Postmodum, Sacer» dos dicat *Dominus vobiscum*, et Diaconus elevet Ca» sulam ut prius, » et Orationes ei ostendat more solito. « Quando autem Missa erit de Feria in Qua» dragesima , post omnes Memorias, dicto a Sacer» dote inclinante caput cum aliis Ministris : *Oremus*, » subjungat Diaconus clara voce : *Humiliate capita* » *vestra Deo.* Ad ultimum *Per Dominum* cum Sacerdote, clauso prius Missali, ad medium Altaris procedat. (*Ibid. et alibi*) (V. n.° 822.)

1074. *Ad Ite Missa est.* « Cum Sacerdos ad dicendum » *Dominus vobiscum* se vertit ad Conventum, Diaco» nus similiter se vertat, et dicat : *Ite Missa est*, si » *Gloria in excelsis* præcesserit : alioquin Diaconus non » se vertat ad Conventum, sed versa facie ad Altare, » dicat : *Benedicamus Domino;* vel *Requiescant in pace*, » si Missa fuerit de mortuis. Tantum vero stet versus » ad Conventum, quamdiu dicitur *Ite Missa est;* dein» de se vertat ad Altare, non se girando. » (V. n.° 846. 855.)

1075. *In fine Missæ.* « Interim, postquam Sacerdos » dederit Benedictionem, ad quam Ministri debent ca» put inclinare, senior Acolythorum Missale tradat » Diacono, qui, si legatur Evangelium proprium, illum ponat super pulvinar, et aperiat ad locum Evangelii illumque ostendat Sacerdoti, « Dum autem

» legitur Evangelium, Diaconus stet ad sinistram Sa-» cerdotis pro illo audiendo. » Ad *Dominus vobiscum*, et *Initium*, etc., respondeat, et signet se in initio et in fine ; et dum dicitur : *Et Verbum caro factum est* dexterum genu flectat. Evangelio dicto, inclinet caput ad Crucem in medio cum Sacerdote, se cooperiat, et facta infra gradus cum aliis Ministris « inclinatione pro-» funda, vel genuflexione sicut in ingressu, redeant » omnes in Sacristiam eo ordine quo venerunt. (V. » n.° 819. et 810.). Tunc Ministri primo Sacerdotem » exuant, et se mutuo juvent ad exuendum. » (*Miss.*)

## §. V. De officio Diaconi in aliquibus circumstantiis.

1076. Attendat Diaconus ad ea quæ omitti debent in suo Officio certis diebus supra notatis. Videat insuper n.'' 1009, 1010, et 1011. Cum autem Missa solemnis fuerit celebranda coram SS. Sacramento patenter exposito, serventur actus reverentiales de quibus n.° 847. et seq. De officio Diaconi in sacra Communione, et in aliis functionibus propriis dicetur infra sub respectivis titulis (V. n.° 1317. et seq.)

1077. *In Processionibus*, quæ fiunt ante Missam, necnon in aliis solemnibus, adsit Diaconus, sericis indutus. Qui more solito ad Altare accedens, et ante illud stans ut in aspersione Aquæ benedictæ, semper ad dexteram Celebrantis assistat, tam in ingressu quam in Stationibus sacras Reliquias deferens. Dictaque Oratione in fine Processionis, eodem ordine ac in accessu ad Sacristiam revertatur.

1078. Si autem Processio fiat post Missam cum SS. Sacramento, facta Communione, Diaconus primo Sacerdotem adjuvet ad exponendam S. Hostiam in Ostensorio ; et finita Missa, thuribulum Sacerdoti ad incen-

sationem SS. Sacramenti porrigat; ante et post incensationem cum eo inclinans profunde; deinde cum debitis (V. n.° 858.) genuflexionibus SS. Sacramentum tradat Sacerdoti genuflexo super gradum supremum Altaris, et ipse confestim genuflexione illud adoret. Tunc stans ad dexteram Celebrantis, fimbrias Pluvialis elevatas teneat, et incedens sub Baldachino alternatim cum eo Psalmos et Hymnos submissa voce recitabit. In regressu, genuflexus ante Altare, SS. Sacramentum de manu Sacerdotis accipiat, statim surgat, et ipsum in medio Altaris super Corporale collocet; (V. n.° 858.) Deinde genuflexus in gradu in feriori, dum cantatur *Tantum ergo*, de thuribulo et libro ministret, cæteraque peragat ut dicitur n.° sequenti.

1079. *Ad Benedictionem SS. Sacramenti.* Si expositio SS. Sacramenti extra Missa fiat, Diaconus (nisi adsit aliquis Sacerdos ad hoc deputatus, Superpelliceo et Stola indutus) SS. Sacramentum ut supra in Ostensorio exponat, et in throno collocet, cum debitis genuflexionibus (V. n.° 858.). Deinde genuflexus in inferiori gradu Altaris, a dextris Celebrantis, thuribulum ut supra porrigat. (V. n.° 856.) Ad Orationes librum ministret, non tamen surgat cum Sacerdote. Cum dictum fuerit *Veneremur cernui*, omnibus inclinantibus, iterum thuribulum Sacerdoti porrigat, et similiter librum ad Orationem SS. Sacramenti. Ascendente autem Sacerdote ad Altare, poterit Diaconus ascendere cum eo, et genua flectet in supremo gradu Altaris dum impertitur Benedictio. Deinde (si desit alius) reponat SS. Sacramentum in Tabernaculo cum debitis genuflexionibus. Tunc, cooperto capite, et facta genuflexione, in Sacristiam revertatur more solito.

# CAPUT SECUNDUM

## DE SACERDOTE.

### IN V. ART. DIVISUM.

ART. I. De officio Sacerdotis in Choro, seu Hebdomadarii.
II. De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.
III. De officio Sacerdotis in Missa privata.
IV. De officio Sacerdotis in Missa majori.
V. De Sacra Communione.

---

## ARTICULUS I.

### DE OFFICIO SACERDOTIS IN CHORO, SEU HEBDOMADARII.

#### §. I. De officio Hebdomadarii.

1080. « Munus Hebdomadarii non oneris, sed honoris potius est, quo qui fungitur primas et præcipuas agit in Officio divino partes, et cæteris quodammodo præest. » (*Bonon.* 1706.)

1081. « Hebdomadarii officium incipit in Sabbato in Vesperis et terminatur in sequenti Sabbato in Nona: præterquam in Quadragesima; tunc enim Hebdomadarius præcedentis hebdomadæ benedicit mensam et dicit Gratiarum actionem, licet subsequens He-

» bdomadarius jam fecerit Officium in Vesperis ante » prandium. » (*Collect.*)

1082. « Stare autem debet Hebdomadarius in ea » parte Chori in qua pendet Tabella Choralis Chori » index (V. n.° 639.) In Festis tamen Duplicibus et » supra, in quibus Vesperæ, Matutinæ, et Laudes in » parte dextera inchoari et finiri solent, si Chorus sit » in parte sinistra Hebdomadarius transit ad dexteram » ad faciendum in præfatis Horis Officium, nisi alius » fuerit designatus : finitisque Festivitatis Orationi- » bus, redit ad partem in qua est Tabella Choralis ad » dicendum Orationes post *Salve Regina*, *Pretiosa*, et » alias Horas, quæ etiam, in Festis Duplicibus et su- » pra, semper dici debent in ea parte ubi est Chorus. » (*Ibid.*)

1083. « Ad Hebdomadarii munus communiter at- » tinet Officium divinum, tam annuum diei quam » quotidianum B. M. Virginis, cum est obligationis, et » hebdomadale Defunctorum inchoare, » dicendo post signum ante singulas Horas Versum *Deus in adjutorium*, etc., et Versum præcedentem ad Matutinas et Laudes et Completorium; et similiter in Officio B. M. V. præmisso ℣. *Ave Maria*. (V. n.° 642. et seq. — 670. et seq.)

1084. Item ipsius est dicere ℣. *Et ne nos*, etc., in fine *Pater noster* post Versiculum in Nocturnis, et quoties dicendum fuerit;

— « Ante Lectiones in Matutinis et quoties præ- » cesserit *Jube Domne benedicere*, Benedictiones dare. Si » autem Hebdomadarius cantat nonam Lectionem » (quando videlicet ad eam notatus fuerit,) det Bene- » dictionem qui immediate est supra eum in Choro, » citra Prælatum. Si autem supra eum nullus sit » in Choro, det ille qui immediate est infra eum. » (*Collect.*)

1085. Item ad eum pertinet in Festis Duplicibus

et supra inchoare Antiphonam ante primum Psalmum, in Matutinis, Laudibus et Vesperis, nisi alius faciat Officium.

— « Item Capitula legere; »

— Item Responsorium in Vesperis, aut nonum, seu ultimum, Responsorium in Matutinis, cum fuerit designatus cantare;

— Item quovis die, etiam ad Officium Defunctorum,
» Antiphonas ad Cantica *Magnificat*, *Nunc dimittis* et
» *Benedictus* intonare, » et easdem Antiphonas in Festis Duplicibus et supra post *Magnificat* et *Benedictus* iterum inchoare.

1086. Item illius est « Altaria thurificare, » nisi alius fuerit notatus ad Officium. (V. n.° 1106.)

Item *Dominus vobiscum*, *Oremus* et Orationes seu Collectas tam diei quam Memoriarum dicere, cum debitis conclusionibus, et inclinatione capitis ad *Jesum Christum* in conclusione et quandocumque præscribitur in corpore Orationis. (V. n.° 848.)

— Item post Orationes dicere *Benedicamus Domino*, præterquam in Laudibus et Vesperis cum cantantur; si vero non cantentur Hebdomadarius etiam illud subjungit.

— Item in Officio Defunctorum post Orationes dicere *Requiescant in pace.*

1087. Item ad eum pertinet « Preces ad Horas » dicere, his diebus, et eo modo quo supra n.° 672. et seq.

— Item « ℣. *Pretiosa* et quæ sequuntur post Laudes,
» dicere, in Capitulo preces pro Benefactoribus per-
» solvere. »

— Item in terminatione Horarum Versiculos et Orationes dicere. (V. n.° 669.)

1088. Post Completorium, inchoare *Salve Regina*, si ei Cantor injunxerit; « et dum cantatur dicta
» Antiphona Aqua benedicta Fratres et populum asper-
» gere. » (V. n.° 683.)

— « Item post Completorium Litanias Sanctorum » recitare » (V. n.° 675.) et Orationem post Litanias B. M. V. cum dicuntur diebus Sabbatis dicere ; et similiter ad Processionem B. P. N. Dominici.

— Item « Fratribus in Choro Disciplinas feriales » dare » (V. n.° 679.)

— Item « mensam benedicere et gratias post mensam agere »

1089. Ad Hebdomadarium pariter spectat « Missam » Conventualem celebrare, » prout in Art. seqq. dicetur.

— Item « funera exequi » præterquam Fratrum Defunctorum, nam ad majorem Prælatum, si commode poterit, pertinent. »(*Collect. p.* 367.)

— Item « in Processionibus Officium facere » nisi ipse Prælatus, vel alius , ad prædicta notatus fuerit.

— Denique « quascumque alias Orationes ubi Fra» tres simul congregati fuerint, pro quacumque oc» currente occasione dicere, nisi aliter Prælato placue» rit aut notatum fuerit. » (*Ibid.*)

1090. « Item ad Hebdomadarium spectat (absenti» bus qui infra n.is 1102, 1103. et 1104. designantur) » signum facere in Choro pro Officio divino inchoan» do ; vel pro discessu Fratrum ex Choro, finito Offi» cio ; vel in Refectorio ante et post mensam : simili» ter, si absint qui n.° 1102. et 1103 notantur, dicere » *Confiteor* et *Misereatur* ad Primam et ad Completo» torium ; *Requiescant in pace* et *Adjutorium* post *Pre» tiosa ; Fidelium animæ* quoties opus fuerit ; et dare » Benedictionem Fratribus in fine Completorii dicen» do : *super nos*, non autem *super vos*, quod pertinet » tantum ad Prælatum. » (*Ibid.*)

1091. « Hebdomadarius (stans erectus, nisi aliter » notetur,) detectoque semper capite dicere debet quæ» cumque ex officio dicit, eaque devota capitis incli» natione in eam qua versus est partem terminare.

» Cum incipit Horas quascumque, dicit Capitulum, » Orationes quasvis, seu Horarum, seu post Horas, et » extra Horas, et post *Salve Regina*, ad Benedictionem » mensæ, Gratiarum actionem, Litanias Sanctorum, » stabit verso vultu ad Altare in Choro, extra Chorum » vero ad locum digniorem. » Similiter quando in Precibus (excepto Completorio et Prima) dicitur ℣. *Et ne nos*, surgit, eumque dicit erectus, versus ut supra.

1092. « At Versus *Pretiosa* cum sequentibus Versi- » bus et Orationibus, Versus *Et ne nos* ante Lectiones » in Matutinis, et in *Pretiosa*, Benedictiones quascum- » que, Versus *Adjutorium* et *Fidelium*, etc. (cum ad » ipsum spectabit) dicet versa facie ad Chorum opposi- » tum. Similiter Antiphonas intonat versus Chorum » oppositum, exceptis illis quæ cantantur ad Proces- » siones, quas intonat verso vultu ad Altare, vel » Crucem. » (*Ibid.*)

1093. « Ad *Pater noster* ac etiam *Credo*, quæ respe- » ctive solent dici immediate ante et post Horas, He- » domadarius maneat cum Choro inclinatus profunde, » vel prostratus pro tempore usque ad signum : » ad illa vero *Pater noster* in quibus dicitur Versus *Et ne nos*, dum dicit hunc Versum surgit, præterquam in Precibus ad Primam et Completorium. (*Ibid.*) Similiter manet inclinatus profunde vel prostratus dum dicitur totum *Confiteor*, etc., *Misereatur*, etc ; et generaliter Choro se conformet, præterquam ad cætera omnia quæ ipse solus dicere debet, ut supra.

## §. II. De eo qui facit Officium in Festis Duplicibus et supra.

1094. « In Festis Duplicibus et supra, si quis (V. » n.° 861.) notetur ad Officium loco Hebdomadarii, » debet ad utrasque Vesperas, Matutinum et Laudes » illius, Missamque Festivitatis ea facere, et dicere,

» quæ faceret et diceret Hebdomadarius : exceptis » *Pretiosa*, et Orationibus post *Salve Regina*, aliisque » extra Horas prædictas et Festi Officium dicendis. » (*Collect.*)

1095. « Ad illum autem qui notatur ad Officium » pertinet præfatas Horas incipere. (V. n.° 662.)

— « Invitatorium cantare, si fuerit notatus; (V. n.° « 647.)

— « Primam Antiphonam super Psalmos ad utrasque Vesperas, Matutinas et Laudes, aliasque ad » *Magnificat* et ad *Benedictus* (ante et post Cantica) intonare ;

— « Capitula et Orationes dicere ; (V. n.° 1086.)

— « Ad præfata Cantica *Magnificat* et *Benedictus* Altaria incensare ; (V. n.° 1106. et seq.)

— « Dare Benedictionem ante Lectionem in Matutinis ; et ultimam Lectionem legere ; (V. n.° 1084.)

— Responsorium in Vesperis et ultimum in Matutinis cantare, cum fuerit notatus ;

— « Versum ante Laudes cantare aut dicere ;

— « In die Festi benedicere mensam et gratias agere, » idque ad prandium tantum. » (*Collect.*)

1096. « Denique quandocumque dicitur in Rubricis » Prior faciat hoc vel illud, intelligendum est solum » quando ipse facit Officium ; quod si alius facit Officium loco ejus, quidquid de Priore dicitur de illo » qui facit Officium intelligitur : præterquam in absolutione Fratris qui fuerit inungendus. » (*Ord.*)

Modus autem faciendi prædicta, nec non cætera quæ ad munus Hebdomadarii, vel illius qui facit Officium spectant, requirantur tum in locis indicatis tum in Rubricis propriis, ubi in extenso de singulis dicitur.

## §. III. De munere illius qui præest in Choro.

1097. Ad ipsum pertinet (1) facere signum ante *Pater noster*, ad incipiendum divinum Officium, et alium signum post dictum *Pater* vel *Credo*; vel si non dicatur *Pater*, ad inchoationem Antiphonæ vel primi Psalmi signum dare : et hoc in singulis Horis, etiam si ipse deberet incipere Officium. (*Ex Collect.*)

1098. Debet dicere ℣. *Adjutorium nostrum*, sive in Choro, ad Completorium, sive post *Pretiosa*.

— Ipsius est etiam incipere *Confiteor*, tam in Prima quam in Completorio, et Benedictionem, post *Benedicamus* in fine Completorii dare.

— Ad illum spectat etiam dicere, cum gravitate et tali voce ut possit ab omnibus audiri, ℣. *Fidelium animæ* in terminatione Horarum, quoties dicendus fuerit (V. n.° 210.); infra *Pretiosa* post Commemorationem Defunctorum Ordinis nostri, Versum *Requiescant in pace* pronuntiare.

1099. — Item illius est signum facere, ut Fratres, in modum veniæ prostrati, surgant, sive in Choro, sive extra Chorum.

— Item, post *Pater noster*, facere signum ad incipiendum *Salve Regina*, in terminatione Horarum, et post ultimum *Pater noster*, aliud signum dare pro discessu Fratrum ex Choro.

— Item ante Orationem mentalem, Antiphonam : *Veni, sancte Spiritus*, cum Versu et Oratione, et ea finita, *Agimus tibi gratias*, etc. de more, dicere.

1100. — In Capitulo (dicto *Requiescant in pace* ut

---

(1) Ubi est consuetudo dicendi « *O sacrum* » etc. ante Officium, solet incipere dictam Antiphonam, ac Versum et Orationem recitare. Similiter incipit Orationem *Aperi, Domine*. (V. n.° 670. cum Adnot.)

supra) subjungat *Benedicite* inclinans caput, et responso *Dominus*, dicat : *Recitentur beneficia*, etc. ; quibus recitatis, Orationem : *Retribuere* subjungat.

— Ipsius est etiam, cum faciendus est sermo, concionatorem vocare dicendo : *Surgat*, etc., et eidem Benedictionem impertire.

— Item, finito sermone, inchoare Psalmum *Laudate* et solvere Capitulum per : *Adjutorium*, etc.

1101. Item ad ipsum spectat dicere Psalmum *De profundis* ante mensam in atrio Refectorii, necnon signa, sive cum nola sive alia facere, tam in prandio quam in Cœna et in Collatione, et post Collationem dicere *Adjutorium*.

Item quoties oratio occurrit dicenda in Communi, ut Salutatio Angelica ter in die, ipsius est illam dicere, nisi ipse aliter disposuerit.

1102. Prædicta competunt personæ digniori, ut sequitur :

*A*. Magistro Generali in toto Ordine.

*B*. Priori Provinciali in sua Provincia, vel Vicario totius Provinciæ, vel Congregationis.

*C*. Priori Conventuali in suo Conventu, necnon Præsidenti in domo suæ jurisdictionis.

Prioribus autem actualibus Conventuum in alienis Conventibus absente Priore Conventuali, et Prioribus Provincialibus, in Conventibus alterius Provinciæ, absente Priore, seu Vicario ejusdem Provinciæ competit dicere : *Fidelium, Adjutorium*, ut supra n.° 1098, et alia hujusmodi, non autem signa facere, nec pulsare nolam, nec tenere Capitulum. (1).

---

(1) Quando Prior Conventualis aut Provincialis primum locum obtinet in Conventu, in quo jurisdictionem non habet, ipse debet in Refectorio habere locum nolæ, in Choro dicere *Confiteor*, *Adjutorium*, dare Benedictionem, in fine Horarum dicere *Fidelium*. (Const.)

1103. — *D.* Suppriores, in suis Conventibus tantum, absente vel amoto Priore, ea omnia, quæ ad Prælatos pertinent, adimplere debent, præterquam in Benedictione, post Completorium, in qua debent dicere : *Super nos*, loco : *Super vos.*

Præsente autem alieno Priore, signa tantum faciat, nolam in Refectorio pulset et Capitulo præsideat.

1104. *E.* Vicarius in capite Conventus, absentibus qui supra, omnia prædicta peragat, præterquam ea quæ n.° 1098. quæ tunc Hebdomadario competunt.

*F.* Eadem tribuuntur Vicario Prioris, vel Supprioris in capite amoto Priore.

1105. *G.* Absentibus omnibus qui supra, Hebdomadarius eorum vices gerit in prædictis, (præterquam in Capitulo;) quia « etsi non præsit cæteris loco, præest » tamen tunc temporis officio et auctoritate. » (*Constit.*) Et præsentibus Vicariis n.° præced. nihilominus quæ supra habentur n.° 1098, dicat.

## §. IV. De officio Sacerdotis in incensatione Altaris.

1106. « In Festis Duplicibus et supra, dum thurificanda sunt Altaria, (1) Prior vel ille qui facit Officium, vadat ad Sacristiam, intonata Antiphona ad » *Magnificat*, vel *Benedictus*, ibique, lotis manibus,

---

(1) Ordinarium modo absoluto sic ait : « In Festis Duplicibus et Totis Duplicibus, Thuriferarius et Cæroferarii ad Sacristiam vadant, etc. » — Particula « dum thurificanda sunt Altaria » quæ fuit in modernis Rubricis inserta, satis indicare videtur quod in omnibus et singulis Festis Duplicibus, Altaria non sint necessario thurificanda. In diebus tamen in quibus Prior aut alius notatur ad Officium, dicta thurificatio non erit omittenda, prout innuitur in textu; sed neque omittatur in omnibus Festis Totis Duplicibus, Duplicibus, quando Hebdomadarius Officium peragit, cum ad ipsum pertineat « Altaria thurificare. » (V. Litt. Mag. Ord.)

» Amictu, Superpelliceo, Stola et Cappa serica coloris diei indutus, præcedentibus Ministris, cooperto capite cum Caputio et Amictu, junctis manibus ante pectus, procedat graviter et modeste ad majus Altare. Cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, Sacerdos, medius inter duos Acolythos, in aliqua distantia ab invicem ante dictum gradum, cum Ministris simul profunde inclinet, vel genuflectat, dextro tantum genu si ibi fuerit SS. Sacramentum in Tabernaculo reclusum, et mox se erigens discooperiat caput. » (*Collect.*)

1107. « Accedente Thuriferario et dicente : *Benedicite*, » Sacerdos, facto signo Crucis super thus, dicat : *In nomine Patris et ✠ Filii et Spiritus sancti. ℟. Amen.* » Deinde, assumens thuribulum manu dextra, brevi intervallo e catenis suspensum, sinistra manu tenens catenarum extremitates, facta prius inclinatione profunda, vel genuflexione super gradum Altaris, ascendat ad Altare, factaque in medio profunda inclinatione, Tabernaculum Corporis Christi, si fuerit super Altare, ter incenset, vel Crucem, si non fuerit; non vibrando in altum thuribulum, sed modice demissa cum thuribulo manu, modiceque subinde elevata, ita ut manus nunquam super humeros attollantur.

1108. « Deinde inclinando profunde ad medium Altaris (quod semper est servandum, dum fit transitus ab uno latere Altaris ad aliud) thurificet dexteram superioremque partem Altaris, versus candelabra ter ducens thuribulum, æquali distantia, a medio usque ad cornu Epistolæ procedens; hinc, demissa manu cum thuribulo, sine thurificatione revertitur ad medium Altaris, ex quo procedendo, thurificet aliud latus, eodem modo, usque ad cornu Evangelii. » Deinde incenset anteriorem partem, seu frontem Altaris, similiter, triplici ductu, procedendo a cornu

» Evangelii ad medium ; postea etiam, triplici ductu, » reliquam anteriorem partem a medio usque ad cornu Epistolæ.

1109. « Si in Altari Reliquiæ, sive Imagines Sanctorum fuerint, incensato, ut supra, Tabernaculo, vel » Cruce, et facta ei inclinatione capitis, priusquam » Sacerdos discedat a medio Altaris, incenset eas, quæ » sunt ex parte Evangelii prope Crucem, bis ducens » thuribulum ; et, iterum facta Tabernaculo aut Cruci » reverentia, ut prius, similiter incensabit alias, quæ » sunt ex parte Epistolæ. » Si fuerit unica Imago vel Reliquia super Altare, Sacerdos eam incenset pariter duplici ductu. « Quo facto, incensationem Altaris prosequitur, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, quamvis in eo plures Reliquiæ aut » Imagines essent, sive etiam plura aut pauciora candelabra. »

1110. « Si SS. Corpus Christi publice esset expositum, tunc in ingressu ad Altare sicut et in recessu » ab eodem debet utrumque genuflectere, et » (thure similiter benedicto, necnon incensatis oblatis infra Missam), « in supremo gradu Altaris utrumque genu » flectens, Corpus Christi incenset eodem modo, inclinando caput profunde ante et post incensationem, » ipsi Sacramento ; deinde erectus, incensabit Altare, » (non autem Crucem), ut supra, dexterum genu flectens quoties pertransibit per medium Altaris. »

1111. » Peracta thurificatione, Sacerdos osculetur » Altare in medio, et reddito thuribulo Thuriferario, » factaque inclinatione profunda vel genuflexione, ut » supra, post thurificationem majoris Altaris, si fuerit » Festum alicujus Sancti, qui habet Altare aliquod de » minoribus in Ecclesia, thurificet etiam illud ; alias » autem nunquam thurificentur minora Altaria. »

1112. « Peracta thurificatione unius, vel, pro tempore, utriusque supradicti Altaris, eodem quo ve-

» nerat ordine (si adhuc suppetit tempus) eat ad Cho-
» rum per eam partem, quæ sibi est a dextris, præce-
» dente Thuriferario et uno Acolythorum. Tunc,
» facta prius inclinatione profunda in medio Chori
» prope suam sedem, eat sessum in sede Prioris, in
» parte dextra; vel si adsit Magister Ordinis, sedeat
» in sinistra, vel etiam in sede media inter utrumque
» Chorum. »

1113. « Si faciens Officium sit Hebdomadarius, vel
» aliquis Prælatus quo aliquis major est in Choro de-
» xtro, tunc Prælatus ille major (adveniente cum Mi-
» nistris illo qui facit Officium Cappa serica indutus)
» debet ei cedere locum, et se transferre de Choro
» dextro ad sinistrum, ita ut quicumque fecerit Offi-
» cium semper sit in sede Prioris modo supra dicto. »

1114. Dum autem incensatur, surgat et paululum inclinet caput. (*Ex Miss.*)

« Inchoata iterum post *Magnificat* vel *Benedictus* Anti-
» phona, et, appropinquante fine illius, Sacerdos faciens
» Officium per aliam partem Chori, quæ est sibi a de-
» xtris, præcedentibus Acolythis, accedat ad pulpitum
» (in medio Chori, *Ord.*)(V. n.° 470.), ubi præparatum
» est Collectarium, et dicat Orationem cum Memoriis,
» si faciendæ fuerint. » (*Collect.*)

Si vero non suppetit tempus eundi ad sedendum in Choro, Sacerdos, peracta thurificatione ut supra, directe veniat ad pulpitum (*Cærem.*), ubi incensatur a Thuriferario, et, intonata Antiphona, cantet Orationem eodem modo ac supra. (V. n.° 521).

1115. Dicto autem: *Dominus vobiscum*, post ultimam Orationem voce submissa sed intelligibili dicat: *Benedicamus Domino*, non expectans quod a Choro cantetur, et ab Acolythis responso *Deo gratias*, facta cum iisdem inclinatione profunda vel genuflexione, ut in accessu, revertatur ad Sacristiam, ad deponendas sacras vestes; quibus depositis, una cum Ministris genuflexus, dicat

Antiphonam : *Salve Regina* cum aliis ℣℣. et Orationibus quæ post Horas dicuntur, nisi alia Hora immediate sequatur. (*Cærem. C.*)

## ARTICULUS II.

## DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

1116. Sacerdos celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum desit. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, et ex parte formæ adhibendæ, et ex parte Ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et ordo sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii vero sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere. (*Miss. text.*)

### §. I. De Defectibus materiæ.

1117. Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, et vinum de vite : et ut hujusmodi materia consecranda, in actu consecrationis, sit coram Sacerdote. (V. n.is 498 et 499.)

*De Defectu panis.*

1118. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, sit admixtus granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioquin corru-

ptus, non conficitur Sacramentum. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur.

1119. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus; similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ, conficitur quidem, sed conficiens graviter peccat.

1120. Si Celebrans ante consecrationem advertit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desiit. Si id advertit post consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis : *Qui pridie quam pateretur*, et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis, et Sanguinis, vel aliis sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quam consecravit; quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.

1121. Advertendum autem, quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua : et facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie* : ac statim sumat utrumque, et Missam prosequatur, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.

1122. Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri : tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo : *Qui pridie quam pateretur*, facta ejus prius oblatione, ut supra, et illud animal, si capi potest, occidatur, et comburatur, et cineres ejiciantur in sacrarium vel sub Altari.

*De Defectu vini.*

1123. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei fuerit admixtum tantum aquæ, ut sit corruptum, non conficitur Sacramentum.

1124. Si vero cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum tunc de uvis expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

1125. Si Celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in Calice, debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis : « *Simili modo,* » etc.

1126. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis prædictis : « *Simili modo,* » etc.

1127. Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice : offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus : vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cætera.

1128. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur, quod supra, ac si deprehenderet, non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in Calice.

1129. Si autem Celebrans ante consecrationem Calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat; quia non est de necessitate Sacramenti.

1130. Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus, vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi: si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba, et signa, quæ pertinent ad speciem deficientem: Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit; ne imperfectum Sacrificium remaneat.

## §. II. De Defectibus formæ.

1131. Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem Consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc: *Hoc est enim Corpus meum*. Et: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Si quis aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis, et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione, verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si quis aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret.

1132. Si Celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacra-

menti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, et cætera prosequatur per ordinem.

1133. Si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem, sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

## §. III. De Defectibus Ministri.

1134. Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt : In primis intentio ; deinde dispositio animæ, dispositio corporis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quoad ea, quæ in ipso possunt occurrere.

### *De Defectu intentionis.*

1135. Si quis non intenderit conficere, sed delusorie aliquid agere.

1136. Item si aliquæ Hostiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, eæ non consecrantur, cum non intendat consecrare nisi quas videt.

1137. Item si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit, non consecrat, quia requiritur intentio determinata.

1138. Secus, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat : nam tunc omnes erunt consecratæ : atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

1139. Si Sacerdos putans se tenere unam Hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque.

1140. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquas aliquas relictas consecratas,eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant.

1141. Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat : si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat; vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice, seu patena decenter conservet, quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur : quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

1142. Si intentio non fit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sit tamen virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debeat Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

*De Defectibus dispositionis animæ.*

1143. Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem ordinum, quæ sibi erant interdicta.

1144. Si quis habens copiam Confessarii celebret in peccato mortali, graviter peccat.

1145. Si quis etiam in casu necessitatis, non habens copiam Confessarii, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat.

1146. Secus, si conteratur, debet tamen, cum primum poterit, confiteri.

1147. Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum propo-

sito confitendi, et satisfaciendi. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur, cum proposito petendi absolutionem : ante consecrationem autem, in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere.

*De Defectibus dispositionis corporis.*

1148. Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

1149. Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat : sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

1150. Si reliquiæ cibi remanentis in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

1151. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos super aliquod vas decens, et in ultima tantum percipiat digitorum ablutionem.

1152. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a communione, et celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem malam, sed eve-

nisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare, et celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

### §. IV. De Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus.

1153. Possunt etiam defectus occurrere in Ministerio ipso, si quid ex requisitis ad illud desit, quod ex pluribus capitibus provenire potest.

*De Defectibus circumstantiarum, loci et temporis.*

1154. Si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, aut Abbate facultatem habente.

1155. Si celebretur in Ecclesia interdicta, aut violata. Si vero, Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa : si post Canonem, non dimittatur.

1156. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur ; ante consecrationem dimittatur Missa ; post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

1157. Si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter.

*De Defectibus requisitorum ex parte Sacerdotis et Altaris.*

1158. Si Sacerdos celebrat, cum Matutinum cum Laudibus non dixerit.

1159. Si celebret cooperto capite sine dispensatione.

1160. Si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus.

1161. Si vestes sacerdotales, et mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio, hanc habente potestatem benedictæ.

1162. Si Pallæ, Purificatoria, et Corporalia non sint

munda et ab Episcopo, vel ab alio, hanc habente potestatem benedicta.

1163. Si celebret in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto.

1164. Si non adsit Calix consecratus cum Patena, conveniens; cujus cappa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, non ærea, vel vitrea.

1165. Si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam quam intendit dicere.

1166. Si non adsint luminaria cerea.

*De Defectu servitoris.*

1167. Si non adsit clericus, vel alius deserviens in Missa; vel adsit, qui inservire non debet, ut mulier.

*De Dĕfectu ex infirmitate Sacerdotis occurrente.*

1168. Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, prætermittatur Missa : si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, id accidat, Missa per alium Sacerdotem expleatur, ab eo loco, ubi ille desiit : et in casu necessitatis etiam per non jejunum.

1169. Si non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata; Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat.

1170. Si semiprolata forma Corporis, obiit Sacerdos; quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur.

1171. Si vero obierit, semiprolata forma Sanguinis, tunc alter similiter prosequatur Missam, et super eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco : « *Simili modo postquam cœnatum est,* » vel super alium Calicem præparatum integram formam proferre debet, et Hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se con-

secratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

1172. Si quis extra hujusmodi casus necessitatis, integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.

*De Defectu admixtionis alicujus nocivi in Calice, vel Hostia.*

1173. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, projiciat vinum subtus Altare, vel alium locum decentem, et aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat, ut supra, et prosequatur Missam.

1174. Si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino; finita Missa, comburat, et combustio, ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur: si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

1175. Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum, denuo consecrandum, et finita Missa, Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, done cspecies vini fuerint dessiccatæ, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur.

1176. Si aliquod venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram, facta oblatione, ut supra, consecret, et sumat modo, quo dictum est, et illa servetur in Tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, et corruptæ deinde mittantur in sacrarium, et animal captum occidatur, et comburatur, ut supra dictum est.

*De Defectibus fractionis Hostiæ aut congelationis Sanguinis.*

1177. Si Hostia ante Consecrationem inveniatur

fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur.

1178. Si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur : quod si illius Hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat.

1179. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

1180. Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, omittendo signa, et cæremonias, quæ solent fieri cum ipsa, et sumat simul Corpus cum Sanguine, dicens : *Corpus, et Sanguis,* etc. »

1181. Si, sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat.

1182. Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis ; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.

*De Defectibus effusionis Sanguinis aut casus Hostiæ.*

1183. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, vel tabulam, lingua lambatur ; et locus ipse radatur, quantum satis est, et abrasio comburatur ; cinis vero in sacrarium recondatur.

1184. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur.

1185. Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, Calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur.

1186. Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debent similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici.

1187. Si in substrato pedibus panno, vel tapete, ablui oportebit, ut supra.

1188. At si contingat totum Sanguinem post Consecrationem effundi; si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est supra.

1189. Si vero nihil omnino remansit; ponat iterum vinum, et aquam, et consecret ab eo loco : *Simili modo postquam cœnatum est;* facta prius tamen Calicis oblatione, saltem mentali, ut supra dictum est.

1190. Si Sacerdos evomat Eucharistiam; si species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat : tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur; et postea in sacrarium ponantur.

1191. Quod si species non appareant; comburatur vomitus, et cineres in sacrarium projiciantur :

192. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur; et locus, ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur; et pulvis, seu abrasio hujusmodi in sacrarium projiciatur.

1193. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum; mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

1194. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus, et cæremonias ipsas in eo servandas, de quibus omnibus in sequentibus Rubricis copiose dicetur.

## ARTICULUS III.

### DE OFFICIO SACERDOTIS IN MISSA PRIVATA.

1195. De uniformitate servanda in celebratione Missæ jam supra in litteris Magistri Ordinis dicitur. (n.° X.) Qua autem pietate, qua devotione, quo veritu, qua gravitate, quave modestia debeant Sacerdotes tremendum Altaris Sacrificium celebrare; quibusve pœnis qui negligenter aut minus accurate, vel celerius quam deceat ac oporteat sacra Mysteria peragerent subjiciantur, sæpius nos admonent Capitulorum generalium ordinationes.(*Rom.* 1694, *Bonon.* 1706 et 1748, *Rom.* 1756.) De ritibus, cæremoniis, ac Rubricis, in eo servandis prout in Missali. hic tantum agitur.

### §. I. De his quæ clara voce, mediocri aut secreto dicenda sunt in Missa.

1196. « *Clara et intelligibili voce* a Celebrante dicuntur » in principio Missæ : *In nomine Patris, et Filii*, etc.; » *Confitemini quoniam bonus.*

— « Introitus ; *Kyrie eleison ;* (totus Hymnus) *Gloria in excelsis ;*

— « *Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua ; Le-* » *vate ;* Oratio vel Orationes ;

— « Prophetiæ, seu Lectiones ante Epistolam ; Epistola ; Responsorium ; Versus *Alleluia ;* Tractus, Sequentia ;

— « Evangelium ; *Credo ;* Offertorium ;

— « Præfatio ; (usque ad *Sanctus* inclusive) ;

— « Hæc tria verba (in Canone) : *Nobis quoque peccatoribus.*

— « Item *Per omnia sæcula,* etc. cum *Pater noster.*

— « *Per omnia*, etc. cum *Pax Domini*, etc.

— « *Agnus Dei;* Communio ; Postcommunio ; *Humiliate capita vestra Deo;*

— *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace.*

1197. Prædicta vero « tali voce et adeo distincte » dicantur quod Sacerdos audiri, et a populo circum- » stante intelligi possit » (*Salmant.* 1551.) ; atque ita « in voce mediocritatem servet ne nimis alte clamando » conturbet alios celebrantes, vel nimis submisse di- » cendo non audiatur. » (*Ordin. De Miss. priv.*)

1198. *Mediocri voce* dicuntur, id est neque secreto neque clara voce : Confessio in principio Missæ, et *Adjutorium nostrum in nomine Domini;*

— « Hæc duo verba : *Orate Fratres ;*

— « Benedictio cum Evangelio in fine. (*Miss.*)

1199. « *Secreto* dicuntur alia omnia, ita ut Sacerdos » audiat tantum seipsum. » (*Ibid.*)

## §. II. Quomodo Sacerdos se præparare debeat ad Missam.

1200. « Omnes Sacerdotes legitime non impediti Mis- » sas suas quotidie celebrent. » (*Romæ* 1686.) « Prius- » quam autem ad Altare sacrificaturi accedant, sese » per aliquod tempus colligant, sacroque expleto debi- » tas Deo gratias agant. » (*Rom.* 1777.).

1201. « Cum Missam celebrare voluerit, suæ con- » scientiæ primo consulat, considerando si in aliquo » offenderit Deum et proximum suum. Postmodum, » prævia debita præparatione, confiteatur peccata sua, » antequam induat sacras vestes, Confessore sedente, » et ipso genuflexo, discooperto capite, ita ut mundus » ad Altare accedat (V. n.° 479.); et, peracta pœni- » tentia, orationi aliquantulum vacet, dicendo Ora- » tiones ad Missæ præparationem, in principio Missa- » lis positas, pro temporis opportunitate. » (*Miss.*)

1202. « Cum ad Sacristiam celebraturus advenerit, » Matutino saltem absoluto, invocato divino nomine, » quo hoc in opere quam maxime, si alias nunquam, » ipsi procul dubio opus est, accipiat Missale, perqui» rat Missam, perlegat, et signacula ordinet ad ea quæ » dicturus est. » (1).

1203. « Postea abluat diligenter manus et vultum (2) » dicendo : *Da, Domine, virtutem manibus meis, ad abster» gendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et » corporis valeam tibi servire. Amen.* Nec quidquam, » vel indecens, vel indecorum, ac minus comptum, ad » Missam audiendam adventantium aspectibus appa» reat. »

1204. « Deinde Calicem præparet, diligenter ipsum » extergendo Purificatorio mundo ad hoc præparato. » Purificatorium super os ejus ponat, et super illud » Patenam cum Hostia, quam ab omni scabritie dili» genter mundabit, ut non habeat quod indignum Sa» crificio judicetur, utpote non fracta, non referta » maculis, non perterebrata foraminibus. Ipsam parva » Palla, et Velo serico tegat; et super Velum ponat » bursam coloris paramentorum, intus habentem » Corporale plicatum tribus plicis in longum, et tribus » plicis in latum; Velique partem anteriorem super » bursam reducat. »

1205. « His ita dispositis, ad induendum sacras » vestes accedat » (quas in Sacristia et non ad Altare induere debet ; et similiter finita Missa revertatur ad Sacristiam, ut se sacris vestibus exuat) » (*Mediol.*

---

(1) « Omnes apponant diligentiam ut Missam bene prævideant. » (*Mediol.* 1505.) et in Ordinario legitur : « Prolixitatibus quæ solent » accidere in quærendo Collectas et alia, in eligendo Hostias, in » parando Calicem, et similibus astantes non fastidiat. » (*De Miss. priv.*)

(2) In *Cærem.* sic habetur : « Et etiam vultum *si opus sit.* »

» 1505. *et S. R. C. Decret.*) sit calceatus pedibus, et
» indutus vestibus omnibus albis Ordinis (1); et signo
» Crucis se muniens dicat : *In nomine Patris, et Filii et*
» *Spiritus sancti. Amen.* »

1206. « Deinde accipiens Amictum circa extremita-
» tes, et cordulas, Crucem in medio signando, eum
» osculetur (ubi facta est Crux), et, capite imponens,
» dicat : *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis,*
» *ad expugnandos omnes diabolicos incursus. Amen.* Illo
» caputium circumtegat, et cordulas in modum Crucis
» circumducens sub brachiis, ad cingulum firmet;
» aut, si longæ fuerint, circumducens per dorsum ante
» pectus reducat, ac liget, colloquens Deo per oratio-
» nes et sanctissimæ Passionis Christi meditationem. »

1207. « Deinde vestem Albam induturus, dicat :
» *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in Sanguine*
» *Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis. Amen.*

1208. « Insuper, Cingulo se cingens, duas tantum
» extremitates Cinguli demittat, ac dicat : *Præcinge*
» *me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis*
» *meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus conti-*
» *nentiæ et castitatis. Amen.*

1209. « Minister autem elevet Albam nimis longam
» super Cingulum circumcirca, ut honeste pendeat, et
» tegat vestes, ac ejus fimbrias diligenter aptet, ut ad
» latitudinem digiti, vel circiter, prope terram æqua-
» liter fluat.

1210. « Postea Manipulum exosculans in medio, ubi
» Crux posita esse debet, inducat sinistro brachio, di-
» cendo : *Merear, Domine portare Manipulum fletus et*
» *doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*
» *Amen.*

---

(1) « Inhibemus Fratribus nostris ne in posterum absque caputio albo » celebrare præsumant. » Sic statutum est in Glossa Constit. D. I. C. X. I. c. (*Romæ*. 1664.).

1211. « Præterea, Stolam, simili modo deosculando » ejus medium, collo imponat, dicendo : *Redde mihi,* » *Domine, obsecro, Stolam immortalitatis, quam perdidi* » *in prævaricatione primi parentis, et, quamvis indignus* » *accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gau-* » *dium sempiternum. Amen.*; ac, transversando eam ante » pectus in modum Crucis, ducat partem a sinistro » humero pendentem ad dexteram, et partem a dextro » humero pendentem ad sinistram, sicque, Cinguli » pendentibus extremitatibus ab utroque latere, Sto- » lam firmet.

1212. « Tandem Casulam decenter induat, dicendo : » *Domine, qui dixisti : jugum meum suave est, et onus* » *meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod con-* » *sequar tuam gratiam. Amen.*

1213. Calicem dehinc manu læva accipiens per no- » dum, infra Cuppam, altera manu bursam Corpora- » lis cum Velo reducto, et Patena teneat, ita quod » pollex Calicem tangat, reliqui autem digiti supra- » positi, Corporale et Patenam comprehendant, et sic, » reverentiam inclinato capite Cruci vel Imagini quæ » in Sacristia reperitur exhibendo, ad Altare, cooperto » capite Caputio et Amictu, oculis demissis, incessu » gravi, erectoque corpore, Deum gemitibus exorando, » progrediatur. (1)

1214. « Quod si interim ante Tabernaculum Sacra- » tissimi Christi Corporis transire contigerit, cooperto,

(1) « Nemini per viam caput detegat, et, si ei fiat obvius alius » Sacerdos, sacris vestibus indutus, ipsi caput inclinabit, debita totius » corporis compositione. » (*Cærem. C.*)

— « An Sacerdos pergens ad celebrandum, et Calicem manu sinistra portans possit ad januam Sacristiæ accipere Aquam benedictam, eaque se signare ? » — R. — « Si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat. » ( *S. R. C.* 27 *Martii* 1779.)

» ut dictum est, capite, dexterum genu flectat. » (V. n.° 841.).

« Si ante Altare, ubi celebratur Missa, contingat » elevari, tunc utrumque genu flectat, et, detecto ca» pite, illud adoret, neque antea surgat, quam Cele» brans deposuerit Calicem super Corporale. » (V. n.° 847.)

« Quod si in Altari patenter sit expositum, vel in » illo ministretur, pariter utrumque genu flectat, ac, » detecto capite, illud adoret, et mox se erigens, eo » modo, quo dictum est, incedere pergat. » (V.n.° 848.)

1215. « Cum vero ad Altare pervenerit, inclinatione » profunda, genibus non curvatis, ad medium ejus » facta, vel flexo unico genu (infra gradus ut in Missa » majori) si in eo sit Tabernaculum Sanctissimi Sacra» menti, vel utroque genu flexo (infra gradus) si sit » expositum, ascendat ad medium Altaris, et ibi, an» tequam Calicem imponat, eum mox versus cornu » Evangelii seponat, quo detur explicationi Corporalis » locus, quod, de bursa accipiens, reverenter explicet » in medio Altaris.

1216. Deinde, amoto Velo, et Palla, Patenam cum » Hostia super Corporale deponat, e Calice Purificato» rium auferens, juxta Corporalis partem dexteram in » longum extendat.

1217. « Deinde præparaturus Calicem, eum per me» dium nodi sinistra tenens, ampullam vini de manu » Ministri, dextera accipiens, parum vini infundat » (sed ab una parte *Miss. Maj.* 9.) Deinde porrigente » Ministro ampullam aquæ, et dicente : *Benedicite*, » signo Crucis ipsam consignet, dicendo : *In nomine* » *Patris*, etc. (quod non fit in Missa de *Requiem*). » Postea tantam quantitatem aquæ distillet in Calicem » (in medio *Ibid.*) quæ facillime tota possit in vinum » converti ; deinde Calicem Purificatorio abstergat, et, » sic præparato, Patenam cum Hostia imponat, et

» Palla Veloque cooperiat, et super Corporale in medio
» Altaris collocet. »

1218. « Ad Missale, super cussino ad cornu Epistolæ
» se conferat, aperiat et reperiat Missam ; quo facto,
» revertatur junctis ante pectus manibus, ad medium
» Altaris, et ibi ambabus manibus caput discooperiat,
» et Caputium decenter aptando, secreto ac humiliter
» orans, dicat : *Actiones nostras, quæsumus, Domine,*
» *aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta*
» *nostra operatio a Te semper incipiat et per Te cœpta*
» *finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* »

« Deinde attente ac devote ad Missæ celebrationem
» progrediatur. »

### §. III. A principio Missæ usque ad Evangelium.

1219. *In principio Missæ.* « Sacerdos, junctis mani-
» bus ante pectus, stans immediate infra supremum
» gradum, vel infra gradum, si fuerit unicus, ante
» medium Altaris, ibique facta inclinatione profunda
» (V. n.° 830.), incipiat clara et intelligibili voce : *In*
» *nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen,* »
» dextera manu signo Crucis se muniens a fronte usque
» ad pectus, et ab humero sinistro usque ad dexte-
» rum. »

1220. « Junctis manibus, eadem voce dicat : *Con-*
» *fitemini Domino quoniam bonus.* Minister respon-
» deat : *Quoniam in sæculum,* etc. Deinde Sacerdos, in-
» clinans profunde, genibus non curvatis , quod in
» similibus inclinationibus semper observetur (V. n.°
» 828.) junctis manibus ante pectus, voce mediocri di-
» cat : *Confiteor Deo,* etc. (V. n.° 214.). Pectus non
» tundat ad *Mea culpa.* Dicto a Ministro *Confiteor,*
» Sacerdos dicat : *Misereatur vestri,* etc. *Absolutionem* ,
» etc. Signum Crucis ne faciat, dicendo : *Absolu-*
» *tionem.*

1221. « Responso a Ministro : *Amen*, Sacerdos ere-
» ctus omnino, junctis manibus ante pectus, dicat :
» *Adjutorium nostrum*, etc.; sicque ad Altare procedat,
» et Minister respondeat : *Qui fecit*, etc. Inclinans pro-
» funde non ex transverso, sed directe versus Altare,
» junctis manibus, dicat : *Aufer a nobis*, etc., et dicen-
» do : *Per Christum*, signum ✠ pollice in medio Alta-
» ris formans, illud osculetur, extensis hinc et inde
» manibus, ac super Altare positis. »

1222. *Ad Introitum.* « Erectus ante Altaris medium,
» signans se signo Crucis, ut supra, dicat secreto :
» *In nomine Patris*, etc. Deinde, junctis manibus, ut
» prius, ad librum in cornu Epistolæ accedat; clara et
» intelligibili voce incipiat Introitum. Dicendo *Gloria*
» *Patri*, aliquantulum capite versus Crucem incli-
» nato, reverentiam exhibeat. Deinde repetat Introi-
» tum usque ad Versum exclusive. »

1223. « *Kyrie, eleison*, etc. dicat alternatim cum Mi-
» nistro. Dicto ultimo *Kyrie*, ad medium Altaris, si
» *Gloria* dicendum est, junctis manibus, pergat; sin
» minus, ibi ante librum consistat, et reliqua pro-
» sequatur. »

1224. *Ad Gloria in excelsis.* « In inchoatione Hymni
» *Gloria in excelsis*, manus extensas super Altare
» deponat, dicendo *Gloria in* ; elevet ad *Excelsis* ;
» jungat ad *Deo* ; mox, caput inclinans, revertatur
» ad cornu Epistolæ, et ibi prosequatur reliqua, legens
» in libro, junctis ante pectus manibus, caputque
» inclinet versus librum ad *Adoramus te* ; ad *Gratias*
» *agimus* ; ad *Jesu Christe* ; ad *Suscipe deprecationem*,
» etc.; ad *Jesu Christe*. »

1225. « Deinde, in eodem loco, vertat se ad popu-
» lum, a sinistro latere ad dexterum corporis, id est,
» per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ (exce-
» pto quando celebrat in Altari, in quo est SS. Eucha-
» ristiæ Sacramentum) (V. n.° 845.); manibus rectis,

» elevatis ut humeros non excedant (1); extensis ut a » retro videri queant; (quod in omni manuum eleva» tione et extensione observetur, nisi ad *Unde et* » *memores*;) dicat: *Dominus*, et manus conjungat, » dicendo: *Vobiscum*. Minister respondeat: *Et cum, etc.*

1226. « Deinde, reversus ad librum per idem latus, » manibus junctis, inclinans paululum caput versus » Crucem Altaris, dicat: *Oremus*. Aperiantur manus » dicendo Orationem: sicque, cum aliæ Memoriæ di» cendæ fuerint, faciat ad *Oremus* et ad Orationem, ut » modo diximus. Dicendo: *Per Dominum nostrum, etc.* » conjungat manus, ac reverentiam nomini Dei exhi» beat, capite versus Crucem Altaris paululum in» clinato. »

1227. « Si in Orationibus præmittendum sit, post » *Oremus*, *Flectamus genua*, (Minister respondeat: » *Levate*), accipiat utraque manu anteriorem partem » Casulæ, hinc et inde, et super Altare aptans, flectat » genua, (V. n.° 837.); moxque surgens, ut supra, » dicat Orationem.

1228. *Ad Epistolam.* « Cancellatis manibus super » librum, aut super Altare firmatis, legat Epistolam, » seu Lectionem. Dicendo ultima verba Epistolæ seu » Lectionis, elevet manus, et conjunctas teneat usque » ad Evangelii prolationem.

« Junctis itaque manibus ante pectus, dicat Re» sponsorium et *Alleluia*, vel Tractum, aut Sequen» tiam, pro tempore. »

1229. « Quibus finitis, Minister deferat Missale ad » cornu Evangelii, et Sacerdos, junctis manibus, eo

---

(1) Sic Ordinarium; « Prædicta autem manuum elevatio sic debet » fieri ut altitudinem humerorum Sacerdotis non excedat. Extensio » vero tanta sit ut retro stantibus manus appareant evidenter. » (*Lib.* 11. *De Offic.*)

» progrediatur, reverentiam exhibens Cruci, in me-
» dio Altaris, et dicens secreto : *Dominus sit in corde*
» *meo, etc.* (quod omittit in Missis Defunctorum, et
» quando legendæ sunt Passiones). Missale autem ita
» collocet, ut caput ipsius ad cornu Altaris respiciat. »

## §. IV. Ab Evangelio usque ad Canonem.

1230. *Ad Evangelium.* « Manus junctas Missali de-
» center imponat, et dicat *Dominus vobiscum.* Dicendo
» *Sequentia sancti Evangelii*, etc., Evangelio signum
» Crucis pollice dexteræ manus imprimat; deinde,
» responso a Ministro *Gloria tibi, Domine*, parvis
» signis Crucis pollice frontem, os et pectus signet;
» postea majori signo Crucis manu dextera se totum
» muniat, a fronte ad pectus et humeros.

1231. « Manus junctas iterum Missali imponat, et
» sic totum Evangelium prosequatur, excepto quando
» notatur flectere genu; nam tunc unicum genu fle-
» ctat versus librum, quod semper observet, dum in
» Evangelio erit genuflectendum. (Quando leguntur
» Passiones) (V. n.° 837). Cum autem Nomen Jesu vel
» Mariæ pronuntiat, inclinet caput. Ad finem Evan-
» gelii, majori Crucis signo se iterum signet. Deinde,
» Evangelium signans (1) Crucis signo, dicat secreto :
» *Per Evangelica dicta*, etc., Evangelium exosculando,
» præterquam in Missis Defunctorum et cum Passiones
» dicuntur. »

1232. *Ad Credo.* « Ad medium Altaris positis manibus
» et extensis super Altare, dicat : *Credo*; elevet ad
» *in unum*; conjungat ad *Deum*, et caput Cruci in-
» clinet; et statim revertatur ad cornu Evangelii; et
» ibi in libro reliqua prosequatur, manibus ante pectus
» junctis. »

---

(1) Ubi prius.

1233. « Caput inclinet versus librum ad *Dominum* » *Jesum Christum.* » Quando legit. *Et incarnatus est,* » veniat ad medium Altaris, et genua flectat (exten- » dens Casulam, ut supra dictum est ad *Flectamus* » *genua*); et dicto *Homo factus est*, surgat, et ma- » nus, ut prius, jungat, et revertatur statim ad li- » brum, reliqua perlecturus; ad verba *Simul adora-* » *tur*, caput inclinet; et dicendo *Et vitam venturi* » *sæculi. Amen*, signet se signo Crucis a fronte ad pe- » ctus et humeros.

1234. *Ad Offertorium*. « Post Evangelium, vel *Credo*, » ad medium Altaris veniens, et ad populum versus » aperiens et conjungens manus, ut ad primum, di- » cat : *Dominus vobiscum*, et per eamdem viam rever- » tatur ad medium. Tunc Sacerdos, apertis mani- » bus et elevatis, caput Cruci inclinans, incipiat : *Ore-* » *mus*, et ad ultimam syllabam, conjungat ante » pectus.

1235. « Manibus junctis vadat ad librum, et Offer- » torio dicto, librum appropinquans, ad medium Al- » taris regrediatur, manuque læva et dextera Velum » cum Palla a Calice levet, et ad latus Epistolæ se- » ponat et postea manus in Altare demittat, et dicat : » *Quid retribuam*, elevando ipsas, et ad *Domino*, *pro* » *omnibus quæ retribuit mihi*, conjungendo. » Hæc autem verba, cum ritibus annexis, omittuntur in Missis defunctorum.

1236. « Dicendo *Calicem salutaris accipiam*, etc., Ca- » licem cum Patena et Hostia supraposita accipiat » ambabus manibus, et elevatum super Corporale » usque ad pectus, manu dextera medium Calicis, læva » autem pedem tenens, dicat : *Suscipe, sancta Trini-* » *tas*, etc., intentis sursum ad Deum oculis. Dicto » *Ascendat*, deponat dextera super Corporale in me- » dio Calicem, et mox sinistra Patenam a Calice » levet, et dextera etiam Patenæ adhibita, Hostiam

» ante Calicis pedem demittat, taliter quod ipsum
» non tangat. Patenam ad dexteram Corporalis su-
» per medietatem Purificatorii et sub Corporali re-
» ponat. Deinde Palla Calicem cooperiat, junctisque
» illico manibus, et reverentia Cruci exhibita capite,
» ad abluendas manus ad cornu Epistolæ accedat,
» dicens : *Lavabo*, etc.

1237. « Lotis prioribus quatuor digitis et extersis,
» revertatur, junctis manibus ante pectus, ad medium
» Altaris ; quo cum pervenerit, incipiat : *In spiritu hu-*
» *militatis*, etc., inclinando se ad Altare profunde ; et
» dicendo *Et placeat tibi*, etc., erigat se. Digitis, quibus
» Corpus Domini tractaturus est, ne vertat folia, aut
» aliquid tangat. »

1238. *Ad Orate, fratres.* « Ad populum conversus,
» elevatis et extensis manibus, voce mediocri dicat :
» *Orate, fratres*, junctis manibus ante pectus, secreto
» prosequens : *ut meum*, etc. versus cornu Evangelii
» perficiens circulum, ad Missale revertatur. »

1239. « Junctis manibus, ut prius, dicat : *Domine*,
» *exaudi orationem meam, et clamor*, etc.; junctis item
» manibus, dicat : *Oremus*; tum apertis et extensis
» manibus ut supra, dicat Orationem Secretam, et
» ad *Jesum Christum* in Conclusione conjungat, ca-
» pite paululum inclinato. Quod si aliæ Memoriæ sint
» faciendæ, præmittat iterum ante primam Memoriam:
» *Oremus*, manibus junctis, et ad Orationem apertis.

1240. *Ad Præfationem.* « Quibus finitis, in medio
» Altaris stans, manibus super Altare hinc et inde de-
» missis, incipiat clara et intelligibili voce : *Per omnia*
» *sæcula*, etc. Minister respondeat : *Amen*. Manibus de-
» missis, ut antea, dicat : *Dominus vobiscum*; Mini-
» ster respondeat : *Et cum*, etc. Sacerdos elevet et
» extendat manus ad *Sursum corda*; Minister respon-
» deat : *Habemus*, etc. Deinde, dicendo *Gratias*
» *agamus*, etc., jungat manus, et inclinato capite

» Cruci, eas postea aperiat. Minister respondeat : » *Signum*, etc.

1241. « Manibus extensis et elevatis more solito, » dicat Præfationem communem, vel propriam, ut » dies requirit. Ad *Deprecamur*, conjungat manus » ante pectus, et junctis manibus ut prius, eadem voce » prosequatur : *Sanctus*, *Sanctus*, etc. Ad *Benedictus*, » signo Crucis se muniat a fronte ad pectus et hu- » meros. »

## §. V. De Canone usque post consecrationem.

1242. *Ad Canonem*. « Junctis manibus ante pectus, » et inclinando profunde, dicat : *Te igitur*; ad *uti*, » erigat se ; et ad *Benedicas*, demittat lævam super » Altare, et signet dextera manu totum Sacrificium, » tribus, (ut signatum est in Missali) Crucibus : nempe » tribus tantum prioribus digitis extensis, reliquis » inflexis versus palmam; et ad *In primis*, manibus » junctis ante pectus, prosequatur ; et ad *Papa*, ex- » primat nomen proprium Papæ. Sede vacante, omit- » tuntur prædicta verba. Ad *Antistite*, specificatur » nomen proprium Episcopi in propria diœcesi, et non » alterius Superioris. Et si vita functus fuerit, vel cum » celebratur Romæ, omittuntur prædicta verba. Ad » *Rege*, etc. exprimitur nomen in dominiis alicujus » Regis. »

1243. Item, manibus junctis ante pectus, dicat : » *Memento, Domine*, etc. Post *Tuarum*, junctis mani- » bus ut antea, oculis demissis, meminerit brevi mora » vivorum, quos Deo commendatos voluerit, hoc » modo : Patris, Matris, Fratrum, Sororum, Paren- » tum, Benefactorum, Superiorum, et secundum in- » tentionem eorum omnium, pro quibus orare tene- » tur; et hoc non verbis, sed mente tantum concipiatur, » posteaque reliqua prosequatur. »

1244. « *Communicantes* dicat, extensis et elevatis » de more manibus, et ad Nomen Mariæ et Jesu, » caput inclinet. Ad : *Per eumdem Christum*, etc. ma- » nus jungat, et inclinet caput. »

1245. « Manus extendens et elevans, dicat : *Hanc* » *igitur*, sicque cætera prosequatur. » (Ad *Per Christum* autem non jungit manus, neque inclinat )

« Ad *Quam oblationem*, sinistra super Altare demissa, » dexteræ tribus prioribus digitis extensis, ut supra » (n.° 1242.) Cruces faciat, tres priores super totum » Sacrificium, ad *bene*✝*dictam, adscri*✝*ptum, ra*✝*tum ;* et » alias duas, unam ad *Cor*✝*pus* super Hostiam tantum, » et alteram ad *Sangui*✝*nem* super Calicem tantum. »

« Ad *Jesu Christi* caput inclinet. »

1246. *Ad consecrationem Corporis.* « Ad *Qui pridie*, » extergat extremos pollices, et indices manuum super » Corporale ; ad *manus suas*, sinistræ manus indice » deprimat Hostiam, ut, altera parte elevata, a dextera » capi possit, indice et pollice, iisdemque utriusque » manus eam tenens ; ad *elevatis oculis*, oculos in cœ- » lum levet, et statim dimittat, et ad *bene* ✝ *dixit*, » sinistra retinens Hostiam, inter pollicem et indicem, » dexteræ tribus primis digitis extensis, ut supra, eam » simul signo Crucis signet, et verba prosequatur » usque ad *Accipite* : nam tunc iterum pollice et indice » dexteræ manus accipiet Hostiam.

1247. « Secreto, attente, devote, et continuate, et cum » summa reverentia, consecrationis Corporis verba » proferat : *Hoc est enim corpus meum*, non super Al- » tare procumbens, sed aliquantulum corpore incli- » nans ; quibus prolatis, Hostiam tenens super Al- » tare, inter pollices et indices utriusque manus, re- » liquis manuum digitis extensis, et simul junctis » genuflexus adoret ; moxque se erigens, eam am- » babus manibus elevet decenter, quantum commode » potest, ut a retro stantibus cerni possit, et intentis

» in eam semper oculis, populo adorandam offerat; ac
» sine mora reverenter deponens, prius auferat si-
» nistram manum, ac dextera Hostiam super Corporale
» collocet, ubi erat prius. Reposita Hostia consecrata
» super Corporale, genuflexus, iterum eam adoret »

1248. « Post hæc, pollicem et indicem utriusque
» manus conjungat, nec disjungat, (nisi quando Ho-
» stiam consecratam tangere vel tractare debet,) usque
» post ablutionem digitorum. »

1249. *Ad consecrationem Sanguinis.* « Ad *Simili modo*
» discooperiat Calicem, et illico digitos ambarum ma-
» nuum quibus Hostiam elevavit, leviter excutiat in
» Calicem, dicendo : *hunc præclarum; ad sanctas ac*
» *venerabiles manus suas*, accipiat Calicem dextera
» manu per medium, et sinistra per pedem; et ad *item*
» *tibi gratias agens* parum oculos et Calicem elevet, et
» statim deponat. »

« Ad *bene✝dixit*, sinistræ tribus extremis digitis firma-
» tis super pedem Calicis, dexteræ aliis tribus extremis
» digitis Crucem super Calicem a labio ad labium fa-
» ciat, prosequens verba, quæ sequuntur; et ad *Acci-*
» *pite*, accipiat dexteræ digitis, pollice et indice con-
» junctis a parte anteriori ; reliquis tribus a tergo,
» Calicis medium, quem parum versus se incurvans,
» ponat pollicem et indicem sinistræ manus super pe-
» dem Calicis, reliquos tres digitos subtus pedem, et
» sic retineat Calicem. »

1250. « Stans, inclinato capite, secreto, attente, con-
» tinuate, devote, ac reverenter proferat verba con-
» secrationis Sanguinis : *Hic est enim Calix*, etc. Quibus
» prolatis, reponat Calicem super Corporale, et genu-
» flexus Sanguinem reverenter adoret. Tum se eri-
» gens, Calicem discoopertum semper aspiciendo, am-
» babus manibus, ut prius, illum tenens, elevet, ut eum
» populus adoret; sic tamen ut pes Calicis caput Sacer-
» dotis non excedat. »

« Deponensque super Corporale in priori loco, dicat :
» *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*
» Et manu dextera palla eum cooperiat, ac genuflexus
» Sanguinem adoret. »

## §. VI. A consecratione usque ad communionem.

1251. *Post consecrationem.* « Ad *Unde et memores*, ex-
» tendat brachia plus solito, mediocriter tamen, us-
» quequo ad signa Crucis facienda deponere necesse
» sit. Dicendo *ac datis*, sinistram manum super Cor-
» porale ponat, et dextera, tribus extremis digitis ex-
» tensis, tres Cruces super totum Sacrificium faciat
» ad *Hostiam* ✝ *puram*, *Hostiam* ✝ *sanctam*, *Hostiam* ✝
» *immaculatam*; et ad : *Pa*✝ *nem* semel super Hostiam
» tantum ; et ad *Cali* ✝ *cem*, semel super Calicem tan-
» tum. »

1252. « Manibus elevatis et extensis, more solito
» brachia extendens, dicat : *Supra quæ.* Ad *Supplices,*
» inclinet profunde, cancellatis manibus ante pectus,
» brachio sinistro supposito dextero, et ad *ut quotquot*,
» incipiat paulatim se erigere, ut ad *Altaris*, possit ex-
» osculari dexteram partem Corporalis, brachiis adhuc
» cancellatis : quo facto, erigat se, et sinistram ma-
» num super Corporale reponat ; dextera vero ad
» *Cor* ✝ *pus,* Hostiam benedicat, et ad *San* ✝ *guinem,*
» Calicem ; etiam , ad *Bene* ✝ *dictione* , ante seipsum
» dextera a fronte ad pectus et humeros signum Crucis
» faciat, (sinistra posita infra pectus); non tamen se
» tangens, nec primis tribus digitis, quibus Sacrifi-
» cium signavit, sed pollice et indice clausis, tribus
» posterioribus digitis ; (1) ad *Per eumdem*, jungat
» manus ante pectus. »

---

(1) Ita editio authentica Missalis sub R^mo Mag° Cloche, et nova editio in 4°.

1253. « Manibus junctis ut prius, dicat : *Memento*
« *etiam*, et ad N. N. memoriam mortuorum, oculis in
» Sacrificium intentis, mente recolat, ut de vivorum
» memoria dictum est ; (V. n.° 1243.) et postea, apertis
» manibus, cætera dicat ; ad *Per eumdem*, jungat
» manus. »

1254. « *Nobis quoque peccatoribus* : hæc tria priora
» verba dicat clara et intelligibili voce, pectus leviter
» tundens dexteræ tribus ultimis digitis ; et manibus
» extensis ut prius, reliqua prosequatur. »

1255. « Ad *Bona creas*, sinistram manum super Altare
» demittat ; dexteræ extremis tribus digitis, ad *sancti* ✝
» *ficas*, *vivi* ✝ *ficas*, *bene* ✝ *dicis*, totum Sacrificium
» tribus vicibus signet ; Calicem discooperiat, et, dicto
» *præstas nobis*, genuflexus Sacramentum adoret, mox-
» que se erigat. Indice sinistræ manus Hostiam leviter
» deprimet, ut ex altera parte attollatur ; tunc pollice
» et indice dexteræ eam accipiat, et statim tribus po-
» sterioribus digitis sinistræ manus pedem Calicis super
» Altare firmet ; et dextera manu cum Hostia ad *Per* ✝
» *ipsum*, *et cum* ✝ *ipso*, *et in* ✝ *ipso*, tres Cruces super
» Calicem formet : primam exterius a labio ad labium ;
» secundam intra Calicem a labio ad labium ; tertiam
» profundius, quam secundam ; quartam vero ad *Deo*
» ✝ *Patri*, ante labium Calicis, in alto aliquantulum
» super Corporale ; qua facta, sinistram manum a pede
» Calicis reducat, et super Corporale collocet, et Cru-
» cem ad *Spiritus* ✝ *Sancti*, ante pedem calicis in imo
» signet ; qua facta, Hostiam, reverentia capite ali-
» quantulum ei exhibita, super Corporale reponat suo
» loco, non tamen populo ostendat ; et illis duobus di-
» gitis dexteræ super Calicem excussis, eumdem palla
» cooperiat, et genuflexus Sacramentum adoret. »

1256. *Ad Pater*. « Manus super Corporale hinc et
» inde extensas demittens, (intelligibili voce) dicat :
» *Per omnia sæcula*, etc.... Minister respondeat : *Amen*.

» Eodem modo manus tenens, dicat : *Oremus. Præce-
» ptis*, etc., et ad *Pater noster*, elevet manus, et ex-
» tendat more solito. Minister respondeat : *Sed libera
» nos*, etc... Sacerdos submissa voce dicat : *Amen*. »

1257. « Eadem voce prosequatur : *Libera nos*, ma-
» nibus ut prius extensis, et ad *Maria* inclinet caput. »
» Ad *da propitius*, demissa sinistra super Corporale,
» dextra accipiat Patenam inter indicem et medium
» digitum, et se signet cum ea tangendo frontem et
» pectus, deinde sinistram pectoris partem et dexteram;
» postea osculetur Patenam, et mox ipsam super Al-
» tare deponat seorsum a Corporali. »

1258. « Ad *et ab omni perturbatione securi*, manu
» dextera, pollice et indice non disjunctis, detegat Cali-
» cem et genuflexus Sacramentum adoret; tum se
» erigens, sinistræ indice leviter deprimat Hostiam,
» ut dexteræ indice et pollice capi possit; qua accepta,
» statim sinistræ tribus posterioribus digitis pedem
» Calicis teneat; dextera statim Hostiam super Ca-
» licem levet, ita ut etiam eadem manu Calix teneatur;
» tunc sinistræ manus pollice et indice Hostiam ac-
» cipiat; et incipiens *Per eumdem Dominum*, Hostiam
» decenter in duas partes, per medium a summo us-
» usque deorsum dividens, frangat, diligenter cavens
» ne digiti fracturas attingant. »

1259. « Ad *Qui tecum vivit*, illam mediam partem
» Hostiæ, quam dextera tenet, in transversum alteri
» supponat; de eadem etiam frangat cum pollice et in-
» dice dexteræ manus particulam, et sic partes te-
» nendo quasi junctas, dicat clara voce : *Per omnia
» sæcula*, etc. Minister respondeat : *Amen*. »

1260. « Ad *Pax* ✝ *Domini sit* ✝ *semper vobis* ✝ -
» *cum*, sinistra manu duas partes Hostiæ tenendo sem-
» per usque ad sumptionem super Calicem, dextera
» manu aliam partem Hostiæ tenens, has tres Cruces
» cum particula Hostiæ intra Calicem faciat; et postea

» iterum ambas manus sic super Calicem teneat, ut » Hostiæ partes junctæ videantur, clara voce dicat : » *Agnus Dei*, etc. »

1261. « Deinde secreto dicat : *Hæc sacrosancta*, et » tunc statim illam particulam Hostiæ, quam dextera » tenet, reverenter in Calicem demittat, verba prose» quendo; iterumque excussis super Calicem digitis, » statim medium Calicis dextera teneat; et dicto *Amen*, » exosculetur extremum labium Calicis; et dans pacem » Ministro tenenti Pallam, vel Imaginem pacis ubi con» suevit hoc fieri dicat : *Pax tibi*, etc... (nisi cum pro » mortuis celebratur ; tunc enim, et in triduo ante » Pascha dimittitur, uti et osculum.)

## §. VII. A communione usque ad finem Missæ.

1262. *Ad communionem*. « Qua poterit devotione di» cat Orationem : *Domine Jesu Christe*. »

« Qua finita, brevi oratione mentali seipsum Deo » commendet, nulla alia addita Oratione; nec pectus » tundat, sed inclinato tantum capite, dextera manu » tenens Calicem, de sinistra mox sumat ore sacrum » Christi Corpus, dicens : *Corpus et Sanguis*, etc. Quo » facto, statim assumpta Hostia, Calicem Palla co» operiat, et aliquantulum quiescit in meditatione SS. » Sacramenti. »

1263. « Deinde genuflectat, et mox surgens Cali» cem detegat, et dextera medium Calicis, sinistra pe» dem accipiat, et sic Sanguinem cum particula in » Calice demissa sumat, nihil dicens. Post primum » haustum, sinistram super Altare demittat, sicque, » post secundam lambitionem ; sinistræ extremis digitis » Corporale excutiat, si particulæ Hostiæ deciderint, » et si eas repererit, diligenter cum Patena colligat,

» easque in Calicem immittat et absumat, sive parvæ » sint sive magnæ »(1).

1264. « Postea cum Calice, utraque manu delato, » ad cornu Epistolæ pro ablutione, quæ ex solo vino » infundetur, accedat nihil dicens » (*Miss. Cl.*), et inde eam sumat. (*Miss.* 1823.)

« Dicens secreto : *Quod ore sumpsimus*, etc., secun- » dam ablutionem ex vino et aqua, super digitos acci- » piat, illos aptando ; deinde purificatorio extergat » ipsos digitos, et postea dextera Calicem sumens, » ebibat, os tergat cum Purificatorio, et tandem Cali- » cem. Quo exterso, Calicem super Corporale demit- » tat, Purificatorium desuper extendens, Patenam » eidem imponens, Palla et Velo cooperiens. »

1265. « Inclinato capite Cruci, ad Missale se confe- » rens, (quod a Ministro ad cornu Epistolæ delatum » erit,) junctis manibus ante pectus, dicat Commu- » nionem ; deinde, ad populum se vertens, dicat : » *Dominus vobiscum*, ut supra ante primam Orationem » fecit. Minister respondeat : *Et cum*, etc.... »

1266. « Ad *Oremus*, Sacerdos junctis manibus ante » pectus, inclinans paululum caput versus Crucem, » dicat Orationem, apertis manibus, et de more ex- » tensis ; et ad *Per Dominum*, junctis ante pectus, et » ad *Jesum Christum*, (V. n.° 817.) ad medium Altaris » veniat, si est ultima Oratio; alioquin, ut dictum est, » alias Memorias addat, et ad ultimum *Per Dominum* ad

(1) Ita editio authentica Missalis jussu R^mi Mag. Cloche Romæ impressa, et nova editio Missalis in 4°. 1853. Missale autem 1823 editum sic habet : « Sinistram super Altare demittat, et dextera accipiat Pate- » nam, cum qua diligenter colligat particulas Hostiæ super Corporale, » si quæ in eo sint; sinistra interim elevando paululum Corporale, ut » facilius colligere possit ; deinde cum indice dexteræ manus eas in » Calicem immittat, et postea excutiat in Calicem ipsum indicem cum » pollice, ne aliquid fragmentorum in eo remaneat, easque absumat, » sive parvæ sint, sive magnæ. »

» medium Altaris accedat Minister respondeat : *Amen.*»
« Dicat : *Oremus. Humiliate capita*, etc... inclinando
» caput, ante Orationem super populum, quando Mis-
» sa est de Feria in Quadragesima. »

1267. « Ad populum conversus, elevatis et extensis
» manibus, dicat : *Dominus*, et ad *vobiscum*, junctis
» ante pectus. Minister respondeat : *Et cum*, etc. »

« Verso vultu, ut antea, ad populum, ac junctis
» manibus, dicat : *Ite Missa est.* Minister respondeat :
» *Deo gratias.* »

« Cum autem non dicitur : *Gloria in excelsis*, in Missa
» non dicatur *Ite, Missa est*, sed *Benedicamus Domino*,
» quod verso vultu ad Altare dicendum est, et eodem
» modo dicatur *Requiescant in pace*, quando Missa est
» pro defunctis.(Et tunc Minister respondeat : *Amen.*) »

1268. « Dicto : *Ite, Missa est*, revertatur ad Altare
» eadem via, qua ad populum se verterat ; et tunc,
» inclinans profunde, (etiamsi *Benedicamus Domino*,
» vel *Requiescant in pace*, dixerit) junctis manibus, di-
» cat secreto : *Placeat*, etc.... Quo dicto, ad *Per Chri-*
» *stum Dominum nostrum* erectus, exosculetur Altare.»

1269. « Ad populum conversus, det Benedictionem
» *Benedictio Dei omnipotentis*, manu dextera totaliter
» extensa, sinistram pectori applicando, unica Cruce
» populum signans, et perficiens circulum (nisi sit ex-
» positum, vel in Tabernaculo occlusum SS. Sacra-
» mentum,) ad cornu Evangelii accedat. »

1270. « Dicendo : *Dominus vobiscum*, Crucem cum
» pollice super Altare in loco Evangelii, vel super li-
» brum signet. Minister respondeat : *Et cum*, etc.
» Dicendo *Initium*, etc., signet pollice frontem, os et
» pectus Crucis signaculo, et se totum, ut in primo
» Evangelio factum est Minister respondeat : *Gloria*,
» etc. »

1271. « Interim, dum Evangelium prosequitur,
» junctis manibus, intento vultu ad Evangelii cornu

» respiciat; neque tunc temporis complicet Corporale.
» Interim, cum ad *Et Verbum caro factum est* perve-
» nerit, genu dexterum flectat, et ad *habitavit*, surgat.
» Minister respondeat : *Deo gratias*, et Sacerdos signet
» se totum, ut supra. »

1272. « Cum ad finem Evangelii perventum est, tum
» ad medium Altaris revertatur, et Calicem a Corporali
» ad cornu Evangelii seponat; complicet Corporale,
» complicatum in bursam recondat, et ad cornu Epi-
» stolæ locet; et Calice in medio Altaris reposito, Velo
» bursam superponat, Veli partem anteriorem super
» bursam reducendo, ut fecerat, cum ad Missam aces-
» serat Deinde caput Cruci devotius inclinet, et co-
» operto ambabus manibus capite caputio et amictu,
» Deum devote laudans, accipiens sinistra Calicem per
» medium, et dextera posita super bursam, modo quo
» in initio Missæ dictum est, descendat infra infimum
» gradum Altaris, et ibi in medio conversus ad Crucem,
» profunde inclinet, (vel si in eo sit Tabernaculum SS.
» Sacramenti, genuflectat,) et ad Sacristiam, dicendo
» Canticum : *Benedicite, omnia opera*, etc., ordine, quo
» venerat, revertatur. » (*Mis. mod. et rit.*)

Ubi, postquam exuerit sacras vestes, dicente Mini-stro : *Benedictus Deus*, Sacerdos subjungat : *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*. Minister respondeat : *Amen*, et deinde recedat accepta Benedictione. (*Ibid. de Serv.*)

## ARTICULUS IV.

## DE OFFICIO SACERDOTIS IN MISSA MAJORI.

### §. I. Ante Missam majorem.

1273. Sacerdos, seu Hebdomadarius, Missam Conventualem celebraturus, tempore opportuno, facta præparatione ad Missam, prævisisque dicendis et can-

tandis, e Choro cum Ministris discedat, et ad Sacristiam pergat; ubi ablutis manibus, induat sacras vestes, adjuvantibus eum Diacono et Subdiacono. (V. n.° 1201. et seq.)

1274. Ad *Aspersionem Aquæ benedictæ.* In omnibus Dominicis diebus, Sacerdos Alba indutus, ac stola et manipulo tantum, si non sit facienda Processio, alioquin indutus Cappa serica, Hora præcedente Missam, finita, accedat (manibus junctis ante pectus) ad Altare cum Ministris; ubi cum pervenerint, stans in medio, profunde inclinet, vel genuflectat ante Altare ut alibi dicetur. (V. n.° 842. 849.) (*Ex Miss.*)

1275. Tunc, detecto capite, « porrigente ei asperso-
» rium Diacono, Cantoribus incipientibus Antiphonam :
» *Asperges me*, etc,... prius ipsum Altare majus asper-
» gat; et caveat ne nimis de aqua super illud projiciat ;
» postmodum aspergat Diaconum, Subdiaconum, et
» Acolythos ; » (1) deinde, facta ad Altare inclinatione profunda, aspergat Chorum, prout dicitur supra, n.° 683.

1276. « Post Fratres Conversos aspergantur sæcu-
» lares tantum in Choro existentes, nisi ubi fuerit con-
» suetudo quod et alii extra Chorum aspergantur. Si
» autem Chorus non existat juxta Altare, alius Fra-
» ter aspergat Fratres modo prædicto. Et dicto *Asper-*
» *ges me*, etc. a Conventu, Sacerdos, stando ante
» gradus Altaris, sicut a principio, dicit : *Ostende nobis*,
» etc. *Dominus vobiscum, Oremus. Exaudi nos*, etc. »
Hoc dicto, cooperto capite, reverentia ut supra facta ad Altare, in Sacristiam cum Ministris revertatur, nisi sit facienda Processio, de qua in loco proprio. (*Miss.*)

---

(1) Juxta Ordinarium et Cæremoniale, Sacerdos solus altero Acolythorum aquam deferente, cæteris Ministris interea remanentibus ante gradus, aspersionem peragit.

## §. II. Ab initio Missæ usque ad Evangelium.

1277. *In inceptione Missæ.* « Incœpto itaque a Choro, » post Introitum *Gloria Patri*, vel Versu, si *Gloria Patri* » non dicitur, Sacerdos » casula indutus, reverentiam capitis exhibeat Imagini Sacristiæ (V. n.° 1213.) procedat ad Altare, cooperto capite caputio et amictu, post Ministros manibus junctis ante pectus. Venientibus autem ipsis ante Altare, Sacerdote stante in medio, omnes simul profunde inclinent, vel genuflectant; et discooperto capite, mox erectus Sacerdos dicat secreto Orationem : *Actiones nostras*, etc. (*Ibid.*)

1278. « Tunc signans se a fronte ad pectus et hu- » meros intelligibili voce dicat : *In nomine Patris*, » etc.... ℣. *Confitemini*, etc.; » reliqua vero perficiat ut in Missa privata (n.° 1220. et seq ) usque ad *Kyrie*. Quibus dictis alternatim cum Ministris, stet a cornu Epistolæ donec a Conventu cantata fuerint.

1279. « Si vero Dominica vel Duplex et supra fuerit, » poterit ire sessum, tali servato ordine : ad medium » Altaris pergens usque ad infimum gradum descen- » dat, et simul cum Ministris ante Altare profunde » inclinet. » (V. n.° 830.) Itaque Sacerdos primo in Presbyterio a cornu Epistolæ, propinquior Altari, sedeat, ad ejus sinistram Ministris ordinatis, (et hic ordo servetur ubicumque sederint Ministri Altaris), manusque appodiet, super mappulam ab Acolythis super ejus genua extensam, quam postea alter Acolythorum ad ultimum *Kyrie, eleison* levabit. (*Ibid.*).

1280. *Ad Gloria in excelsis.* « Quo facto surgat, et » ante medium Altaris stans inclinet profunde; et » postquam ascenderit ad Altare incipiat : *Gloria in* » *excelsis*, si dicendum fuerit, (vel si non conversus ad » populum dicat : *Dominus vobiscum*). Deinde ad cornu » Epistolæ veniens, prosequatur incœptum *Gloria*

» cum Ministris, stantibus a dextris ejus. Quo dicto, » Sacerdos stet (a cornu Epistolæ) donec Conventus » impleverit illud. » Interim poterit legere nonnullas pias orationes positas pro præparatione Missæ in principio Missalis. (*Miss. loc. cit.*)

1281. *Ad Orationes.* « Dicto *Gloria in excelsis*, vel » *Kyrie, eleison* pro tempore, Sacerdos, dicat : *Dominus vobiscum*, » deinde Orationem, vel Orationes prout in Missa privata. Quod si Missa fuerit de Feria, tempore Quadragesimæ, dum Diaconus ante Orationem dicit : *Flectamus genua*, Sacerdos non flectat genua; sed dicto ab eodem *Levate*, subjungat Orationem; et responso *Amen*, sessum eat, eo modo quo supra, n.° 1279. Diebus vero notatsi n.° 368.dicta Oratione sine *Dominus vobiscum*, Sacerdos sessum eat cum Ministris; et Acolytho seniore tenente Missale, vel Diacono, si desit Acolythus, legat Lectionem, deinde Responsorium, vel aliud, prout n.° seq., et circa finem cantus ad Altare revertatur ad cantandam Orationem sequentem. Quod similiter fit post singulas Orationes hujusmodi.

1282. Quando Diaconus, explicato super Altare Corporali, venerit et ipse ad sedendum, « Sacerdos » sedendo, ac Acolytho tenente Missale ante ipsum, » dicat Epistolam, et deinde quæ de Responsorio, » vel Tractu, et Sequentia dicenda sunt; illaque, si » Acolythus teneat Missale, per Versus a Sacerdote et » Diacono alternatim dicantur, incipiente Sacerdote.

« Quibus dictis surgant, et Sacerdos stans perlegat » Evangelium, manibus junctis, appositis super ip- » sum, signans se signo Crucis in initio et fine, uti » dictum est in ritu Missæ, » et iterum sedeat.

1283. Adveniente Subdiacono ad præparandum Calicem, Sacerdos, postquam sibi a Diacono Patena cum Hostia fuerit exhibita, innuat Subdiacono quantum vini in Calicem infundendum erit; et cum Subdiaconus aquam benedicendam offerens dixerit : *Benedicite*, et

responso a Diacono : *Dominus*, subjungat Sacerdos Benedictionem : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* cum tota manu faciens signum Crucis. (*Mis. mod. et rit.*).

1284. « Cum dicitur in Missa : *Veni, Sancte Spiritus*, » in incœptione ejus surgat Sacerdos, et Ministri, et » non flectant genua, sed stent, et caput profunde in» clinent quamdiu cantatur, usque ad *Reple;* deinde, » Choro surgente sedeant Ministri. » (V. n.° 838.)

1285. Offerente Thuriferario thus ad benedicendum, » dicens : *Benedicite*, « Sacerdos facto signo Crucis su» per thus, dicat : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus* » *Sancti*. ℟. *Amen*. Cum autem Diaconus petit Bene» dictionem, dicens : *Jube*, etc.... Sacerdos surgens » subjungat : *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis,* » *ad pronuntiandum sanctum Evangelium pacis : In no-* » *mine Patris, et Filii*, etc. ℟. *Amen*. » (1)

## §. III. Ab Evangelio usque post Thurificationem.

1286. Quo dicto, Sacerdos progrediatur ante medium Altaris, ubi facta inclinatione profunda ante gradus, ascendat ad Altare, et in medio se sistat. » Cum autem dicit Diaconus : *Sequentia*, vel *Initium* » *Sancti Evangelii*, Sacerdos, verso vultu ad Altare, » faciat unam Crucem super frontem, aliam super os » et aliam super pectus; deinde signet se totum a » fronte ad pectus et humeros signo Crucis. » Responso a Choro *Gloria tibi Domine*, « dum Evangelium » legitur, stet Sacerdos ad cornu Epistolæ versa facie » ad Evangelium, junctis manibus ante pectus, do-

(1) Tunc solet Sacerdos, et quidem rationabiliter, formare cum tota manu signum Crucis ad *In nomine Patris*, etc., quod in similibus Benedictionibus in quibus SS. Trinitas nominatur, poterit observari, quamvis non sit explicite signatum.

» nec fuerit lectum; et ipso finito, munire debet se » signo Crucis a capite usque ad pectus et humeros. » (*Miss.*)

1287. Cum illa verba in Evangelio pronuntiantur ad quæ genuflectendum est, genuflectat Sacerdos versus Altare, manibus hinc et inde super Altare firmatis. (V. n.° 836. 839.)

1288. *Ad Credo.* « In fine Evangelii, Sacerdos ad » medium Altaris veniens dicat : *Credo in unum Deum,* » si dicendum fuerit. Cumque Ministri pervenerint ad » Altare, Subdiaconus offerat librum Sacerdoti ad os» culandum, Diacono ei cum digito Evangelium de» monstrante, (nisi pro Defunctis celebretur, vel Passio » fuerit lecta,) et Sacerdos, pollice signans Evange» lium lectum signo Crucis, dicat, deosculando illud : » *Per evangelica dicta,* etc. et Diaconus respondeat : » *Amen.*»

Tunc vadat ad cornu Evangelii, ubi cum Ministris *Credo* prosequatur. (V. n.° 824.) (*Miss.*) Cum dicit : *Et incarnatus est,* tunc non genuflectat.

1289. Recitato Symbolo, Sacerdos redeat ad medium Altaris. « Et cum Chorus pervenerit ad prædicta » verba, ante medium Altaris genua flectat (prout in » Missa privata.) Postmodum surgunt omnes ; cum » autem in *Credo* dicuntur illa verba : *Simul adoratur,* » etc.. debet caput inclinare. (*Ibid.*)

1290. *Ad Offertorium.* « Finito vero *Credo* vel Evan» gelio, si *Credo* non dicitur, Sacerdos dicat : *Dominus* » *vobiscum ; Oremus ;* et Offertorium quod Ministri cum » eo prosequentur (1). Quo dicto, ad medium Altaris » rediens, dicat : *Quid retribuam, Domino, pro omni*» *bus quæ retribuit mihi?* Calicemque de manu Diaco-

---

(1) Non prosequatur Offertorium donec Ministri pervenerint ad Altare. (*Ord.*)

» ni accipiens, dicat : *Calicem salutaris accipiam, et no-*
» *men Domini invocabo*; deinde, tenens eum ambabus
» manibus aliquantulum elevatum, dicat : *Suscipe*, etc.
» (*Ibid.*)

1291. Ad *Thurificationem*. « Diacono thus offerente » in cochleari Sacerdoti ad Benedictionem, benedicat » ipsum Sacerdos secundum modum, qui scriptus est » supra (n.° 1285.) Deinde assumens manu dextera » thuribulum a Diacono sibi traditum brevi intervallo » e catenis suspensum, sinistra manu tenens catena-» rum extremitates, thuribulo signum Crucis faciat » super Calicem, postea caput inclinet; deinde ter ante » eumdem thurificet, non vibrando in altum thuribu-» lum, sed modice demissa cum thuribulo manu, mo-» diceque subinde elevata, ita ut nunquam supra » humerum manus attollantur. Postmodum Taberna-» culum Corporis Christi, si fuerit super Altare, ter » incenset, vel Crucem, si non fuerit; deinde Thuri-» ficationem prosequatur eo modo, quo supra n.° 1108, » 1109, 1110, dictum est.

1292. « Dum autem Sacerdos desierit thurificare, » manus junctas teneat ante pectus, stans in fine Al-» taris, ubi incensare desiit, verso vultu ad Diaco-» num; deinde, ab illo incensatur ibique lavet manus.» (*Ibid.*) « Et si SS. Sacramentum fuerit expositum in » Altari, Sacerdos descendens a supremo gradu in » cornu Epistolæ sistat se versa facie ad populum, et » ibidem post Thurificationem lavet manus. » (V. n.° 853.)

### §. IV. A Thurificatione usque ad finem Missæ.

1293. Quo facto, Sacerdos reliqua perficiat, ut in Missa privata, hoc excepto quod cantare debet ea quæ scripta sunt ut cantentur. « In omni tempore, Sacerdos » sic morose debet perficere ea quæ dicuntur ante ele-

» vationem Hostiæ, quod nunquam fiat elevatio, quo» usque cantus *Sanctus*, etc., non sit terminatus. ». (*Ibid.*)

1294. *Ad Pacem*. Dicto *Hæc sacrosancta commixtio*, etc., Sacerdos Calicis labium osculetur, postea Patenam, vel aliquam « sanctam Imaginem, (quæ *Pax* » communiter dicitur), sibi illico porrectam a Diacono, » osculetur, dicendo submissa voce : *Pax tibi*, *et Ec-* » *clesiæ sanctæ Dei*, (quod non faciet in triduo ante Pa- » scha, et in Missis Defunctorum.) (*Ibid.*) »

1295. Sumptis ablutionibus more solito, Sacerdos » Calicem deponat » (in medio Altaris a Subdiacono purificandum) moxque se conferat ad cornu Epistolæ, » et cum Ministris stantibus ad dextris ordine supra » dicto » (*Ord.*) dicat Communionem. « Postmodum » Sacerdos dicat : *Dominus vobiscum*, » deinde Orationem vel Orationes post communionem. (*Miss.*)

1296. « Quando autem Missa erit de Feria in Qua» dragesima, post omnes Memorias, dicto a Sacerdote, » inclinante caput, cum aliis Ministris *Oremus*, sub» jungat Diaconus clara voce : *Humiliate capita vestra* » *Deo*, et Sacerdos prosequatur Orationem signatam » super populum. » (*Ibid.*)

1297. Dicto post Orationes *Dominus vobiscum*, « Sa» cerdos stet versus ad Conventum quamdiu dicitur » *Ite, Missa est*, deinde vertat se ad Altare, non se gi» rando. » Si vero dicendum sit *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, dicto *Dominus vobiscum*, vertat se ad Altare. Cæteris expletis ut in Missa privata. Sacerdos cum Ministris eodem modo et ordine quo venerat ad Sacristiam revertatur.

## §. V. De Missa celebranda in quibusdam circumstantiis.

1298. Advertat Sacerdos quæ supra in suo officio

omittenda erunt in Missa majori, tam profestis diebus, quam cæteris diebus minoris solemnitatis; (V. n.° 1009, et seq.) et in Missis de Requiem, (V. ad calcem.) : in quibus omnibus Missis, ubi competens numerus Fratrum fuerit, Ministri ut supra requisiti semper ei assistere debebunt. De his autem quæ addenda sunt in Missa majori coram SS. Sacramento in Tabernaculo occluso, vel patenter exposito requirat n.° 841 et seq. et n.° 847 et seq.

1299. « Ubi in diebus solemnibus, propter paucitatem Fratrum, prædicta Ministrorum solemnitas » servari non poterit prout commodius et honestius » poterit observetur. » (*Miss.* 33.) Tunc enim Sacerdos defectui majorum Ministrorum per se supplere debebit, prout fieri solet, hoc modo :

1300. Sessum non eat post Orationes, sed dicta Epistola, quam cantat in loco consueto aliquis Lector Superpelliceo indutus (*Miss. rom.*),vel aliquis Frater in Choro (V. n.° 930), Calicem quem in principio Missæ asportavit, ad Altare præparet, ut fieri solet in Missa privata, ministrantibus Acolythis; præterea in cantandis *Flectamus genua*, *Levate* ante Orationes (in quo casu genua flectat), et Evangelio ad cornu Altaris, et *Humiliate*, etc., et *Ite Missa est*, vel *Benedicamus*, vel *Requiescant in pace*, Diaconi partem impleat. Cætera more solito perficiat.

### §. VI. De celebratione Missæ coram Summo Pontifice, Cardinali Legato sedis apostolicæ, Archiepiscopo, aut Episcopo in sua residentia.

1301. Celebraturus Sacerdos coram Summo Pontifice, sistat se ante infimum gradum Altaris a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat : accepta benedictione erigit se, et stans aliquan-

tulum versus ad Altare, incipiat Missam. Si autem sit coram Cardinale Legato Sedis Apostolicæ, Patriarcha, Archiepiscopo, aut Episcopo in sua residentia vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum a cornu Evangelii, ut supra, expectat: dato signo, facit profundam reverentiam Prælato, et versus ad Altare incipit Missam.

1302. Solemniter celebrans coram Summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Ecclesiis eorum jurisdictionis, stans a sinistris Prælati faciat cum eo confessionem, et ubi dicit: *Vobis Fratres*, dicat: *Tibi Pater*; et similiter in fine ubi dicit: *Vos, Fratres*, dicat: *Te Pater*.

1303. Facta confessione, si coram Summo Pontifice celebret genuflectat; si coram aliis Prælatis inclinet profunde, et ascendens ad medium Altaris ante infimum gradum, ibi incipiat secreto: *Aufer a nobis*, etc...

1304. Dicto Evangelio, Summo Pontifici, aut aliis prædictis liber Evangeliorum defertur osculandus: et tunc Celebrans non osculatur librum, nec dicit: *Per Evangelica dicta*, etc... Si adsint plures Prælati simul, digniori tantum defertur liber osculandus; si sint æquales nulli; neque defertur Vicario Apostolico, neque Commendatario, seu ejusdem Procuratori, neque aliis in hac Rubrica non nominatis. Principibus autem magnis sæcularibus (non autem inferioribus laicis), alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper debet osculari librum.

1305. In Missa solemni Diaconus, porrecto Celebranti instrumento Pacis osculando, accedat ad Prælatum, et alios supradictos, quibus idem instrumentum porrigat.

1306. Celebrans, dicto *Placeat tibi sancta Trinitas* etc., dicat: *Benedictio Dei Omnipotentis*, et convertens se ad Summum Pontificem (quando adest) genuflexus, ad Cardinalem vero, vel alium ex supradictis Prælatis,

capite inclinato, quasi licentiam petens benedicendi, prosequatur *Patris et Filii*, etc,... benedicens adstantes a parte, ubi non assistit Pontifex, aut alius ex Prælatis prædictis. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo extra ejus jurisdictionem, absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt modo consueto benedicet.

1307. Finito Evangelio facit convenientem reverentiam, juxta qualitatem prædictorum Prælatorum. (1).

## ARTICULUS V.

### DE SACRA COMMUNIONE.

#### §. I. De diebus in quibus facienda est Communio generalis.

1308. « Die communionis consuevit fieri aliqua exhortatio in Capitulo, vel absolutio generalis Fratribus tam clericis quam Laicis, ut ad tantum Sacramentum dignius accedant præparati. Debet autem Prælatus, si commode potest, vel aliquis ex gravioribus Patribus in hujusmodi die Missam conventualem celebrare.

1309. « Debent autem Fratres communicare in qualibet Dominica Adventus et Quadragesimæ, et die Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Cœna Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis et SS. Corporis Christi.

« Item in omnibus Festis B. Mariæ semper Virginis,

(1) Cum Episcopus Missam privatam celebrare voluerit, serventur ea quæ in Cærem. Episcop. L. I. C. xxix habentur; si vero Missæ solemni assistere vel eam celebrare debuerit, juxta idem Cæremoniale omnia perficiantur. (V. L. II. C. VIII, et IX.)

» et in Festo Omnium Sanctorum. Item in Festo SS. » Apostolorum Petri et Pauli. et in Festis S. Dominici » Patris nostri, et Sanctorum Ordinis; et in omnibus » Dominicis diebus deputatis pro Confratribus SS. Ro » sarii et Nominis Dei, propter indulgentiam plena- » riam in præfatis diebus concessam. Cæterum bis in » mense de quindena in quindenam communicabunt, » si Prælato visum fuerit expedire.

1310. « Nullus vero ab hac communione facienda » se remaneat sine speciali licentia : qui autem sunt » extra Conventum debent extra communicare, vel » cum redierint quam cito et commode possunt. Dum » autem plures dies communionis immediate succe- » dent, poterunt Fratres ad arbitrium Prælati in ali- » quibus dispensari a communione. »

## §. II. De ordine servando a Fratribus non Ministris in communione.

1311. « Cum igitur hora communionis appropin- » quaverit, Fratres communicandi superinduti Cappa » Ordinis accedant in modum Chori ordinati versus » Presbyterium, et ibi facta inclinatione profunda, » flectant genua. Cum autem viderint Diaconum affe- » rentem sacram Pyxidem, prosternant se super genua » Sanctissimum Sacramentum adorantes, quousque » illud super Corporale deposuerit. Quo facto, super » genua erecti, brevique oratione facta, Fratres in » modum quo fit venia in longum extensi dicant om- » nes simul cum Ministris prostratis : *Confiteor*.

1312. « Dicto a Sacerdote *Absolutionem*, etc., eri- » gant se omnes super genua, et primo communicent » Ministri. Interim, dum Ministri communicant, cæ- » teri Fratres a majoribus incipiendo (Sacerdotibus » cum Stolis super Cappas) bini ac bini, et regulato » incessu, juxta ordinem suum successive procedentes

» accedant ante medium Altaris, et cum eo pervenerint » infra gradus profunde inclinent; et dum Ministri a » supremo gradu recedunt in eorum locum alterna- » tim succedant duo primi, factaque etiam ibi incli- » natione profunda genua flectant, toto corpore reli- » qui stantes erecti. Moxque ambabus manibus map- » pulam tenentes, illamque sub mento elevantes, aperto » mediocriter ore, cum debita reverentia suscipiant de » manu Sacerdotis sanctissimum Christi Corpus. » (*Miss. et Off. Hebd. S.*)

1313. « Sumpta vero communione, simul se eri- » gant, simulque profunde inclinent super gradum, » et discedant versis vultibus ad invicem, in latus in- » cedendo, ne terga vertant sanctissimo Sacramento, » et infra infimum gradum Altaris iterum profunde » coram Sanctissimo inclinent; ac postea ad sua loca » in Chorum revertantur, ac seorsum secreto in gratia- » rum actionem orent. (*Ibid.*)

1314. « Caveant autem omnes, tam in accessu et » recessu quam in actu communionis, a transversione » oculorum, vel insolita vultus indispositione, seu » motu indisciplinato. Caveant insuper ne post com- » munionem cito spuant: quod si cavere non possunt, » debent in loco honesto projicere sputum. » (*Ibid.*)

Dum autem in Chorum sunt reversi, jaceant (sicut cæteri non communicantes) supra formas prostrati quousque finiatur communio. (V. n.° 806.)

1315. « Ubi autem est consuetudo post communio- » nem vinum sumendi, (uti fieri debet in die Cœnæ,) » consumpta Hostia, Frater accedat ad illud sumen- » dum (a Diacono in cornu Evangelii ministrandum) : » quod stando est recipiendum, et in modica quanti- » tate, ad abluendum os diligenter, ne aliquæ particu- » læ Hostiæ remaneant inter dentes. Poterunt etiam » Fratres ex se vinum seorsum a Sacrista præpara- » tum, accipere retro Altare. Post ablutionem oris,

» cum mappula munda et decenti labia detergant. » (*Miss.*)

## §. III. De officio Ministrorum in sacra communione infra Missam.

1316. « Cum Subdiaconus ministraturus fuerit ne» cessaria pro Sacramento hujusmodi, a Sacrista, cu» jus interest scire, debet inquirere de numero Ho» stiarum consecratarum quæ sunt in Pyxide; debet » etiam inquirere de numero Fratrum qui sunt com» municandi : et facta collatione tot Hostias consecran» das ponat, (in Calice consecrato, aut Pyxide conse» crata, aut super Patenam) quot sufficiant Fratribus » communicandis, et pro infirmis in necessitate.

1317. « Cum igitur hora communionis appropin» quaverit, Diaconus si in Altari ubi celebratur non » sit Tabernaculum continens in Pyxide Hostias con» secratas, (vel de Hostiis consecrandis non fuerit provisum ut supra,)Ceroferariis præcedentibus cum cereis, » afferat Pyxidem supradictam, cum Corpore Domini » super Corporale. (1) » (V. n.° 858.)

Si in Altari ubi celebratur fuerit Tabernaculum SS. Corporis Christi, postquam Sacerdos sumpserit totum Sanguinem, Diaconus aperiat Tabernaculum, et facta genuflexione cum Sacerdote, extrahat sacram Pyxidem et depositam super Corporale discooperiat, et iterum genuflectat. Si vero Sacerdos Hostias consecraverit in Pyxide super Corporale reposita, Diaconus eam similiter aperiat et genuflectat.

1318. Tunc ad cornu Epistolæ supra supremum gradum genuflexus et prostratus dicat : *Confiteor* cum

(1) Hoc in desuetudinem abiit in Ordine, cum semper in Altari, ubi celebratur, Hostias sufficientes præparare sit solitum.

aliis Ministris, Subdiacono ad cornu Evangelii, Acolythis vero hinc et inde in gradu inferiori similiter prostratis. Dictoque a Sacerdote : *Absolutionem*, erigant se omnes super genua. (*Ex Miss.*)

1319. « Si tunc omnes Ministri communicandi sunt, » primo communicent simul secundum ordinem gra- » duum suorum; qui accedentes ante medium Alta- » ris simul infra infimum gradum faciant inclinatio- » nem profundam » et reliqua perficiant tam in accessu quam in actu communionis ut supra n.° 1312 dictum est. (1) In recessu vero, factis inclinationibus profundis ut n.° 1313, Diaconus et Subdiaconus super gradus Presbyterii hinc et inde genua flectant, nisi vinum ministrare debuerint, prout fit Feria V in Cœna Domini; Acolythi autem teneant mappulam ut infra, cæteri vero Ministri (si adfuerint) in Presbyterio genua flectant. (*Ibid.*)

1320. Si nullus Ministrorum communicandus sit, facta Absolutione ut supra, Acolythi « flectentes genua » in superiori gradu Altaris hinc et inde, versis vulti- » bus ad invicem, teneant mappulam mundam et ho- » nestam ad hoc præparatam, inter Sacerdotem et » communicantes extensam, quousque communica- » verint omnes.

Si Ministri inferiores tantum fuerint communicandi, Diaconus et Subdiaconus, dum Acolythi communicant, mappulam prædictam similiter teneant, quam Acolythi postquam fuerint communicati teneant, ut supra, quousque Fratres communicaverint.

1321. Peracta autem communione si remanserint

---

(1) Servari poterit in eo casu sequens Rubrica Ordinarii et veterum Missalium : « Cum Ministri communicare debent, duo Fratres quibus » Sacrista vel Cantor innuerit, flexis genibus juxta Sacerdotem, a » dextris et a sinistris ejus teneant mappulam, etc.... Postquam autem » omnes Ministri Altaris communicaverint Acolythi teneant, etc....

Hostiæ in Pyxide, Diaconus cum Sacerdote prius genuflectens cooperiat Pyxidem, et eam in Tabernaculo (si sit super Altare) reponat, et iterum genuflectens Tabernaculum occludat; « aut secus, præcedentibus Ceroferariis ad locum debitum honorifice deferantur, Fratribus prostratis modo supra dicto. »(V. n.° 1317.)

1322. « Ubi est consuetudo vinum post communio-
» nem sumendi, consumpta Hostia, Ministri accedant
» ad illud sumendum eo modo quo dictum est supra
» n.° 1315.) Porro Diaconus debet recipere vinum hu-
» jusmodi in Calice alio quam sit Calix cum quo cele-
» bratur, et postea aliis ministrare, stando in cornu
» Evangelii. Debet autem tenere pedem Calicis cum
» mappa munda et decenti, cum qua etiam Fratres post
» ablutionem oris labia detergant. (*Miss.*)

1323. « Si tamen fuerit magnus communicandorum
» numerus (uti in die Cœnæ), Subdiaconus in cornu
» Epistolæ stans, (sumptoque vino), poterit vinum in
» altero Calice eodem modo ministrare, ut citius om-
» nes expediantur; vel poterunt etiam Fratres dum
» in Chorum ad sua loca revertantur ex se vinum seor-
» sum, a Sacrista præparatum, sumere retro Altare. »

## §. IV. De officio Sacerdotis in ministranda sacra communione.

1324. « Sacerdos celebrans consecraturus plures
» Hostias reponet eas in aliquo Calice consecrato aut
» Pyxide consecrata, prope Calicem, semper tamen
» super Corporale (1). Quod si non fuerit vas distin-
» ctum collocet eas super Corporale, ante Calicem,

---

(1) Advertendum est quod si celebratur super Altari portatili non ponantur vasa sacra aut particulæ extra lapidem Altaris, ubi non licet consecrare, quamvis sint super Corporale.

» si ob quantitatem super Patenam manere non pos- » sint.(1) In consecratione proferat verba formæ super » Hostiam quam manibus tenet, et super omnes alias » quas suis oculis habebit expositas. Post consecratio- » nem, decenti loco super Corporale eas aptet, ita ut » cæteras cæremonias sine impedimento prosequi » possit. » (*Miss.*)

1325. Si opus fuerit ut extrahatur sacra Pyxis e Tabernaculo, Sacerdos (alioquin Diaconus, si adsit,) postquam sumpserit totum Sanguinem, priusquam se purificet, eam extrahat, mox ut aperuerit Tabernaculum genuflectens; deinde repositam super Corporale discooperiat, et iterum genuflectat. Si vero adfuerit Diaconus qui id faciat, vel ex alio loco SS. Sacramentum afferat, Sacerdos celebrans genuflexus Sacramentum adoret.

1326. Dicto a Ministris et communicandis simul *Confiteor*, « Sacerdos genuflectat, et recedens paulu- » lum a medio Altaris ne terga vertat Sanctissimo Sa- » cramento, faciat absolutionem dicendo : *Misereatur*, » etc,... et *Absolutionem*, etc. » (*Ibid.*) formans cum manu dextera signum Crucis super communicandos. Deinde ad medium Altaris genuflectat. (V. n.° 858.).

1327. « Sacerdos vero ministret primo Hostias con- » secratas quæ erant reservatæ in Pyxide, et postea » quæ recenter sunt consecratæ, ita ut paucæ rema- » neant post communionem, in Pyxide reponendæ et » asservandæ. Dum autem quamlibet Hostiam mini- » strat, accipiat eam pollice et indice dexteræ manus, » et Pyxidem seu Patenam sinistra, supponendo eam » Hostiæ. »

1328. Accepto itaque Sacramento, (secundum usum jam universalem in toto Ordine, et ritui Sanctæ Ro-

---

(1) Observandum quod vas continens particulas consecrandas, tempore oblationis et consecrationis sit discoopertum.

manæ Ecclesiæ conformem) illud elevat, conversusque ad populum in medio Altaris dicit clara voce : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* Mox subdit : *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea;* ac tertio repetit. (*Ex Ritual. Rom.*)

1329. Quo dicto « sic se transferat usque ad » Fratrem communicandum. Et cum tradit Hostiam, » signum Crucis cum Hostia ante os communicantis » formans, dicat, nihil aliud præmittendo : *Corpus Do-* » *mini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* » *Amen.* » Si Ministri fuerint communicandi, primo communicet eos secundum ordinem graduum suorum ; (1) Deinde cæteros Fratres incipiens ab his qui sunt ad partem Epistolæ et progrediendo ad dexteram suam : postea sæculares, ut dicitur n.° 1331.

1330. Communicatis omnibus qui voluerint communicare, Sacerdos deposita Pyxide super Corporale prosequatur Missam, si non remanserint Hostiæ consecratæ. (2) « Si viderit Sacerdos quod aliquæ Hostiæ » consecratæ remanserint in Pyxide, eam supra Cor- » porale deponat, et genuflectat; si vero super Altare

---

(1) « An in communione quæ inter Missæ Sacrificium peragitur sit prius ministrandum SS. Eucharistiæ Sacramentum Ministro inservienti an vero Monialibus, vel cæteris ibidem præsentibus ? » — R. In casu prædicto Ministrum Sacrificii, non ratione præeminentiæ sed ministerii præferendum esse cæteris quamvis dignioribus. (*S. R. C. Jul.* 1658.)

(2) Accidit quod purificanda sit Pyxis intra Missam (qua de re nullibi agitur in ritualibus libris), et eo casu purificabitur illa ante Calicis purificationem : collectis nimirum in ejus fundo fragmentis omnibus diligentissime cum indice dexteræ manus; et cum eodem indice poterunt in Calicem immitti, ex quo absumantur, prout supra, n° 1263, de purificatione Patenæ dictum est ; deinde infundi potest paululum vini, quo circumacto intra Pyxidem tota pars interior abstergatur ; quo in calicem pariter infuso prout de ablutione priorum Missarum in Nativitate D. N. J. C. dicetur, exsiccabitur Pyxis interior undequaque

» remanserint, etiamsi hæ in magna multitudine fue-
» rint, debet eas omnes in Pyxide reponere, sicque
» positæ, per Diaconum (alioquin, si absit, per Sacer-
» dotem) intra Tabernaculum, facta genuflexione,
» recondantur.

« Neque Sacerdos, det tunc Benedictionem, utpote
» in fine Missæ eam daturus. » (*Ibid.*)

1331. « Quod si etiam extranei aliqui apud nos
» (infra Missam Majorem) communicare voluerint, po-
» terit eos, si fuerint Hostiæ sufficientes communicare.
» Si autem non sint, in aliquo Altare minori commu-
» nicare poterunt. Notandum tamen est quod si ad-
» sit magna multitudo expectans finem Missæ, vel
» propter aliud impedimentum, poterit differri com-
» munio post Missam (nisi in die Cœnæ) si visum
» fuerit Priori : alioquin facienda est antequam com-
» munio Missæ dicatur. (*Ibid.*) (1)

1332. Si vero extra Missam, sacra communio mi-

---

Purificatorio. Non debet deinde vacua Pyxis tegi velo, nec recondi in Tabernaculo. (*Ex Gavant. et Rubr. Ord.*)

Patena autem in qua repositæ fuerunt sacræ particulæ eodem modo ac Patena Missæ post collectionem fragmentorum purificetur.

(1) « Si contingat, absoluta Missa, statim aliquos interdum communicari, tunc Sacerdos adhuc Planeta indutus sacram communionem, eo modo quo supra dictum est ministrabit. » (*Rit. Rom.*)

« Si adsit necessitas, tolerari potest consuetudo inveterata Sacerdotem qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic sacris vestibus indutum, et præ manibus Calicem tenentem ascendere in transitu ad Altare, in quo adest SS. Eucharistia, uti ibi sacram communionem Fidelibus distribuat. » (*S. R. C.* 11 *Martii* 1836.)

« In Missa Defunctorum non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo Pyxidem a custodia ; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando Fidelibus præbetur communio cum particulis infra eamdem consecratis. » (*S. R. C.* 2 *Sept.* 1741. ad. 4.)

« Si, quando communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, servetur consuetudo dividendi consecratas particulas, si adsit necessitas. » (*S. R.C.* 16 *Mart.* 1833.)

nistranda fuerit, Sacerdos lotis prius manibus et Superpelliceo indutus, ac desuper Stola coloris Officio illius diei convenientis, (V. n.° 566.) deferens Bursam cum Corporali, et præcedente Ministro procedit ad Altare; (V. n.° 842.) et accensis cereis saltem duobus Pyxidem extrahat ut dictum est n.° 1325. dictoque a Ministro *Confiteor*, omnia ut supra, 1326 et seq. perficiat.

1333. Sacerdos, (1) antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponat. (*Ritual. Rom.*) » Postea abluat digitos in vase ad hoc præparato, eos» que Purificatorio tergat. » (*Collect.*) (2) « Postea ge» nuflectens reponit Sacramentum in Tabernaculo et » clave obserat. » Tunc ad eos qui communicaverunt versus formansque cum tota manu signum Crucis super eos, det Benedictionem, dicens : ***Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.*** ℟. *Amen.* Quo facto, ad Sacristiam revertatur. (V. n.° 842. et adnot. ad n.° 1285.)

---

(1) Sequens Rubrica, ex Rituali Romano deprompta, etiam in multis Provinciis observatur : « Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit : *O Sacrum*, etc... ℣. *Panem*, etc... ℟. *Omne...* (T. P. add. *Alleluia*) *Domine exaudi...* ℟. *Et clamor*, etc... *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum... Oremus. Deus qui nobis sub Sacramento...* Temp. Pasch. dicitur Oratio : *Spiritum nobis Domine tuæ caritatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tuæ facias pietate concordes. Per Christum*, etc. ℟. *Amen.* »

(2) Hæc autem ablutio, vel a communicatis sumenda tradatur, vel saltem in Sacrarium injiciatur.

# PARS IV.

Continens Rubricas et Cæremonias proprias servandas in Officio et Missa tam de Tempore quam de Sanctis in decursu anni, necnon in aliquibus functionibus particularibus extra Officium et Missam passim occurrentibus.

---

Hæc pars in duo Capita dividitur.

## CAPUT I.

De Rubricis propriis tam de tempore quam de sanctis per anni circulum.

## CAPUT II.

De Rubricis propriis aliquarum functionum particularium passim occurrentium.

---

# CAPUT PRIMUM

## DE RUBRICIS PROPRIIS TAM DE TEMPORE QUAM DE SANCTIS PAR ANNI CIRCULUM.

IN VII. ART. DIVISUM.

ART. I. Ab Adventu usque ad Feriam IV Cinerum.
II. A Feria IV Cinerum usque ad Feriam V in Cœna Domini.
III. Feria V in Cœna Domini.
IV. Feria VI in Parasceve.
V. Sabbato Sancto.
VI. Tempore Paschali et deinceps usque ad Adventum.
VII. In Festis Sanctorum.

---

## ARTICULUS I.

### AB ADVENTU USQUE AD FERIAM IV CINERUM.

#### §. I. De Tempore Adventus.

1334. *Dominica I Adventus*. (V. n.° 35 et 81.) (M.) Hebdomada incipit in Choro dextro. (V. n.° 639.) A Vesperis Sabbati silent organa. (V. n.° 576. et seq.) Capitula, Hymni (sub tono proprio), Versiculi et Responsoria Horarum hujus Dominicæ dicuntur suis locis singulis diebus, quando de Tempore agitur, usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive. (*Brev. loc. pr.*)

1335. *Ad Matutinum* una Antiphona dicitur super omnes Psalmos in quolibet Nocturno, et eadem dicitur in singulis Dominicis Adventus. (*Ex Psalt.*)

« Responsorium primum *Aspiciens* hac die cantetur a » Priore, vel ab alio cui Cantor injunxerit, cum tribus » Versibus et *Gloria Patri*. Finita repetitione post *Gloria* » reincipiatur ab eo qui cantavit ℟. *Aspiciens*, et interim stent Fratres donec totum fuerit percantatum. » » (*Ord. loc. prop.*) « Quando hoc ℟. dicendum est infra » Hebdomadam, dicitur tantum cum iij. ℣. *Excita*, etc., » cæteris ℣℣. et *Gloria Patri* omissis. » (*Brev. Ibid.*)

« Non dicitur *Te Deum* per totum Adventum quando fit Officium de Adventu; sed ix. ℟. usque ad » Versum exclusive in omnibus Dominicis repetitur » (*Ibid.*)

1336. « *Ad Laudes*, quinque Antiphonæ propriæ » et in Horis Antiphonæ Laudum, quarta prætermissa, dicuntur : et hoc per totum Adventum in Dominicis observetur.

« Memoria B.M. V. singulis Dominicis semper facienda est per Ant. *Sub tuum* et ℣. *Post partum*, et » Orationem *Protege*.... ; in Vesperis vero per Ant. » *Regali*, ℣. *Ora*... et eamdem Orationem.

« *Ad Primam* in ℟. br. dicitur ℣. *Qui venturus es*, etc. » per totum Adventum, etiam in Festis Sanctorum. » (*Ibid.*) (V. 307 et seq.)

1337. *Ferialibus diebus*, « Invitatorium *Regem venturum*, etc., quotidie dicitur per Adventum usque ad » Vigiliam Nativitatis Domini exclusive, præterquam » in jejuniis Quatuor Temporum; (*Ibid.*) singulis prædictis diebus habentur singulæ Antiphonæ propriæ » ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, et in Horis super Psalmos Antiphonæ de Adventu dicuntur. » (*Ibid.*)

1338. *Dominica II vel III Adventus* si fuerit infra Octavam Immaculatæ Conceptionis (V. n.° 98.) totum Officium fit de Dominica cum sola Memoria Octavæ

et Præfatione ejusdem in Missa, omissis in Laudibus Memoria B. M. V. et in Missa Oratione *Deus qui de Beatæ.*

1339. *Antiphonæ O* debent inchoari die 17 Decembris, et consequenter dici ad *Magnificat* vel ad Memoriam usque ad Vigiliam Nativitatis exclusive, servato dumtaxat hoc ordine quo positæ sunt. (*Brev.*) Quas Cantor Fratribus inchoandas imponat (*Ord.*) incipiendo a majoribus. Ad quas omnes qui possunt convenire debent. (*Cæremon. C.*) In diebus in quibus istæ Añæ cantantur, ad Vesperas nullæ fiunt Prostrationes, nec Preces dicuntur (V. n.° 323); et cantatur *Benedicamus Domino* ut in Festo Simplici, etiamsi fiat de Feria (*Ibid.*)

1340. « *Antiphonæ Laudum* propriæ per sex Ferias » Vigiliam Nativitatis Domini præcedentes dicantur, » intermissa illa Feria in quam Festum S. Thomæ » vel quodcumque aliud inciderit. » (*Brev.*) Suis pro» priis diebus dici debent, illæ scilicet quæ pertinent » ad secundam Feriam in secunda Feria, et sic de » aliis. » (*Ord.*)

1341. « *In die S. Thomæ* fit Memoria de Adventu » per Antiphonam *Nolite timere.* Si vero Festum hoc » transferatur, dimittitur prædicta Antiphona, et loco » illius dicitur pro Memoria Adventus *Ant. Dicit Do» minus.* » (*Brev.*)

1342. *Fer. IV. quatuor Temporum Adventus.* Invitatorium *Prope est,* etc , quod et Feria VI. et Sabbato sequenti etiam dicitur. Tria ℟℟. propria singulis prædictis diebus habentur; ℟℟. autem Fer. IV, cum fuerint impedita, in quinta Feria dicentur.(V. n.° 201).

*In Missa.* « Ad primam Orationem non inclinent, » nec prosternant se Fratres, sed stent versis vultibus » ad Altare. » (*Ord.*) Post primam Orationem dicitur Lectio Isaiæ Prophetæ, in cantu Lectionum ab Acolytho. (V. n.° 1531.)

1343. *Sabbato Quatuor Temporum*. Ad quinque primas Orationes stent Fratres versis vultibus ad Altare. (V. n.° 760.) Quinque Lectiones cum propriis titulis legantur ab iis quibus Cantor injunxerit, et in Super pelliceis. « Hymnus *Benedictus es*, a duobus quibus » Cantor injunxerit, in medio Chori cantatur sine Su- » perpelliceis; cumque dixerint *Patrum nostrorum*, » Chorus respondeat: *Et laudabilis;* similiter per sin- » gulos Versus. Interim dum cantatur Hymnus, stet » Chorus contra Chorum, (et ad *Gloria Patri* inclinet); » reinceptoque primo Versu Hymni a Fratribus qui » cantaverunt, Chorus prosequatur incipiendo : *Do-* » *mine Deus*. Prædicto modo fiat, quotiescumque præ- » dictus Hymnus cantatur. Ad Orationem sequentem » prosternant se Fratres, vel inclinent, si Festum fue- » rit. » (*Ord.*) In Missa majori Sacerdos Lectiones et quæ sequuntur legat eo modo quo dictum est. (V. n.° 1531.)

## §. II. De Vigilia Nativitatis Domini.

1344. « *Ad Matutinum* nec prostrationes fiant, nec » dicatur Officium quotidianum B. M. Virginis » (*Brev.*) « Invitatorium *Hodie*, etc., ab uno dicitur, nisi fuerit » Dominica; Hymni de Adventu, Psalmi et Antiphonæ » feriales, Versiculus proprius cum Homilia et Re- » sponsoriis propriis. In Laudibus et deinceps usque ad » Vesperas exclusive fiat Officium ut in Festo Duplici. » (*Brev.*) (Vid. Litt. Mag. Ord. XII.) Psalmi *Dominus*, etc., cum quinque Antiphonis, Capitulo, Versiculo, Antiphona ad *Bened*. et Oratione propriis.

1345. « Si autem hæc Vigilia evenerit in Dominica, » Officium fiet hoc modo : Ad Matutinum Invitat. » *Hodie*. Hymnus, Psalmi Nocturnorum et tres Anti- » phonæ super Psalmos cum ℣℣. primi et secundi No- » cturni prout in Dominica I. Adventus; sex primæ

» Lectiones et totidem ℟℟. erunt de Dominica occur-
» rente. In III. Noct. dicitur Versiculus *Hodie*, etc,
» Tres ultimæ Lectiones de Homilia, et ℟℟ Vigiliæ;
» Homilia vero et tria ℟℟. de Historia *Canite* cum
» Antiphonis Laudum illo anno dimittuntur. » (*Brev.*) Ad Laudes et deinceps omnia ut supra, cum Memoria Dominicæ.

1346. *Ad Capitulum.* Dum cantatur Psalmus *Laudate Dominum de cœlis* pulsetur campanula Capituli, ut qui non interfuerunt Matutinis, possint et ipsi opportuno tempore una cum aliis Capitulum ingredi. Aula vero Capituli a Sacrista decenter ornabitur tapetibus et luminibus prout in ordine consuetum est. Dicta Oratione *Salve, Regina* cum Orationibus in fine Matutini, progrediuntur Fratres ad Capitulum more solito, præcedente Prælato cum Cappa et majoribus subsequentibus, et successive minoribus. (*Cærem.*)

1347. Quibus omnibus in suis locis permanentibus et sedentibus, facto signo a Prælato, surgant; et ipse Cantor, sive is cui injunxerit, cantet Lectionem currentem Martyrologii. Cum pervenerit ad illa verba *Jesus Christus*, elevet vocem in quinta vel octava, solemniter ac morosius ea verba canendo, (non mutato tamen Lectionis tono in alium, videlicet Passionis seu Lamentationis vel Psalmorum). (*Ibid.*) « Postquam di-
» xerit *Factus Homo*, Conventus prosternat se et faciat
» brevem Orationem. Cum autem Prior signum fece-
» rit, surgant omnes » (*Ord.*), et ipsis sedentibus, Cantor prosequatur Lectionem Martyrologii, prout inceperat. Postea dicitur ℣. *Pretiosa* cum Evangelio Vigiliæ. (*Cærem.*)

1348. Tunc qui paratus est ad orandum, videlicet novitius theologus, vel etiam philosophus si non adest theologus, et simplex quoque, utroque illo deficiente, ecundum usus Provinciarum, Prælato dicente : *Surgat, qui debet facere sermonem*, surgens veniat ante eum,

et flexis genibus et inclinato capite, petat benedictionem dicendo : *Jube*, etc., et detur ei a Prælato benedictio : *Dominus sit in corde tuo*, etc. *In nomine Patris*, etc. Qua recepta, eat ad locum ubi faciendus est sermo, et latinum sermonem ei jam injunctum, consedentibus Fratribus, proferat. Quo expleto, iterum rediens ad Prælatum (si fuerit usus), prosternat se super terram ante eum, et facto signo, surgat redeatque ad locum suum. (*Ibid.*)

1349. Deinde Prælatus solet vulgari sermone Fratres ad tantam solemnitatem breviter invitare et dare absolutionem generalem. Et cum finem fecit incipiat ipse Psalmum *Laudate Dominum*, et solvitur Capitulum more solito.

1350. *Ad Horas*. Antiphonæ Laudum dicantur, et Capitula cum Responsoriis, Versiculis et Oratione erunt Vigiliæ.

1351. *Ad Missam*. Si Dominica fuerit, prima Missa dicatur de eadem, cum Orationibus more solito. In Missa Vigiliæ nulla fit Memoria, nec dicatur *Alleluia*, nec *Credo*, nisi Dominica fuerit; in quo casu hæc dicuntur in omnibus Missis, præterquam Memoria Dominicæ in Missa Conventuali, si prima Missa ejusdem dicta fuerit. Et dicatur in omnibus Missis Evangelium *In principio*, etiam die Dominica. (*Ex Miss.*) (V. n.° 358.)

1352. *Ad Vesperas* dicuntur super Psalmos quinque Antiphonæ.

*Ad Completorium* super Psalmos et *Nunc dimittis* Antiphonæ propriæ hujus diei. (V. n.° 188 et 219.)

In fine Hymnorum ejusdem metri dicatur usque ad I. Vesperas Epiphaniæ exclusive stropha : *Gloria tibi Domine, Qui natus es*, etc.

## §. III. In Nativitate Domini.

1353. *Ad Matutinum* (V. n.° 598.) omnia prout in extensum in Breviario. In III. Nocturno quælibet lectio est de Evangelio cum duobus ultimis Benedictionibus propriis.

1354. Tempore opportuno Ministri deputati ad cantandum Evangelium *Liber Generationis* se præparent. « Dum cantatur nonum Responsorium, Diaconus in» dutus Dalmatica, (V. n.° 541) sicut in magnis sole» mnitatibus fieri solet, et Subdiaconus, Acolythi, Cru» ciferarius et Thuriferarius veniant in Chorum, præ» cedente Thuriferario, more solito, (V. n.° 637. 829.) » usque ad sedem Prioris vel principalis Prælati (*Miss.* » *loc. pr.*). Ubi cum pervenerint, (antequam Prælatus » incipiat cantare Versum noni Responsorii, *Cærem.*), » Thuriferarius thus offerat Priori ad benedicendum » et benedictum ab ipso in thuribulum ponat. » (*Miss. De serm. Dom.*) « Et Diaconus petat a Prælato Bene» dictionem dicens : *Jube, Domne*, etc.; et Prior respon» deat : *Dominus sit*, etc... Deinde eant ad pulpitum, » ubi cani Evangelium solet; et tunc finito nono Re» sponsorio, Diaconus incipiat : *Dominus vobiscum*, etc. » (*Miss. loc. pr.*)

1355. *Ad primam Missam.* « Finito Evangelio, sta» tim incipiatur *Te Deum* (1). » Interim qui primam Missam cantare debet, præparet se. Post *Te Deum* con-

(1) In multis Conventibus post Evangelium Generationis D. N., dum cantatur *Te Deum*, Imago Pueri Jesu processionaliter per Ecclesiam defertur sive a Diacono, sive ab ipso Priore induto Cappa serica, Fratribus sacram Imaginem cum candelis accensis subsequentibus vel præcedentibus pro more locorum. Postquam Fratres illam venerati fuerint, Imago ponatur in loco ubi per totum Nativitatis tempus devotioni Fidelium remanebit exposita.

tinuo Missa inchoetur. Ante Epistolam Lectio de Isaia Propheta ab uno Acolythorum cantetur, deinde sine intervallo Epistola dicatur more solito, Præfatio ut n.° 410, *Communicantes* ut n.° 424.

1356. *De servandis pro tribus Missis.* « Sacerdos tres » Missas celebraturus in hac die, in prima Missa » Christi Sanguinem majori qua poterit diligentia, to- » tum sumat: deinde immediate Calicem super Cor- » porale deponat, et » (collectis diligenter fragmentis more solito) « cooperiat Patena, et procedens ad cor- » nu Epistolæ, primam ablutionem super digitos reci- » piat in vasculo decente ibidem a Sacrista præpara- » to, dicens : *Quod ore*, etc... »

1357. « Purificatorio detersis digitis, mox discoo- » pertum Calicem sinistra manu accipiens, infundat in » eo vinum et aquam pro secunda Missa »(modo consueto)« deponatque supra Corporale, et sine ulla de- » tersione Hostiam Patenæ superponens, Palla Velo- » que tegat, et inde procedens ad librum Missam » prosequatur more solito. Eodem prorsus modo fa- » ciat in secunda Missa pro tertia, in qua, loco primæ » ablutionis, recipiat in Calice ex vasculo depositas » priores digitorum ablutiones, et postea secundam » super digitos more solito. » (*Miss. loc. pr.*)

1358. In fine primæ Missæ, dicto *Ite, Missa est*, et » data Benedictione, ac dicto Evangelio *In principio*, » Sacerdos revertatur ad medium Altaris, ubi, incli- » nato capite, descendat infra illius gradus, et stans » signet se signo Crucis, ut in prima; et dicto *In no-* » *mine Patris*, etc... incipiat secundam Missam et finiat » modo quo supra. In tertia idem etiam observetur, » excepto quod loco Evangelii *In principio*, dicat Evan- » gelium *Cum natus esset*, quod habetur in die Epipha- » niæ. » (*Ibid.*)

1359. *Pro Missa solemni* observandum est quod Ca- » lix ubi fuit Sanguis Christi in prima Missa (cum ibi

» soleat semper remanere aliquid Sanguinis), debeat » relinqui supra Corporale, et a Diacono Patena, Palla » Veloque cooperiri ; ut, absoluta Missa, cum eodem, » si commode fieri potest, alius Sacerdos statim tres » Missas consequenter celebret. Si ita fieri non potest, » cooperiatur Patena a Diacono, et intra Tabernacu» lum reponatur, donec aliæ Missæ cum eo dicantur. » (*Ibid.*)

1360. *Ad Laudes.* Hac nocte, dicta Communione, » si fuerit Missa Conventualis (*Miss.*), absque Ver» siculo et absque *Deus in adjutorium*, in Choro in» choetur in Laudibus Antiphona *Quem vidistis*, et » dicuntur Laudes more solito. » (*Brev.*) « Dum au» tem Laudes a Conventu dicuntur, Prior cum Mini» stris (V. n.° 830.) in Presbyterio in cornu Epistolæ, » Laudes suas dicendo, sedeat, usquequo inchoanda » fuerit Antiphona ad *Benedictus* » (*Ex Miss.*), Acolytho majore tenente coram illo librum (*Cærem.*)

1361. Non dicatur, hac nocte tantum, Capitulum, neque Hymnus, neque Versiculus; sed dicta post ultimum Psalmum Antiphona (V. n.° 830.), Prior stans ad Altare in cornu Epistolæ, Cantore ei deferente (si Chorus est prope Altare, *Cærem.*), incipiat ad *Benedictus* Antiphonam *Gloria* (*Miss.*), quæ tota ante Canticum dicitur. Ad *Benedictus* fiat incensatio Altaris, Ministrorum et Chori. Repetita Ant. *Gloria in excelsis* a Choro, dicitur a Sacerdote *Dominus vobiscum* et Postcommunio *Da nobis*, etc., et deinde terminetur Missa more solito. (*Ibid.*)

1362. Si Missa non sequatur immediate Matutinum, finito *Te Deum*, dicatur Versiculus *Puer*, etc., et *Deus in adjutorium*, etc., (*Brev.*) et cætera ut supra, absque Capitulo, Hymno et Versiculo, et cum Oratione diei *Concede*; more solito. Idem fiat, si Laudes recitentur privatim extra Chorum.

1363. In aurora ante Primam incipiatur secunda

Missa Nativitatis, quæ cantanda est sicut in Festo Duplici. (*Ord.*) Ad Primam dicitur ℣. *Qui natus.* (V. n.° 305.)

1364. *In Vesperis* quinque Antiphonæ et Psalmi proprii dicuntur quotidie ad Vesperas per Octavam, etiam in Festis Sanctorum usque ad I. Vesperas Circumcisionis exclusive. *Ad Completorium* vero Antiphonæ super Psalmos *Natus est,* et super Canticum *Alleluia* dicuntur quotidie usque ad Vigiliam Epiphaniæ exclusive. (*Brev.*)

1365. *Infra Octavam* Nativitatis, fit Memoria ejusdem cum Antiphonis propriis ante Memorias aliarum Octavarum. De Dominica infra eam nihil fit nisi in crastino S. Thomæ. Si hac die Dominica fuerit, omnia dicuntur ad Matutinum ut in die Nativitatis, præter novem Lectiones ; et similiter in Laudibus, additis Capitulo, Hymno, et Versiculo, et Memoria ejusdem Dominicæ post omnes Memorias de Sanctis. Ad Horas vero omnia ut in die Festi.

1366. Si hac die Dominica non fuerit, Officium erit pariter de infra Octavam juxta regulas generales in prima Parte expositas. Tunc tres Lectiones erunt de Homilia Dominicæ et fiet Memoria ejusdem ut supra : præterquam si crastinum S. Thomæ Sabbatum fuerit, nam Homilia Dominicæ dimittetur illo anno, et tunc legentur in Matutinis tres Lectiones quæ notantur. Memoria autem Dominicæ fiet in die S Sylvestri ut supra. (*Brev. loc. pr.*)

1367. *Missa de Dominica* dicatur die crastino S. Thomæ cum Memoria primo loco Nativitatis Si autem crastinum S. Thomæ Sabbatum fuerit, Missa de Dominica dimittitur illo anno, et ipsa die Sabbati dicitur Missa de Octava Nativitatis cum Memoria aliarum Octavarum. Memoria vero Dominicæ fiet in die S. Sylvestri ut supra. (*Miss.*)

In Festo autem Circumcisionis Domini et in Octava

Nativitatis ejusdem omnia fiant prout per extensum in Proprio Breviarii et Missalis habetur.

## §. IV. A Vigilia Epiphaniæ usque ad Cineres.

1368. *In Vigilia Epiphaniæ.* « Si hæc Vigilia in » Dominica contigerit, omnia tam ad Matutinum quam » ad Laudes et Horas desumantur ex Festo Circum- » cisionis præter novem Lectiones, Antiphonam ad » *Benedictus* et Orationem. » (*Brev.*) Hæc Oratio dicenda est ad omnes Horas, præterquam ad Primam et Completorium, et omnia fiant tam in Officio quam in Missa sub ritu Dominicæ.

« Si vero Dominica non fuerit, omnia tamen fiant » modo prædicto, excepto quod in Matutinis dicitur » (more Octavarum Simplicium) super novem Psal- » mos Antiphona *Dominus dixit* etc., cum Versiculo » *Notum fecit,* Homilia diei et ℟℟. vj, vij, et viij. » Ad Horas et Missam omnia eodem ritu cum *Alleluia* in ℟℟. Horarum. In Missa, quocumque die occurrerit, 2ª Oratio de B. M. V. 3ª pro Prædicatoribus.

1369. *In Epiphania Domini.* « In fine Hymnorum ejus- » dem metri dicitur stropha *Gloria... Qui apparuisti ;* » (V. n.° 189.) et ad Completorium Antiphonæ pro- » priæ : quæ dicuntur quotidie usque ad diem Octavæ » inclusive, etiam in Festis Sanctorum (*Brev.*) ; præ- » terquam in utroque Completorio (si illud habuerit) » Festi Inventionis D. N. J. C.

*Ad Matutinum.* « Non dicatur neque Invitatorium, » neque Hymnus, sed statim post *Domine, labia,* etc., » et *Deus in adjutorium...* incipiatur (ab eo qui facit » Officium) Antiphona *Afferte.*

« Cantato nono Responsorio, cantetur Evangelium » *Factum est autem* cum eadem solemnitate et ordine » quo notatum est supra n.° 1354. de Evangelio in » nocte Nativitatis. » (*Miss.*)

1370. *Per Octavam Epiphaniæ.* « Ad Matutinum dici-
» tur Invitatorium et Hymnus ; Psalmi sicut in Festo,
» excepto Psalmo *Venite*, etc., qui omitti debet : et loco
» illius dicendus Ps. 86. *Fundamenta.*

» Super Psalmos singulis diebus dicitur una Anti-
» phona incipiendo a prima, et sic consequenter juxta
» ordinem et numerum dierum. Versiculi quoque
» Nocturnorum ita distribui debent, ut si contigerit
» dici in Matutinis Ant. *Omnis terra*, etc., et secun-
» dum ordinem Feriæ etiam dicendus occurrat simi-
» lis Versiculus *Omnis terra*, loco illius dicatur alius
» ℣. *Reges Tharsis*, etc.

« Similiter quando dicitur Antiphona *Reges Tharsis*
» et juxta ordinem Feriarum occurrat pariter dicen-
» dus ℣. *Reges Tharsis*, loco illius dicatur alius ℣.
» *Omnes de Saba*, etc... » (*Brev.*)

1371. *Dominica infra Octavam.* Nihil fit de Dominica, sed agitur Festum Inventionis D. N. J. C. in medio Doctorum, prout in Breviario, et Missali. (V. n.° 113. 161.) In omnibus Horis hujus Officii dicitur ultima stropha propria, et in Completorio habentur Antiphonæ propriæ.

1372. *In Octava Epiphaniæ.* Novem Lectiones et Antiphonæ ad *Magnificat* in utrisque Vesperis, et Antiphonæ ad Laudes et per Horas, et ad *Benedictus*, cum Oratione et Missa dicuntur propriæ. Cætera vero desumuntur ex Festo præter Psalmum *Venite* ut supra. Ad Completorium ultima stropha Hymni et Antiphonæ Octavæ dicuntur, tametsi fiat de S. Hilario (*Ex Brev.*)

*Dominica I. post Octavam Epiphaniæ* et deinceps usque ad Septuagesimam omnia de Tempore per annum fiant prout in extensum in Breviario, et in prima Parte dictum est.

1373. *Sabbato ante Septuagesimam.* (M.) Ad Vesperas, quodcumque Festum occurrerit, dicatur *Benedicamus Domino* et *Deo gratias* cum duplici *Alleluia.* « Nec dein-

» ceps dicatur *Alleluia* usque ad Sabbatum Sanctum : » sed in principio Horarum, post ℣. *Sicut erat*, loco » *Alleluia* dicatur *Laus tibi*, *Domine*, etc.. » (*Brev.*) Eadem die post Vesperas silent organa.(V. n.° 377.)

1374. Dominicis in Septuagesima et deinceps diebus Dominicis usque ad Pascha dicuntur in Laudibus Psalmi *Miserere*, et 117. *Confitemini* cum cæteris consuetis et quinque Antiphonis super eos. Ad Primam vero Psalmi *Deus*, *Deus meus*, ut in Breviario (V. n.° 302) et super Psalmos Antiphona propria. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Antiphona similiter dicitur propria, et Responsoria Horarum eo modo quo n.° 218. et 660. dicuntur. Per Hebdomadam dicitur quotidie eadem Antiphona ad *Benedictus* et altera propria ad *Magnificat*.

*In Missis*, tam de Tempore quam de Sanctis loco *Alleluia*, deinceps dicitur Tractus in loco proprio notatus. (V. n.° 398.)

## ARTICULUS II.

### A FERIA IV. CINERUM USQUE AD FERIAM V. IN CŒNA DOMINI.

#### §. I. Feria IV. in capite jejunii.

1375. *In Officio*. (M.) Omnia fiant ritu Feriali ut in tempore Quadragesimæ, videlicet cum Prostrationibus, n^is 782, 787. et Precibus, etc. Capitula dicuntur propria in Laudibus et ad Horas profestis diebus usque ad Dominicam in Passione. « Ab hac die et deinceps » usque ad Cœnam Domini exclusive Orationes in » singulis Feriis ad Laudes positæ dicantur ad Tertiam, Sextam et Nonam, cum de Tempore agitur : » ad Vesperas vero dicuntur propriæ per singulas Ferias notatæ. » (*Brev.*)

Hac die in *Pretiosa* legitur Evangelium Feriæ; fitque de more sermo in Capitulo. « ℟℟. Horarum ut » in Feria II. post Octavam Epiphaniæ dicuntur hac » die et in aliis tribus diebus sequentibus. » (*Ibid.*)

1376. *Ad Psalmos Pœnitentiales* « Finita Nona » (*Brev.*), « quando Missa fuerit celebranda, Prior in- » duat Superpelliceum cum Stola, et Hebdomadarius » cum Ministris præparent se ad Missam celebran- » dam, sicut in Ferialibus diebus. Et præcedentibus » Acolytho sine Cereo, et Subdiacono, et Diacono de- » ferente Missale, subsequatur Hebdomadarius sine » Casula, deinde Prior. Cumque ad gradus Presby- » terii pervenerint, Hora Missam præcedente finita, » prosternant se, Prior ibidem super aliquem pan- » num ibi a Sacrista præparatum, et juxta eum » Hebdomadarius a sinistris, et Diaconus a dex- » tris et Subdiaconus et Acolythus a sinistris. (*Miss. a Rmo Cloche editum.*)

1377. « Tunc incipiente Priore Antiphonam *Ne re- » miniscaris* sine cantu, prosternant se Fratres, qui in » Choro sunt, super formas, et Cantor ex cujus Choro » fuerit Hebdomada, incipiat Psalmum *Domine, ne in » furore*, et uterque Chorus ipsum et reliquos Pœ- » nitentiales prosequantur, alternatim dicendo Versus, » et terminando quemlibet Psalmum per *Gloria Pa- » tri*. Post omnes Psalmos subjungatur a toto Choro » Antiphona : *Ne reminiscaris*, etc.

1378. « Deinde dicatur : *Kyrie, eleison... Pater no- » ster...* Quo finito, surgat Prior, et stans super » gradus Presbyterii, versa facie ad meridiem (id est ad partem Epistolæ), et dexteram manum erectam » habens ad Conventum, sive populum, Diacono coram » eo tenente librum, dicat : ℣. *Et ne nos*, etc., cum » Versiculis et Oratione sequentibus. Qua finita, faciat » Absolutionem absque *Dominus vobiscum* et *Oremus*, » ad quam respondeatur a Choro : *Amen*. (*Miss.*) Exi-

» stentes vero extra Chorum ad hos Psalmos recitan-
» dos non tenentur. » (*Brev.*)

1379. *Ad Benedictionem Cinerum.* « Facta Absolu-
« tione, surgant omnes, et Prior descendat infra gra-
» dus, et qui in Choro sunt, stent versis vultibus ad
» Altare, usque ad finem Benedictionis Cinerum. (Et
» hoc idem observetur in Benedictione Ramorum et
» Candelarum. ) » (*Miss.*) Cineres autem faciendi sunt
de Ramis olivarum sive aliarum arborum præcedenti
anno benedictis. (*Ex Miss. Rom. et usu Ord.*)

1380. « Subdiaconus vero accipiens Cineres a Sa-
» crista præparatos, teneat illos ad dexteram Prio-
» ris; et Diaconus librum ante eum; Acolythus vero
» a sinistris aquam benedictam et Aspersorium; et
» Prior stans ante gradus Presbyterii, verso vultu ad
» Altare, Cineres benedicat eo modo quo dicuntur Ora-
» tiones ad Horas : *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *Omni-
» potens*, etc., et finita Benedictione aspergat eos Aqua
» benedicta. » (*Miss.*)

1381. *Ad impositionem Cinerum.* Quibus aspersis,
cantetur a toto Choro, incipiente Cantore Hebdomadæ,
Antiphona *Exaudi nos;* « deinde Versus Psalmi 68
» *Salvum me fac*, cum sequentibus Versibus ejusdem
» Psalmi quot sunt necessarii; et repetatur Anti-
» phona *Exaudi nos* post quemlibet Versum, Cantore
» inchoante singulos Versus et post eos prædictam
» Antiphonam. Post ultimum autem Versum qui di-
» cendus est, dicatur *Gloria Patri;* et repetatur iterum
» *Exaudi nos*, etc. Deinde cantentur Antiphonæ *Inter
vestibulum* et *Immutemur habitu* (*Ibid.*)

1382. « Postquam vero Prior Cineres asperserit
» Aqua benedicta, accedens ad gradus Presbyterii,
» flexis genibus in supremo gradu, recipiat Cineres
» ab Hebdomadario stante super gradus; qui etiam,
» impositis Cineribus asperget eum Aqua benedicta.
» Deinde surgat Prior et stet supra gradus versus ad

» Chorum, et a dextris ejus Subdiaconus cum Cineri-
» bus, et Diaconus cum libro. A sinistris vero Hebdo-
» madarius et juxta illum Acolythus cum Aqua bene-
» dicta.

1383. « Venientibus Fratribus eo ordine quo itur » ad communionem »(absque inclinationibus profundis), « incipiendo a majoribus, et genua flectentibus, » Prior Cineres singulis imponat incipiens ab Hebdo» madario, quem etiam asperget Aqua benedicta, et » deinde a Ministris. Hebdomadarius vero, postquam » Cineres receperit, tenens Aspersorium, singulos, » Cineribus super eos impositis, aspergat Aqua bene» dicta. Cineres autem ponendi sunt in modum Cru» cis super caput; et dum imponuntur, dicatur : » *Memento quia cinis es, et in cinerem reverteris.* » (*Ibid.*)

1384. « Finita Cinerum impositione, Prior (stans infra gradus cum Ministris), verso vultu ad Altare, » Hebdomadario et Subdiacono et Acolytho similiter » versis, Diacono coram eo tenente librum, dicat me» diocri voce Versum : *Ostende*, etc., *Dominus vobis*» *cum* et Orationem *Concede*, prout in Missali.

1385. « Hac Oratione finita, Prior et Hebdomadarius » cum Ministris redeant ad Sacristiam eo ordine quo » venerunt. Et Hebdomadarius accipiens Casulam, et » inchoata a Choro Missa, procedat ad Altare cum Mi» nistris more solito. Prior vero deposita Stola et Su» perpelliceo, resumat vestes suas. (*Ibid.*)

1386. «Si Prior et Supprior defuerint, Hebdomadarius » Officium Cinerum expleat, et unus Sacerdos de an» tiquioribus cui Cantor innuerit, postquam Cineres » ab Hebdomadario benedicti fuerint, sine Superpelli» ceo et Stola ei Cineres imponat. » (*Ord.*)

1387. Postquam Cineres Fratribus impositi fuerint, sæcularibus poterunt imponi; vel etiam Sacrista aliusve Sacerdos, Stola et Superpelliceo indutus, vel, si fuerit

immediate ante aut post Missam, sacris indutus Paramentis eos extra Missam imponere poterit, servata consuetudine locorum. (V. n.° 545.)

1388. *Ad Missam,* « dicto a Sacerdote *Dominus vobis-* » *cum* et *Oremus* ante primam Orationem, Diaconus » flectendo genua dicat : *Flectamus genua* et tunc Mi- » nistri et Conventus flectant genua. Deinde dicat Sub- » diaconus *Levate*, et tunc surgant omnes, et Sacer- » dos Orationem prosequatur. Et hoc per totam Qua- » dragesimam observetur, quando de Tempore agitur, » nisi in diebus Dominicis, et in Cœna Domini et in » Vigilia Paschæ. » (*Ord.*) « Extra vero Quadragesi- » mam nunquam dicitur. » (*Miss.*)

1389. « Tractus *Domine, non secundum* hac die et » deinceps per totam Quadragesimam usque ad quar- » tam Feriam ante Pascha exclusive, Feria secunda, » et quarta, et sexta, ad Missam de jejunio cantetur a » toto Choro, nisi in quarta Feria Quatuor Temporum » (*Ord.*) Ad Versum *Adjuva nos*, Fratres genua flectant » usque ad finem Versus. (V. n.° 775.) Dicitur Præ- » fatio *Qui corporali* (V. n.° 412.)

1390. « Dicta ultima Postcommunione, dicat Sacer- » dos : *Oremus* (V. n.° 825.), et Diaconus : *Humiliate* » *capita vestra Deo*; et Chorus inclinet caput usque ad » finem Orationis. Et hoc semper observetur, quando » Oratio super populum est dicenda ; quæ dicatur » semper quando dicitur *Flectamus genua*, nisi in Sab- » bato Quatuor Temporum et in Parasceve. » (*Ord et Miss.*)

1391. « Hac die et deinceps usque ad Sabbatum » Sanctum inclusive dicantur Vesperæ ante prandium » exceptis Dominicis diebus. » (*Brev.*)

## §. II. A Dominica I. in Quadragesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum.

1392. *Sabbato ante Dominicam I. Quadragesimæ. Ad Completorium* cantatur ℟. *In pace.* Hoc ℟. quandocumque dicendum est (V. n.° 218.), semper ab uno incipitur, cui injunctum fuerit a Cantore, incipiendo a senioribus et ille solus cantat ejus Versum cum *Gloria Patri* (V. n.° 660). Hymnus *Christe, qui lux* dicitur quotidie usque ad Fer. V. in Cœna Domini exclusive; ad illa verba *Quos sanguine mercatus es,* Fratres in Choro genua flectant. Ad *Nunc dimittis* Antiphona *Evigila* dicatur usque ad Sabbatum ante Dominicam III. Quadragesimæ. De Organorum usu V. n.° 576. et seq. (1)

1393. « *Dominica I. in Quadragesima.* (V. n.° 81.)
» Capitulum ad Vesperas, Laudes et Tertiam, et alterum ad Sextam, et tertium ad Nonam, hujus diei,
» dicuntur deinceps ad Horas diebus Dominicis usque
» ad Dominicam Passionis exclusive; Hymni pariter,
» et Versiculi ad Matutinum et ad utrasque Vesperas
» et Laudes, cum de Tempore agitur. Responsoria
» Horarum nonnisi usque ad III. Dominicam exclusive
» dicentur, tam Dominicis quam Profestis diebus cum
» de Tempore agitur. » (*Brev.*)

---

(1) Ordinarium ad I. Dominicam Quadragesimæ hæc habet ; « Hac
» die post Completorium ante Presbyterium cortina tendatur. In die-
» bus vero Dominicis et Festis Sanctorum die præcedenti ad Vesp.
» cortina a conspectu Presbyterii abstrahatur, et in die Festi post
» Completorium retrahatur. Similiter in profestis diebus ad inchoatio-
» nem Missæ abstrahatur, et ea finita retrahatur, quod faciat Sacrista;
» et Fer. IV. in Hebdomada Sancta removeatur ex toto post Comple-
» torium. » Sed hoc non est apud nos amplius in usu.

1394. *Fer. IV. Quatuor Temporum. In Missa,* ad I.$^{am}$ Orationem, postquam Diaconus dixerit : *Levate*, stent Fratres versis vultibus ad Altare. (*Ord.*)

*Sabbato Quatuor Temporum,* in Missa de Feria ad quinque primas Orationes, dicto *Levate,* postquam Fratres se erexerint, stent versis vultibus ad Altare. (*Ord.*) Cantantur Lectiones et Hymnus prout supra dictum est in Quatuor Temporibus Adventus (V. n.° 1343.).Oratio super populum in fine Missæ hac die non dicitur. (*Miss.*)

1395. *Dominica II. Quadragesimæ. Ad Matutinum.* Totum Invitatorium *Quoniam Deus*, etc., in Psalmo intermittitur, postquam secundo dictum fuerit. (*Brev.*)

*Ad Missam* primus Tractus ab utroque Choro alternatim cantatur (V. 699.), Tractus secundus a quatuor Fratribus, binis et binis. (*Cærem.*)

1396. *Sabbato ante Dominicam* III. *Quadragesimæ.* Ad *Nunc dimittis* dicitur Antiphona *Media vita,* etc. usque ad Sabbatum ante Dominicam in Passione, nisi in Annuntiatione et per ejus Octavam, si infra hoc tempus evenerit (*Brev.*) « Ad Versum autem sedeat Cho-
» rus, qui cantetur ab uno cui injunctum fuerit, in
» medio Chori. » (*Ex Ord.*) (V. n.° 656.) ℟℟. Horarum
» hujus diei dicuntur quotidie ad Horas, quando de
» Tempore agitur, usque ad Dominicam in Passione
» inclusive. » (*Brev.*)

1397. *Sabbato ante Dominicam in Passione,* finita Missa Conventuali, Sacrista cooperiat Cruces omnes, et Imagines Altarium et Ecclesiæ, quæ sint coopertæ antequam inchoentur Vesperæ; sicque permaneant usque ad Parasceven. (*Cærem.*)

1398. « *A Vesperis* hujus diei usque ad Pascha exclu-
» sive, cum de Tempore agitur, in nullo Responsorio
» dicitur *Gloria Patri* nec ad Matutinum, nec ad alias
» Horas; sed loco *Gloria Patri* repetitur Responsorium,
» Festis (et Octavis) Sanctorum exceptis. » (*Brev.*)

*Ad Completorium* « ℟. *In manus* sine *Gloria*. Ad » *Nunc dimittis* Antiphona *O Rex*, quæ dicatur quoti- » die usque ad Cœnam Domini exclusive, nisi in An- » nunciatione B. M. V. et infra ejus Octavam, si in- » fra hoc tempus evenerit. » (*Ibid.*)

1399. *Dominica in Passione. Ad Matutinum* Invitatorium *Hodie*, etc. intermittitur in Psalmo *Venite*, et eo dicto sequitur : *Sicut in exacerbatione*... In fine ejusdem Psalmi *Gloria Patri* non dicitur, sed post ultimum Versum Invitatorium bis ex integro repetatur (*Ibid.*)

1400. « *Ad Primam* non dicitur ℟. *Jesu Christe*, nisi » in Festis Sanctorum ; sed usque ad Cœnam Domini » exclusive, cum de Tempore agitur, post Capitulum » immediate subjungatur *Exurge*, etc.

1401. « Capitulum *Tu autem*, etc. ad Vesperas, Lau- » des et Tertiam, et alterum ad Sextam, et tertium ad » Nonam, Hymni et Versiculi ad Vesperas, Matuti- » num et Laudes, Responsoria Horarum hujus diei di- » cuntur usque ad Cœnam Domini exclusive, cum de » Tempore agitur. (*Brev.*)

1402. *Ad Missam.* « Dominica in Passione et in Ra- » mis, in Antiphona *Asperges me* ad aspersionem Aquæ » benedictæ, loco *Gloria Patri* dicitur Versus *Et se-* » *cundum* (*Miss. loc. pr.*) Item in Introitu Missæ, omis- » so *Gloria Patri*, post Versum immediate repetitur » Introitus usque ad Versum exclusive. Quod obser- » vandum est in omnibus Missis usque ad Pascha, » nisi in Missis Sanctorum. » (*Miss.*)

1403. *Fer. II. post Dominicam in Passione.* Invitatorium hujus diei *Adoremus Dominum* deinceps quotidie dicitur usque ad Cœnam Domini Ferialibus diebus, omisso *Gloria Patri*, prout supra. 1399.

## §. III. Dominica in Ramis Palmarum.

1404. (M) *Ad Matutinum.* (V. n.° 98.) dicto *Hi errant corde* in Versu Psalmi *Venite,* Invitatorium bis ex integro repetitur prætermisso *Gloria Patri.* (*Brev.*)

1405. *Ad Benedictionem Palmarum.* « Finita Tertia, » Prior cum Cappa serica albi coloris, et Diaconus » cum Missali, et Subdiaconus cum libro Evangelio» rum, Dalmaticis ejusdem coloris induti, præceden» tibus Acolythis in Albis sine cereis, ad Altare ve» niant. Et facta aspersione Aquæ benedictæ more » solito, Prior stans ante gradus Presbyterii, verso » vultu ad Altare, Diacono ante ipsum tenente Mis» sale, Ramos arborum super gradus Presbyterii a » Sacrista collocatos (ita quod sint ad dexteram Prio» ris) benedicat eo modo quo dicuntur Orationes ad » Horas. » (*Miss.*)

1406. « Finita Benedictione, Prior aspergat Ramos » Aqua benedicta, seniore Acolythorum Aspersorium » tribuente. Deinde Cantor ramum Priori offerens, » incipiat Antiphonam *Pueri Hebræorum* » (*Ibid.*), et » Conventus ipsam et subsequentem pariter a Can» tore incipiendam prosequatur. Quod si Rami distri» buti non fuerint dum cantantur istæ duæ Anti» phonæ, repetantur quoties necesse fuerit. » (*Miss.*)

1407. « Interim dum cantantur prædictæ Antipho» næ, Sacrista Ramos arborum distribuat, primo » Ministris, deinde Fratribus, incipiens a dextro » Choro a Superioribus, et alter Frater cui ipse in» nuerit in sinistro ; postremo Fratribus Conversis. » (*Process.*)

1408. « Dum autem Rami distribuuntur, Acolythi » ad Sacristiam euntes Cereos afferant et ad Evange» lium accedant. (*Process. et Miss.*) Similiter qui scri» ptus est ad Crucem induat se Alba, et ille qui Aquam

» benedictam deferre in Processione debuerit, Super-
» pelliceum induat. (*Process.*)
1409. « Distributis Ramis, Diaconus, Benedictione » accepta a Priore, cantet Evangelium *Cum appropinquasset* in loco ubi Profestis diebus cantari consue- » vit, Acolythis et Subdiacono more solito ordinatis, » et illo qui delaturus est Aquam benedictam thuri- » bulum tenente, vel ipso Subdiacono, si Conversus » Aquam benedictam deferre debuerit. Dum autem » Evangelium cantatur, Prior stet prope Altare in » cornu Epistolæ, verso vultu ad Evangelium. (*Ibid.*)
1410. « Cantato Evangelio, Subdiaconus deferat li- » brum osculandum Sacerdoti, et Acolythi versus Sa- » cristiam accedant; et tum Frater Alba indutus Cru- » cem discoopertam a Sacrista præparatam accipiat, » et alius Aquam benedictam; et illis præeuntibus, eo » ordine quo consuevit fieri, fiat Processio.
1411. *Ad Processionem.* « Cantoribus incipientibus » Antiphonam *Cum appropinquaret*, Processio egredia- » tur more solito. Dum prædicta Antiphona cantatur, » fiat prima Statio in prima parte Claustri.
« Finita Antiphona præcedenti, Cantoribusque in- » choantibus Antiphonam *Collegerunt*, procedatur ad » secundam Stationem quæ fit in tertia parte Claustri: » et finita prædicta Antiphona (usque ad Versum), » dum fit secunda Statio, duo Fratres in medio Pro- » cessionis stantes ante Crucem cantent Versum: » *Unus autem*, etc... Cum autem inchoabitur post Ver- » sum resumptio: *Quid facimus*, procedatur ad ter- » tiam Stationem, quæ fiat ante introitum Ecclesiæ » anteriorem, vel in Ecclesia ante introitum Chori.
1412. « Finita autem resumptione prædicta, Cantores » genua flectendo incipiant Antiphonam *Ave Rex noster.* » In cujus inceptione Fratres omnes (præter Priorem » cum Ministris, et Cruciferarium et Ceroferarios), ver- » sis vultibus ad Crucem, genua flectentes Antiphonam

» prosequantur : *Fili David*. Cumautem dixerint *Re-*
» *demptor mundi*, omnes se erigant stantes versi ad
» Crucem usque ad finem Antiphonæ.

1413. « Dum prædicta Antiphona cantatur, duo Fra-
» tres quibus Cantor injunxerit, intrent Ecclesiam
» vel Chorum, et, clauso ostio, stantes versis vulti-
» bus ad Conventum finita Antiphona prædicta, can-
» tent totum Versum *Gloria, laus*. Et dum hic Versus
» cantatur ab ipsis duobus Fratribus, Conventus ver-
» tat se ad Crucem. Finito Versu *Gloria, laus*, Cho-
» rus eumdem Versum totum repetat. Deinde duo
» dicti Fratres cantent reliquos Versus, et Chorus post
» unumquemque respondeat *Gloria, laus*.

1414. « Cantato ultimo Versu, prædicti duo Fratres
» ostium aperiant, et ad Processionem in suis locis
» revertantur. Repetito a Choro *Gloria* post ultimum
» Versum, ad introitum Ecclesiæ vel Chori incipiatur
» a Priore, Cantore ei deferente, ℟. *Ingrediente*, et
» Conventu ipsum prosequente, Processio Chorum
» ingrediatur. Versus autem a duobus quibus Can-
» tor innuerit, vel ab ipsis Cantoribus cantetur.

« Dicto Versiculo post resumptionem, Prior absque
» *Dominus vobiscum*, præmisso *Oremus*, dicat Oratio-
» nem *Omnipotens*. (*Process.*)

1415. Dum Oratio dicitur, Cruciferarius Crucem deponat in « aliquo loco honesto ad cornu Evan-
» gelii, quæ discooperta usque ad Completorium re-
» maneat. » Prior cum Ministris facta inclinatione mediocri versus Altare, in Sacristiam revertatur : ubi depositis vestimentis prioribus assumptisque aliis coloris violacei, et Missa a Choro inchoata, procedant more solito ad Altare. (*Miss.*)

1416. Postquam autem Rami fuerint distributi, durante tota Processione, Prior et Ministri (exceptis inferioribus), et Fratres omnes illos deferant, quos deponunt post Processionem.

1417. *Ad Missam* una sola Oratio dicatur, nisi Memoria occurrerit (*Miss.*) (V. n.° 381.). Cum Subdiaconus in Epistola pronuntiat verba illa *In nomine Jesu omne genu flectatur*, fiat tum ab ipso, tum a cæteris Fratribus genuflexio, de qua supra n.° 775.

1418. « Finito Tractu, cantatur Passio a tribus (1) » indutis Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola ab » humero sinistro pendente coloris violacei, versus » cornu Evangelii seu in pulpito, secundum consue» tudinem Ecclesiarum. (*Cærem. Episc.*) Interim Celebrans cum suis Ministris legit Passionem stans in cornu Epistolæ ubi Evangelium in Missa majori ab eodem legi consuevit. Permittitur defectu Ministrorum (*S. R. C.* 10. *Jan.* 1852.) cani Passio a duobus ut supra (qui in Ordine nostro communiter esse solent Diaconus et Subdiaconus Missæ, hac die Dalmatica etiam induti); sed vocem Christi dat ab Altare Sacerdos celebrans e cornu Evangelii. Quibus singulis unus Acolythorum et Thuriferarius assistere solent.

1419. « Ad Passionem non petatur Benedictio nec » deferantur luminaria, nec incensum, nec dicatur » *Dominus vobiscum*, et Diaconus seu Celebrans dum » pronuntiat *Passio Domini*, non signat librum ne» que seipsum; nec signent se Fratres neque respon» deant *Gloria tibi, Domine*. Sed inchoetur absolute, » quod et in aliis diebus observetur dum cantatur » Passio, præterquam Feria VI in Parasceve in qua » dicitur sine ullo prorsus titulo. » (*Miss.*) In Missis autem privatis legi debet eodem modo in cornu Evangelii.

1420 Cum ille qui ad vocem Evangelistæ notatus est, pronuntiaverit verba *Emisit spiritum*, vel *Expira-*

---

(1) Reprobatur consuetudo cantandi Passiones a Subdiaconis, a laicis. (*S. R. C.* 16. *Jan.* 1677. *in una Hispalen. V. Gard.* 2811.)

*vit*, vel *Tradidit spiritum*, sileat et utrumque genu flectat in suo loco versus ad librum : quod similiter faciant Sacerdos cum omnibus Ministris Altaris. Fratres vero in Choro prosternant se simul super formas, Chorus contra Chorum, gratias devote referentes Redemptori, donec facto signo a Sacerdote, surgant omnes, et Lector prosequatur Passionem. (*Cærem.*) In Missis vero privatis similiter « pausatur aliquantulum et genuflectitur » (*Miss.*) utroque genu ad cornu Evangelii. (V. n.° 837.)

1421. In fine Passionis « Sacerdos (neque Diaconus neque ullus alius) « non signet seipsum nec li» brum, neque eum osculetur (V. n.° 1030) : quod » et in aliis Passionibus observetur. » (*Miss.*)

In Missis privatis legitur in fine Evangelium *Cum appropinquasset*. (*Ibid.*)

*In Vesperis* fit Memoria B. M. V. (V. n.° 1336). Post Completorium dicuntur Litaniæ Sanctorum (V. n.° 327. et seq. — 675. et seq.)

## §. IV. De Feriis II., III. et IV. Hebdomadæ sanctæ.

1422. *Fer. II. Hebdomadæ sanctæ.* (V. n.° 81.) Hac die et duobus diebus sequentibus fiunt omnes Prostrationes (n.° 787. et seq.), et dicuntur Preces ad omnes Horas, et servatur in omnibus ritus ferialis ut infra Quadragesimam.

*Ad Matutinum* Invitatorium et Hymnus ut in Fer. II. præcedenti : In Laudibus habentur super Psalmos Antiphonæ propriæ et similiter Fer. III. et IV. sequenti.

*In Vesperis* fit Memoria S. P. Dominici, et post Completorium dicuntur Litaniæ Sanctorum, et fiunt Disciplinæ, et similiter Fer. III. sequenti.

1423. *Feria III. Hebdomadæ sanctæ. In Laudibus* fit Memoria de S. P. N. Dominico.

*In Missa* vero legitur Passio secundum Marcum eodem modo ac Dominica præcedente.

*In Vesperis* fit Memoria de Sancto Ordinis nostri.

1424. *Fer. IV. Hebdomadæ sanctæ. In Laudibus* fit Memoria de Sancto Ordinis. (M.)

*In Missa* legitur Prophetia ab Acolytho, et cantatur Passio eodem modo ac supra 1418.

« *Ad Vesperas* non dicatur Officium B. M. V., nec » Preces, nec fiant Prostrationes, nec aliqua Memoria.

1425. « *Completorium* more solito absque Prostra» tionibus et absque Precibus dicitur, et Benedictio » post Completorium datur, et aspersio Aquæ bene» dictæ fiat. » (*Brev.*), dum Psalmi dicuntur (*Ord.*), vel Canticum *Nunc dimittis* (*Cærem.*), ordine consueto.

« Non dicitur *Salve Regina,* sed dicto *Fidelium,* etc. » post Benedictionem, deinde *Pater noster* et *Credo,* » Completorium terminatur. » (*Brev.*)

## ARTICULUS III.

## FERIA V. IN CŒNA DOMINI.

### §. I. In Matutinis, Laudibus et Horis.

1426. « Feria V. in Cœna Domini et duabus sequen» tibus Prior faciat Officium ad Horas in quibus in » Totis Duplicibus est notatum. » (V. n.° 1094.) (*Ord.*) (V. n.° 597.).

*Ad Matutinum.* Quindecim candelæ integræ ejusdem qualitatis (ex cera flava) præparentur in uno Candelabro triangulari « et ante Matutinas accendantur, qua» rum singulæ ad incœptionem cujuslibet Psalmi, » una hinc et altera inde, a Sacrista (vel ab eo cui » injunctum fuerit) extinguantur » (*Ord.*), incipiatque a parte dextera. Ad Altare vero sex candelæ accendantur. (*Cærem.*) « Dum Psalmus *Laudate* dicitur,

» lumen (Chori) ubi videri nequeat abscondatur, et » lampades quæ sunt per Ecclesiam (præterquam lampas SS. Sacramenti) extinguantur, item in fine ejus» dem Psalmi cerei Altaris. Incœpta vero Antiphona » super *Benedictus*, Cereus qui usque tunc solus ar» dens remansit, extinguatur; sicque *Benedictus* et » omnia quæ sequuntur in tenebris dicantur. » Postquam autem dicto ultimo *Pater noster* Fratres surrexerint, lumen (prius absconditum) a Sacrista proferatur. (*Ord.*) Quod etiam observetur duobus diebus sequentibus. (*Ibid.* et *alibi.*)

1427. « Officium hujus diei celebratur ad modum » Festi Duplicis. » (*Brev.*) (1). « Hoc triduo ante » Matutinum non dicitur *Domine labia*, etc., nec *Deus* » *in adjutorium*, etc., neque Invitatorium, neque » Hymnus, sed dicto *Pater noster* et *Credo in Deum*, » facto signo, postquam versis vultibus ad Altare » signaverint se Fratres (quod etiam fiat ad alias » Horas), statim incipiatur Antiphona super primum » Psalmum. » (*Brev. et Ord.*)

1428. « Non dicitur *Gloria Patri* in fine Psalmorum » et Canticorum » (*Brev.*), neque alibi. « Ultimi etiam » Versus Psalmorum et Canticorum secundum tono» rum differentias terminentur, sicut et alii. » (*Ord.*) Versiculus in Nocturnis cantatur ab uno, sub tono speciali.

1429. « Dicto *Pater noster* secreto, non pronuntie» tur *Et ne nos*, sed facto signo a Prælato, Lector in» cipiat tam Lamentationes quam Lectiones sine » *Jube Domne*, etc., et finiat absque *Tu autem*. Fini» taque Lamentatione vel Lectione, immediate inchoe-

(1) Idem dicitur de die Dominica (V. n.° 13.). Ex nostris autem libris infertur quod hac Feria omnia in Officio revera fiant ut in Dominica.

» tur Responsorium. Iste modus ad Matutinum duo-
» bus sequentibus servetur. » (*Brev.*)

1430. Lamentationem primam cantabit ille qui facit Officium, qui nihilominus ultimam Lectionem dicet; secundam et tertiam Lamentationem cantent digniores successive. Responsoria ut in Dominicis, id est, singula ab uno cui injunctum fuerit, cantentur in medio Chori; quod similiter fiat duobus diebus sequentibus. (*Cærem.*)

1431. *Ad Laudes.* Non dicatur Versiculus ante Laudes (nec *Deus in adjutorium*, ut supra), sed statim inchoetur ut ad Matutinum prima Antiphona. Capitulum non dicitur neque Hymnus, neque Versiculus, sed finita quinta Antiphona super Psalmos, inchoetur Antiphona ad *Benedictus*, deferente Cantore, ab eo qui facit Officium; quæ post Canticum a Cantore reincipiatur.

1432. Finita Antiphona post *Benedictus*, duo Fratres stantes ante gradus Altaris incipiant *Kyrie eleison* hoc ordine : « Fratres ante gradus : *Kyrie eleison*,
» et Choro idem respondente, iterum illi duo Fratres
» dicant *Kyrie eleison*.

« Deinde alii duo Fratres stantes in medio Chori
» dicant *Domine miserere*, et Chorus respondeat *Chri-*
» *stus Dominus*.

« Item Fratres qui sunt ante gradus cantent : ℣.
» *Qui passurus*; et Chorus dicat : *Christe eleison*. Item
» Fratres ante gradus : ℣. *Qui expansis*. Item Chorus :
» *Christe eleison*. Fratres ante gradus : ℣. *Qui prophetice*,
» etc. Item Chorus : *Christe eleison*.

« Deinde Fratres in medio Chori stantes dicant
» *Domine miserere*, et Chorus respondeat : *Christus*
» *Dominus*.

« Item Fratres ante gradus dicant : *Kyrie eleison*;
» et Chorus : *Kyrie eleison*; et Fratres ante gradus :
» *Kyrie eleison*.

« Deinde Fratres in medio Chori stantes dicant :

» *Domine miserere*, et Chorus respondeat : *Christus* » *Dominus* etc.

« Item Fratres ante gradus dicant alta voce : *Mortem autem Crucis.*

« Interim dum hæc cantantur, Fratres stent versi ad » Altare. » (*Ord.*)

1433. Finito Versu *Mortem autem Crucis*, Conventus in Choro prostratus super formas (quod etiam fiat in duobus diebus sequentibus) dicat secreto *Pater noster*, et facto signo a Prælato dicant mediocri voce alternatim Psalmum *Miserere*. Quo finito, Prior dicat Orationem *Respice* sine *Dominus vobiscum*, et sine *Oremus*, et sine *Qui tecum*... Et non dicatur *Amen*, nec *Benedicamus*, neque *Fidelium*, sed solum post Orationem dicatur *Pater noster;* factoque signo a Prælato surgant omnes (*Ord.*), et sic Matutinæ terminentur hoc triduo. (*Brev. et Offic. Hebd. S.*)

1434. « In principio Horarum non dicatur *Deus in* » *adjutorium* ut supra ; nec etiam dicatur Hymnus, » nec Capitulum, nec ℟℣. cum Versiculis, nec *Domi-* » *nus vobiscum*, nec *Oremus*, nec *Qui tecum*, nec *Be-* » *nedicamus*, nec *Fidelium* usque ad Completorium » Sabbati sancti exclusive. Post Horas tamen more » solito dicitur *Pater noster* » (*Brev.*), omissis *Salve Regina*, et Precibus solitis.

1435. « *Ad Primam*, dicto *Pater noster* et *Credo* (ut supra ad Matutinum), « inchoatur a Versiculario Anti- » phona *Christus*. Tres Psalmi consueti tam ad Primam » quam ad reliquas Horas dicantur. Dicta communi- » ter post Psalmos Antiphona, absque *Kyrie eleison* » et Precibus, et sine Psalmo *Miserere*, dicatur Oratio » *Respice*, » ad quam Fratres inclinent. Hæc Oratio dicitur usque ad Nonam Sabbati sancti ad omnes Horas etiam ad Completorium.

*Confiteor* non dicitur usque ad Completorium Sabbati sancti exclusive.

*Pretiosa* hac die more solito dicatur, sine *Gloria Patri*, cum Evangelio proprio.

Tertia, Sexta et Nona dicantur supradicto modo. (*Brev.*)

## §. II. Ad Missam.

1436. « Hac die Fratres privatas Missas non celebrent, sed omnes in Missa Conventuali communicent. » (*Miss.*) « Sacrista vero ante Nonam omnia » Altaria detegat, præter majus, quod, dum Vesperæ » cantantur, detegatur (una sola mappa super ipsum » usque post Missam relicta, quæ finita Missa removeatur); et usque ad Horam Tertiam Sabbati sequentis detecta remaneant, præter majus quod in » crastinum hora Officii cooperiatur. » (*Ord.*)

1437. *Ad Psalmos Pœnitentiales.* « Finita autem Nona, » Prior cum Diacono (deferente Missale), et Subdiacono, et Acolythis, absque sericis indumentis et cereis, ad gradus Presbyterii veniat, ibique Diacono » cum uno Acolythorum a dextris, et Subdiacono cum » altero Acolythorum a sinistris stantibus, incipiat » sine nota Antiphonam *Ne reminiscaris*.

1438. « Qua incepta, prosternat se cum Ministris eo » ordine quo stabant, super aliquem pannum ibi a Sacrista præparatum; et Cantore ex cujus Choro fuerit » Hebdomada, incipiente Psalmum *Domine, ne in furore*, » Fratres ipsum et reliquos Pœnitentiales prosequantur prostrati super formas, sine *Gloria Patri* singulos » Psalmos terminando, utroque Choro Versum alternatim dicente. Subjuncta post Psalmum a toto Choro » Antiphona *Ne reminiscaris* etc., fiat Absolutio sicut » in Feria IV. in capite jejunii est notatum, n° 1378.

1439. « Facta Absolutione, surgant omnes, et Prior » cum Ministris in Sacristiam revertatur. Et Missa » inchoata a Choro (quæ sicut in Festo Toto Duplici » celebratur), assumptisque sericis indumentis et cereis, procedat more solito ad Altare. » (*Miss.*)

1440. *Infra Missam.* Inchoato *Gloria in excelsis*, pulsentur Organa (V. n.° 578.), et Campanæ Ecclesiæ, et quidem Campanula (1) (V. n.° 617.), quibus pulsatis, nullum amplius fiat signum cum Campanis, sed in posterum omnia signa fiant cum Tabella. Una sola Oratio dicatur (V. n.° 381.) et post Evangelium *Credo*. Præfatio de Cruce, *Communicantes, Hanc igitur* et *Qui pridie* in Proprio habentur. Dicatur *Agnus Dei*, sed pax non datur.

1441. « Hac die duæ Hostiæ a Sacerdote consecren-
» tur, quarum unam sumat, alteram reservet pro
» die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum.
» (Poterunt etiam, si opus fuerit, aliquæ particulæ
» pro infirmis consecrari et reservari in Pixide):
» Deinde Sacerdos sumat totum Sanguinem, quo sum-
» pto, ante ablutionem digitorum Hostiam in crasti-
» num servandam ponat in Calice diverso ab eo in
» quo celebratum est : quem Diaconus Patena et
» Palla cooperiet et in medio Altaris collocabit, serico
» Velo albi coloris super eum expanso.

1442. *Ad Communionem.* « Deinde fiat communio
» Fratrum hoc ordine, ita ut communicent primo
» omnes Ministri simul, Diacono et Subdiacono ha-
» bentibus stolas super Dalmaticas, si sint Sacerdotes,
» simulque omnes præ manibus teneant mundam map-
» pam ad hoc præparatam inter Sacerdotem et ipsos
» communicantes extensam, illamque sub mento dum
» communicant ambabus manibus elevent. (*Miss.*) (V. n.° 1319.)

« Postquam Ministri communicaverint, Acolythi
» flectentes genua in supremo gradu Altaris hinc et
» inde, versis vultibus ad invicem, mappulam supra-
» dictam inter Priorem et Fratres communicantes te-
» neant. Diaconus vero ad cornu Evangelii et Sub-

(1) Ita usus Ecclesiæ et sic docent omnes Rubricistæ.

36

» diaconus ad cornu Epistolæ accedant ad vinum su-
» mendum de Calice alio quam sit Calix cum quo ce-
» lebratur; posteaque aliis illud ministrent, tenendo
» pedem Calicis dextra manu, et læva mundam atque
» decentem mappulam quacum Fratres post ablutio-
» nem oris labia detergant. (*Ibid.*)

1443. Post Ministros cæteri Fratres communicent, a majoribus incipiendo, Sacerdotibus cum Stolis super Cappas, binis ac binis successive procedentibus ad Altare (V. n.° 1312.); sumptaque communione (et ablutione, ut supra, ad cornu Altaris), eodem ordine in Chorum revertantur; vel si Altare sit intra Chorum prope Presbyterium, in duos Choros ordinati maneant genuflexi. (*Ibid.*)

1444. « Caveat Sacerdos ne post factam consecra-
» tionem, unquam Sacramento terga vertat, sed in
» communicandis Fratribus, et dicendo *Dominus vo-*
» *biscum*, et in danda Benedictione ante ultimum
» Evangelium, secedat paululum a medio ob reve-
» rentiam Sacramenti; et ante et post quamlibet præ-
» dictarum actionum genuflectat, quod etiam Ministri
» in suis functionibus observabunt. » (*Ibid.*)

1445 « Interim Communio cantetur, Fratribus cereos
» accendentibus et genuflexis manentibus. Absoluta
» vero omnium Fratrum communione, Prior, more
» solito, Patena recolligat fragmenta, et si quæ super
» Corporale invenerit, in Calice excutiat, tumque pri-
» mam ablutionem sumat, et secundam etiam super
» digitos recipiat; qua sumpta, Calicem super Corpo-
» rale deponat, quem Subdiaconus a se purgatum mox,
» præeunte uno Acolythorum cum ampullis, in Sacri-
» stiam deferat. Deinde Prior, si Missam finire volue-
» rit, dicta Communione, accedat ad medium Altaris,
» et facta genuflexione, verso vultu ad populum, seu
» Conventum, dicat *Dominus vobiscum*, deinde reversus
» ad librum dicat Postcommunionem. Postea accedens

» ad medium et genuflectens dicit iterum *Dominus vobis-*
» *cum*, et *Ite Missa est*, et data Benedictione Evangelium
» *In principio*. (*Miss.*)

### §. III. De Processione et Vesperis.

1446. Post generalem communionem debet fieri solemnis Processio ad deferendum SS. Christi Corpus ad præparatum locum juxta consuetudinem Ecclesiæ. Talis autem Processio potest fieri vel immediate post communionem, vel postquam terminata fuerit Missa; in quo standum est consuetudini aut prudenti dispositioni Prælati, sive Cantoris. (*Cærem.*)

1447. « Finita Missa, Acolythi cum candelabris et
» cereis accensis vadant in Sacristiam, Cruciferarium-
» que inde habentem Crucem velatam, præeunte Thu
» riferario, comitentur, ac ante gradus Presbyterii
» genuflexi sistant. Interim aliquibus ex antiquiori-
» bus Patribus aut nobilioribus sæcularibus a Sa-
» crista ad deferendum invitatis, Prior stans ante Al-
» tare genuflexus thurificet Corpus Domini. Postea
» Diaconus imponat super humeros Prioris velum seri-
» cum albi coloris, cujus extremitates super ejusdem
» manus expandat; et deinde facta genuflexione, de
» Altari Calicem in quo est Corpus Domini, cum
» Pixide continente alias parvas Hostias consecratas
» supra posita, tradat Priori inter manus, qui statim
» surgens vertat se ad populum. (*Miss.*)

1448. « Tunc Cantor incipiat Hymnum *Pange, lin-*
» *gua*, et Conventus prosequatur, fiatque Processio ad
» locum præparatum ubi reponendum est pro crastino
» Corpus Christi, Priore incedente sub Baldachino,
» fulcientibus eum hinc et inde per brachia Diacono et
» Subdiacono, et Thuriferario a latere semper ante
» eum incensante Corpus Domini.

1449. « Cum pervenerint ad locum, Fratres ordinati

» in duos Choros hinc et inde se collocent, ac genu» flexi cantentpræfatum Hymnum. Interim Diaconus » genuflexus, a Priore stante, accipiat Calicem et Pixi» dem cum Sacramento, et mox se erigens ponat illum » primo super Corporale in Altari, ubi a Priore genu» flexo incensetur ut supra. Deinde Diaconus reponat » illum cum Pixide in Capsula ibidem præparata. Quo » facto, Acolythi dicant ℣. *Panem de cœlo,* etc., et Prior » erectus subjungat Orationem *Deus qui nobis.*

1450. « Postea extinctis cereis vel ibidem accensis » depositis, Baldachino et Cruce etiam ibi relictis, » revertantur omnes in Chorum ordine quo vene» runt. Prior autem et Ministri, præeunte Thurife» rario cum Cruciferario ante Acolythos, in Sacristiam » revertantur.

« Si vero prius Vesperæ dicantur, antequam Missa » terminetur, facta communione, fiat Processio ut » supra, et finita Processione, Prior et Ministri ad » Presbyterium, et Conventus in Chorum, eo ordine » quo exierunt, revertantur.

1451. *Ad Vesperas.* « Postquam autem omnes in » Chorum venerint, absque *Pater noster* et absque » *Deus in adjutorium* incipiantur Vesperæ per Antipho» nam *Calicem* (*Miss.*), quæ hac die festive cantentur. (*Ord.*)

« Dum Vesperæ a Conventu dicuntur, Prior cum » Ministris in Presbyterio ad cornu Epistolæ Vespe» ras suas dicendo sedeat, usquequo inchoanda fuerit » Antiphona ad *Magnificat.* Interim dum Vesperæ can» tantur, Acolythi vel Sacrista denudent Altare, re» licta una sola linea mappa super illud, quæ etiam, » finita Missa, auferatur. (*Miss.*)

1452. « Dicta post ultimum Psalmum Antiphona, » Prior stans ad Altare in cornu Epistolæ, Cantore » ei deferente, incipiat ad *Magnificat* Antiphonam *Cœ*» *nantibus*, stetque in eodem loco cum Ministris de

» more ordinatis, donec cantatum sit Canticum cum » Antiphona. Qua finita, Prior conversus ad Conven» tum seu populum dicat : *Dominus vobiscum* ; deinde reversus ad librum dicat more solito : *Oremus. Refecti vitalibus*, etc.; postea dicit iterum *Dominus vobiscum*, deinde *Ite missa est* dicatur, et data Benedictione Evangelium *In principio*. (*Miss.*) Et sic Vesperæ et Missa terminentur. (*Brev.*) Si vero Vesperæ post Missam vel privatim recitentur, dicatur Oratio *Respice* et *Pater noster* eo modo quo ad alias Horas. (*Brev.*)

1453. In diebus Cœnæ Domini et Parasceves ante Sepulchrum ubi SS. Christi Corpus asservatur, a nostris Fratribus cum devotione et religiosa gravitate Vigiliæ fiant, quod et fieri ac diligentissime observari volumus, quoties SS. Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum proponitur. (*Const. D.* 1. *C.* 1. *e*)

## §. IV. De ablutione Altarium.

1454. « Post comestionem utriusque mensæ hora » idonea fiat signum cum Tabula ad Altaria abluenda. » Quo audito, Prælatus præparet se ad hoc Officium » cum his ministris, scilicet Diacono, et Subdiacono, » et Ceroferariis, et aliis duobus Fratribus quorum » unus deferat situlam cum aqua, et alter scopam » ex aliquibus ramis arborum et linteum ; et hi omnes » induantur Albis, Priore et Diacono habentibus Sto» las et Manipulos, et Subdiacono Manipulum coloris » violacei. (*Process.*)

1455. « Quibus præparatis, fiat secundum signum, » et tunc Fratres induti Cappis (*Cærem.*) conveniant » in Choro, et sic præcedentibus Ceroferariis (cum » candelis accensis super candelabra. *Cærem.*), et sub» sequentibus post eos illis qui aquam et scopam de» ferunt, deinde Subdiacono cum ampulla vinaria, » et Diacono cum libello quem tenere debet coram

» Priore ad Orationes dicendas, Prælatus procedat ad » majus Altare abluendum. (*Ibid.*)

1456. « Cumque illuc pervenerit (V. n.°829.). Cantor voce mediocri (in qua totum hoc Officium fieri » debet) incipiat ℟. *In monte oliveti* cum suo ℣., et » Conventus utrumque prosequatur cum resumptione; » quod etiam in cæteris ℟℟. ad hoc Officium cantandis » observetur. (*Ibid.*)

1457. « Dum cantatur ℟. primum *In monte,* qui situlam defert, effundet aquam super magnam mensam Altaris, si consecrata fuerit, vel super mensam Altaris portatilis, si Altare non fuerit consecratum ; quo facto, Prior accipiens scopam a Fratre, » ea lavet Altare ; deinde ab eodem Fratre deferente » linteum extergatur ; postmodum Prior scopam Fratri reddat, et accepta ampulla de manu Subdiaconi » in modum Crucis vinum effundat super Altare.(*Ibid.*)

1458. « Finito Responsorio, Cantor incipiat Antiphonam de Sancto vel de Sanctis illis in cujus vel » quorum memoriam Altare constructum est, et Conventus ipsam prosequatur : qua finita, Ceroferarii » (Cantore eis deferente) dicant Versum de Sancto » vel de Sanctis illis, et Prior Orationem ex libello » quem coram ipso tenebit Diaconus.

1459. « Deinde procedatur ad cætera Altaria quæ » sunt in Ecclesia. Et eodem modo fiat per singula, » Cantore post terminationem Orationis incipiente » Responsoria secundum ordinem ipsorum, dum procedunt ad singula Altaria ; deinde Antiphona de » Sancto vel Sanctis, Versus et Oratio, ut supra, dicantur. (*Ibid.*)

1460. « Ubi aptitudo loci permiserit, præcedente » Priore cum Ministris ad Altaria, Conventus cantando ℟℟. gregatim sequatur , et ad Altare quod » lavatur seorsum ℟. cum Antiphona cantetur. Si » vero non fuerit locus ad procedendum idoneus ,

» Prælatus cum Ministris ad Altaria procedat, et
» quæ cantanda sunt a Conventu, in Choro cantentur. (*Ibid.*)

1461. « Cum autem ad ultimum Altare procedendum fuerit, inchoetur ℟. *Circumdederunt*, et si Altaria fuerint plura quam decem, dicto ℟. *Revelabunt*, resumantur de antedictis, prout necesse fuerit, et ad ultimum Altare ℟. *Circumdederunt* reservetur. Si vero pauciora fuerint Altaria quam Responsoria, dictis quæ necessaria fuerint, reliqua intermittantur, et ℟. *Circumdederunt* ultimo cantetur. (*Ibid.*)

1462. « Antiphonæ, Versiculi atque Orationes in Altarium ablutione cantandæ sunt minime sicuti collocatæ fuere in Processionario, sed juxta Altarium dispositionem; at si Conventus aliquis alia privata habuerit Altaria in Processionario non adnotata, poterunt pro eis accipi de Communi Antiphonæ. (*Ibid.*)

## §. V. Ad Mandatum peragendum.

1463. « Finita Altarium ablutione, Conventu in Choro residente, Prælatus et Ministri in Sacristiam revertentes, depositis sacris vestibus, redeant ad Chorum; deinde vadant omnes ad Capitulum, Priore more solito præcedente, ubi fiat brevis sermo. Qui recitaturus est Sermonem, facto signo a Prælato, accedat pro Benedictione. (*Process.*)

1464. « Finito sermone, Prælatus cum Coadjutoribus sibi deputatis vadat in Sacristiam, et Fratres interim ad ablutionem pedum se præparent, providentes ne aliquid in eis tunc appareat, quod in oculis sæcularium, cum ibidem convenerint, reprehensibile videatur. Procuratoris vero erit providere quod aqua et vasa necessaria ad mandatum cum sufficientibus linteis hora competenti sint præparata, uti et de Fratribus Conversis qui aquam

» et vasa Prælato et Coadjutoribus ejus ministrent. (*Ibid.*)

1465. « Prior vero induens Camisiam decentem non » notabiliter brevem, præcingat se linteo a Sacrista » præparato; similiter Coadjutores induant camisias » juxta loci consuetudinem, et sic veniant ad locum » Capituli (omnes habentes caputiis capita cooperta » *Offic. Hebdom. S.*) (1) Cumque ad medium Capituli » pervenerint, stans erectus Prior inter Coadjutores, » verso vultu ad Crucifixum, dicat humili voce Ora- » tionem *Actiones nostras*, etc. (*Ibid.*)

1466. « Qua Oratione terminata, Cantor incipiat An- » tiphonam *Dominus Jesus* et Versum *Deus misereatur* » *nostri*. Et Conventus prosequatur quæ cantanda sunt, » Cantore semper incipiente Antiphonas et Versus : » quædum cantantur, Fratres debent sedere in locis » suis. (*Ibid.*)

1467. « Tunc Prælatus flexis genibus incipiat » lavare pedes Fratrum, a superioribus ad infe- » riores incedens; et primo in dextro Choro, utros- » que pedes Fratrum abluendo, uno Coadjutorum » ipsum præcedente, et supponente et coaptante pel- » vim pedibus Fratris abluendis, et altero subse- » quente et aquam cum aliquo vase idoneo superin- » fundente. Prior vero pedes lotos abstergat linteo » quo est præcinctus, et postmodum osculetur. Ablu- » tio autem pedum, cum necesse fuerit, projiciatur » in vas aliquod ad hoc præparatum ibidem. (*Ibid.*)

1468. Hæc autem quæ leguntur in hoc Officio, can- tanda sunt, prout jacent in Processionario. « Cantatis » omnibus Antiphonis et Versibus, si ablutio finita non

---

(1) Ordinarium sic habet : « Prior induens Camisiam non notabiliter brevem præcingat se linteo a Sacrista præparato, et sic veniat in Capitulum et Coadjutores in caputiis cum eo.

» fuerit, repetantur Antiphonæ et Versus, prout ne-
» cesse fuerit. Si autem ante finiatur lotio quam can-
» tata sunt omnia, nihilominus cantentur. (*Ibid.*)

1469. « Postquam autem Prælatus pedes omnium » laverit, aquam det singulis ad abluendas sibi ma- » nus quo ordine pedes lavit, altero Coadjutorum » ipsum præcedente et pelvim ad ablutionem reci- » piendam tenente, et altero subsequente cum ma- » nutergio (a Sacrista præparato) ad exstergendas » manus. Quo facto, Prælatus in loco suo resideat, » et Coadjutores ejus (qui Sacerdotes fuerint. *Ord.* » juxta eum hinc et inde. Alii vero Ministri qui aquam » et vasa ministrarunt in aliquo loco idoneo ex parte » juniorum sedeant.

1470. « Et tunc Supprior indutus Camisia in Sa- » cristia et præcinctus linteo cum Coadjutoribus suis, » ut de Priore dictum est, pedes Prioris et Coadjuto- » rum ejus lavet, et ipsis lotis, aquam manibus eorum » det supradicto modo. Interim Conventus stet can- » tando versis vultibus ad invicem. (*Process.*)

1471. « Expletis prædictis omnibus, Prælatus in » loco suo stans dicat humili voce, sine *Oremus*, » Orationem *Adesto, Domine*, etc. Et sic Mandatum » terminatur; quo facto, Prior et Supprior cum Coad- » jutoribus in Sacristiam ad deponendum Camisias » et lintea redeuntes, resumptis vestibus, rever- » tantur ad Capitulum in quo Fratres remanserunt » sedentes.

1472. « Ubi vero multitudo Fratrum tanta fuerit, » ut Prior non possit totum Mandatum peragere, Sup- » prior cum aliis duobus Coadjutoribus, vel plures, » si necesse fuerit, ad illud cum Priore perficiendum » se præparent.

## §. VI. De Sermone Dominico.

1473. « Interim dum Mandatum peragitur, Diaconus qui Sermonem Dominicum lecturus est, cum » Subdiacono et Ceroferariis, et Thuriferario, postquam eorum pedes abluti fuerint et manus, vadant » ad Sacristiam; ibique sacris vestibus coloris albi, » prout in magnis Solemnitatibus fieri solet, induti, » finito Mandato et regresso Priore cum Fratribus ad » Capitulum, veniat Diaconus cum aliis Ministris pariter ad Capitulum, quo modo itur ad cantandum » Evangelium in Solemnitatibus, sine Cruce tamen. (*Miss.*)

1474. « Cumque in Capitulum venerint (V. n.° 753. » 810.), Thuriferarius offerat Priori thus ad benedicendum, et benedictum ab ipso in Thuribulum ponat. Deinde Diaconus accepta Benedictione a Priore » (more solito) stans verso vultu ad Aquilonem (si » Capitulum fuerit ad Orientem vel Occidentem situm), » alias verso vultu ad Crucifixum Capituli, dicat tono » cantus Evangelii *Dominus vobiscum;* et stantibus » Fratribus versa facie ad Evangelium ac respondentibus *Et cum Spiritu tuo*, et ad *Gloria tibi, Domine*, » se signantibus, legat solemniter Evangelium *Ante » diem festum Paschæ*, Subdiacono et Ceroferariis et » Thuriferario ordinatis, sicut ad alia Evangelia ordinari solent. (*Ibid.*)

1475. « Finito Evangelio, et remoto prius pulvinari » a Sacrista, reliqua legantur usque in finem per » modum Lectionis a Diacono stante versus Crucifixum, quamdiu fuerit in Capitulo : cæteris Fratribus stantibus ordine suo, Subdiaconus vero et » Ceroferarii, et Thuriferarius, depositis candelabris » ante Pulpitum in quo legitur hinc et inde, et thuribulo in medio, post Diaconum sedeant in sede aliqua

» vel scamno a Sacrista præparato et panno decenti » cooperto. (*Ibid.*)

1476. « Dicto *Surgite, eamus hinc*, surgant omnes, » et præcedentibus Diacono et Ministris ordine supra- » dicto, vadat post eos Conventus ad Chorum, junio- » ribus præcedentibus. Ubi collocatis ante pulpitum » (a Sacrista præparatum) candelabris et Thuribulo » sicut in Capitulo, sedente Subdiacono cum Ministris » post Diaconum in aliqua sede a Sacrista præparata; » Diaconus stans ad pulpitum, cæteris Fratribus » sedentibus in locis suis, prosequatur ut prius quæ de » sermone Dominico restant. (*Ibid.*)

1477. « Finito sermone sine *Tu autem*, Prælato si- » gnum faciente, surgant omnes, et ipso dicente *Ad-* » *jutorium nostrum*, etc., et Conventu respondente : » *Qui fecit*, etc.; tunc Diaconus et Ministri acceptis » iis quæ ad ipsos pertinent, quo venerunt ordine ad » Sacristiam revertantur. » (*Ibid.*) Chorus autem di- » cat Completorium, si competens hora fuerit; alio- » quin facto aliquo temporis intervallo, hora idonea » cantetur. (*Ord.*)

1478. *Ad Completorium.* « Non dicitur *Jube Domne*, » nec Lectio *Fratres*, etc., nec *Converte nos*, etc., (nec » cætera in cæteris Horis omittenda); sed dicto *Pa-* » *ter noster*, inchoetur Antiphona *Christus*, etc., et di- » cuntur quatuor Psalmi consueti et Canticum *Nunc* » *dimittis*, postea Antiphona et Oratio *Respice*, *Pater* et » *Credo* » (*Brev.*). « Completorium voce mediocri dica- » tur, ita tamen ut sonus psalmodiæ distincte resonet. » Quod etiam abhinc omnibus Horis in psalmodia et » cantu usque ad Vesperas Sabbati Paschæ fiat, exce- » ptis Matutinis quæ solemnius sunt dicendæ. (*Ord.*)

« Hac die et sequenti Antiphona *Salve Regina* in » Completorio omittitur, nec Benedictio detur, nec » aspersio Aquæ benedictæ fiat. » (*Brev.*)

# ARTICULUS IV.

## FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

### §. I. De Officio in Choro.

1479. *Ad Matutinum.* « Fratres prostrati super for» mas, dicto *Pater noster* et *Credo*, surgant, et post» quam signaverint se, incipiatur Antiphona. (*Brev.*) Omnia fiant prout notatum est die præcedenti ; fiatque ab eo qui legit Lectionem, prostratio inter pulpitum et gradus Presbyterii (V. n.° 784). Post Antiphonam ad *Benedictus* dicantur *Kyrie eleison* ut pridie cum Versibus propriis. (*Ibid.*)

1480. *Ad Primam.* (1) Fratres prostrati super formas eodem modo incipiant ac supra ad Matutinum, » subjungendo Psalmos consuetos, ut dictum est in » præcedenti Feria. Finita post Psalmum Antiphona, » iterum prostrati dicant *Pater noster* et Psalmum » *Miserere*, quo dicto statim subsequetur Oratio *Re*» *spice* ut supra. » (*Brev.*)

---

(1) Hæc in Ordinario antiquo habentur : « In Parasceve, facto mane, » pulsetur tabula et Fratres discalceati intrent Capitulum, ibique » dicta Prima et *Pretiosa*, factoque sermone (si in Capitulo faciendus » sit) totum Psalterium dicant legendo sine *Gloria Patri* sedentes » usque ad *Laudate Dominum de cœlis*, uno Fratre cui Cantor injun» xerit dicente unum versum, et aliis in utroque Choro alium. Fini» to Psalterio subjungatur Antiph. *Ne reminiscaris*. Qua dicta Con» ventus prostratus dicat *Kyrie eleison* etc. et *Pater noster*. Quo finito, » Prior erectus, vel si ipse defuerit, Hebdomadarius dicat. *Et ne nos*, » etc. et Orationem *Respice* terminando eam sicut ad Horas. Postea » Tertia ibidem dicatur. »

Sed Capitula Gen. Florentiæ 1257. et Tolosæ 1258. particulam « discalceati » deleri jusserunt, et iste ritus in adoratione Crucis solum retentus fuit, prout in modernis Rubricis. Rubrica de recitando integro Psalterio, de qua etiam in Cæremoniali Ciantes, desuetudine pariter abrogata est.

1481. « *Pretiosa* dicitur sicut in Feria præcedenti, » non tamen cum Evangelio sed de Constitutionibus.

« *Ad Tertiam*, *Sextam et Nonam*, *Vesperas* et *Completorium*, hac die et in Sabbato sequenti usque ad » Vesperas exclusive idem modus servetur qui ad » Primam notatus est » (*Brev.*), tam in inceptione quam in terminatione Horarum.

### §. II. De Officio Altaris usque ad Crucis adorationem.

1482. « Dum Sexta et Nona cantantur, Prior et Ministri induant se ad Officium, et Sacrista superficiem Altaris mundis mappis cooperiat, et duos cereos more solito accendat. (*Miss.*)

1483. « Finita Nona, legatur in Superpelliceo a » Fratre cui Cantor innuerit, ante gradus Presbyterii » Prophetia ex Osea Propheta, sine ullo titulo: *Hæc dicit* » *Dominus*, etc. Quæ dum legitur, Prior et Ministri » induti Paramentis nigri coloris, Prior quidem cum » Casula, Diaconus autem et Subdiaconus sine Dalmaticis, cum Stola tantum et Manipulis, et Acolythi sine » luminaribus, procedant more solito ad Altare; factaque inclinatione profunda ad medium illius cum » Ministris, non dicat *In nomine Patris*, nec *Confitemini* » *Domino* etc., sed immediate sessum eat, et uno » Acolythorum tenente librum, legat submissa voce » Prophetiam et Tractum (*Miss.*) Tractus autem ab utroque Choro alternatim cantentur.

1484. « Postea Sacerdos ascendens gradus Altaris, » in cornu Epistolæ, absque *Dominus vobiscum* et *Flectamus genua*, præmisso tantum *Oremus*, dicat Orationem *Deus a quo et Judas* (*Miss.*). Postea iterum sedeat cum Ministris, et Prophetiam legat cum Tractu » sequenti. Post Orationem, a Subdiacono, in eodem » loco quo et Prophetia lecta est, legatur sine titulo

» et in tono Lectionis Lectio *In diebus illis*. Finita Lectione, cantatur a Choro Tractus *Eripe me*. » (*Ibid.*)

1485. « Post Tractum cantatur Passio in loco ubi » Profestis diebus legitur Evangelium, super nudum » pulpitum, sine ullo prorsus titulo, sed hoc modo » absolute inchoatur : *Egressus est*, etc. (V. n.° 1418.) (*Ibid.*)

1486. « Perlecta Passione, Prior (non signet seipsum, neclibrum, nec eum osculetur, sicut nec » Diaconus *Offic. Hebd. S.*, sed) stans in cornu Epi» stolæ dicat Orationes » (ut in Missali) sine *Dominus vobiscum*, Fratribus stantibus interim versis vultibus ad Altare, et ad *Flectamus genua* utrumque genu flectentibus, ad nomen Jesu inclinantibus usque ad genua. (V. n.° 775. et 760.)

1487. In fine Orationum incipientium *Oremus pro* etc., non respondetur *Amen*, sed statim subjungatur a Sacerdote : *Oremus ;* Diaconus addit : *Flectamus genua, Levate ;* et omnes excepto Sacerdote utrumque genu flectunt. Tunc Sacerdos prosequitur Orationem : *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., ad quam Chorus respondet : *Amen*. Et ita fiat in aliis sequentibus Orationibus, excepta Oratione pro Judæis, ad quam non dicitur *Flectamus genua*. (*Ex Miss.*) (1).

1488. « Dum dicuntur Orationes, duo Sacerdotes se » induant in Sacristia Alba, et Cingulo, cum Stolis (in » modum Crucis dispositis ante pectus) et Manipulis » nigris, sine Casulis, pro cantandis Versibus et te» nenda Cruce in Altari. Item etiam se præparent duo » Diaconi sine Dalmaticis, ut cantent Versus *Agios, o*

(1) « An in Missa Præsanctificatorum dicenda sit Oratio pro Impe» ratore? » — « R. « Juxta alias decreta omittendam » (14 Jun. 1845. — 27. Sept. 1860.) Servetur tamen indultum speciale ubi viget.

» *Theos*), etc. ad gradum Presbyterii ante Crucis ado-
» rationem. » (*Miss.*)

1489. « Completis Orationibus, Prior, deposita Casula (in Sacristia reponenda), ab Altari discedat, et descendens cum suis Ministris gradus Altaris ad extremum angulum in cornu Epistolæ, stent omnes in Presbyterio ab eadem parte Altaris, versis vultibus ad partem Evangelii, ita ut unus sit ad latus alterius et propius Altare stet primo Sacerdos, deinde alii es ordine quo solent in Presbyterio sedere.

1490. « Tunc duo Sacerdotes destinati ad tenendam Crucem, venientes ad gradus Altaris genuflectant; deinde surgentes accipiant Crucem Altari superpositam et velatam; et stantes juxta extremam partem Altaris in latere Evangelii, ac tenentes Crucem reverenter per brachia, unus ad dexteram et alter ad sinistram, versi ad Conventum vel populum, cantent : ℣. *Populé meus*, etc. »

1491. « Quo finito, duo Diaconi ad gradum Presbyterii stantes respondeant : *Agios*, etc. Dum pronuntiant *Agios*, flectant genua ; dum *O Theos*, surgant ; secundo flectendo genua dicant : *Agios*, et surgendo : *Ischyros ;* tertio flectant genua dicendo : *Agios*, et surgendo : *Athanatos*, *eleison ymas*.

1492. « Deinde Fratres in Choro respondentes *Sanctus* genua flectant ; subdendo *Deus*, surgant. Iterum flectendo genua dicant : *Sanctus*, et surgendo : *Fortis*. Tum tertio flectant genua dicentes : *Sanctus*, et surgendo adjungant : *Et immortalis*, *miserere nobis*. (*Miss.*)

1493. « Dum totus Chorus sic genua flectit et surgit alternative, tunc nec Prior cum Ministris Altaris, nec Sacerdotes cum Cruce, nec Diaconi genua flectant cum Choro, sicut nec Chorus cum ipsis genua flectat. (*Ibid.*) (1)

(1) Ita Ordinarium : « Prior vero, et Ministri, et Presbyteri qui

1494. « Postquam sic Chorus responderit, Sacerdo-
» tes Crucem tenentes uno aut altero passu procedant
» recedendo a latere Evangelii versus medium Al-
» taris, et ibi sistendo cantent secundum ℣. : *Quia*
» *eduxi*, etc. Quo finito, Diaconi secunda vice cantent
» *Agios, o Theos*, etc.; et post illos Chorus similiter
» respondeat : *Sanctus Deus*, etc. genua flectendo et sur-
» gendo sicut fecerunt prima vice. (*Ibid.*)

1495. « Tunc Sacerdotes cum Cruce procedentes,
» atque ad medium Altaris descendentes gradus,
» sistant (ad gradus Presbyterii *Ord.*) ubi Crux repo
» nenda erit pro adoratione, et cantent tertium Ver-
» sum : *Quid ultra*, etc. Subjungant tandem Diaconi :
» *Agios, o Theos*, etc., et Chorus similiter respondeat :
» *Sanctus Deus*, etc., et genua flectant ac surgant
» tam Diaconi quam Chorus, sicut prima et secunda
» vice fecerunt. » (*Ibid.*)

1496. « Quibus cantatis, Prior veniat ad medium
» ante Altare, et se collocet in loco aliquantulum su-
» periore medium inter duos Sacerdotes, qui per bra-
» chia Crucem sustinentes et suos vultus ad se invicem
» vertentes tenebunt Crucem ante Priorem. Ministri
» vero discedant etiam a cornu Altaris dum discedit
» Prior, et se collocent unus post alium in eadem parte
» Presbyterii versis vultibus ut antea ad partem Evan-
» gelii, omnesque stent eo ordine quo prius stabant.
» Tunc Prior ex manibus duorum Sacerdotum Crucem
» velatam accipiet, et iisdem adjuvantibus reverenter
» eam deteget, detectamque populo ostendet, eamque
» ambabus manibus elevando incipiet Antiphonam :
*Ecce lignum*, etc.

1497. « Hæc eo incipiente, tam Chorus quam Mini-

---

Crucem tenent, non flectant genua : sed neque prædicti Diaconi cum Conventu, neque Conventus cum ipsis genua flectat. »

» stri Altaris, Sacerdotes et Diaconi, existentes in » suis locis flectent genua inclinantes profunde : et » prosequente Cantore Antiphonam, dum dicit : *Crucis, in quo*, etc., surgant omnes, Choro Antiphonam » continuante.

1498. « Quamdiu cantatur, Prior semper elevatam » Crucem sustineat, et ostendat ut supra. Finita Antiphona, Crucem restituat in manus prædictorum duorum Sacerdotum, qui eam deponent et reclinabunt » ad gradus Presbyterii super tapetem ibidem stratum, et seipsos collocabunt hinc et inde ad duo » latera Crucis, accumbentes super latera sua juxta » Crucem et versis ad invicem vultibus, brachia Crucis » quilibet a sua parte tenendo. » (*Miss.*)

### §. III. Ad Crucis adorationem.

1499. « Tunc fiat ab omnibus Ministris et Fratribus publica sanctæ Crucis adoratio, in cujus ritu, » seu ordine adorandi, inter adorantes et adoraturos » servetur ordinata accedendi distantia hoc modo : a » loco ubi Crux adoranda jacet, deorsum versus Ecclesiæ » navim sumatur spatium quindecim circiter passuum » (prout loci conditio situsque permiserit), et ab ultima » hujus spatii extremitate Prior, nudatis omnino plantis » (quod et similiter facere debent omnes, tam Ministri » quam alii Fratres adoraturi), procedat versus Crucem » hoc ordine et successionis distantia, ut in prædicta » extremitate spatii devote genua flectat caputque inclinet, et mox surgat; ac gravi incessu usque ad » medium ejusdem spatii pergens, illic denuo genua » flectat et caput inclinet ; denique inde procedens ad » pedes Crucis se toto corpore prosternat, eosdemque » semel duntaxat deosculetur moram non trahens ; » sed mox inde surgens, et facta profunda inclinatione » collocet se ad latus dextrum Crucis, in loco alterius

» duorum Sacerdotum dextrum Crucis brachium te-
» nens, quousque ambo Sacerdotes simili ordine et
» modo adoraverint : primo eorum, postquam ado-
» raverit, se substituente in locum secundi, et pro
» eo sinistrum Crucis brachium tenente; qui secun-
» dus Sacerdos postquam adoraverit, succedet in lo
» cum Prioris a parte dextra Crucis brachium tenens,
» una cum alio Sacerdote manente in altero latere,
» Crucem ad osculum omnium Fratrum adorantium
» usque ad finem adorationis coaptando.

1500. « Hæc porro adoratio sequenti ordine perfici
» debet : ut post duos Sacerdotes adoret Diaconus pro
» Missa notatus, postea Diaconi qui cantaverunt *Agios*,
» unus post alterum (et hi postquam adoraverint, in Sa
» cristiam secedent sacras vestes deposituri); post Dia-
» conos sequatur Subdiaconus pro Missa notatus, dein-
» de Acolythi, et demum post Ministros cæteri Fratres
» secundum ordinem graduum suorum, incipiendo a ma-
» joribus, alternatim procedentes ab ultima spatii ex-
» tremitate versus Crucem, eo ritu, ordine ac successionis
» distantia, quo de Priore dictum est, illam adorent,
» deosculentur, ac post osculum mox surgendo, fa-
» cta inclinatione profunda, ad Chorum in loca sua
» revertantur. Illa autem Fratrum successio cum tali
» intercapedine fiat, quod dum primus surgit a loco
» primæ suæ genuflexionis, statim illic subintret al-
» ter ei proximus, et consequenter alii, servato eo-
» dem tenore interstitiorum.

1501. « Dum ita Crux adoratur, Chorus cantet An-
» tiphonam *Tuam Crucem* et Hymnum *Crux fidelis*,
» etc. Prior autem et Ministri sessum eant, ibique
» eamdem Antiphonam et Hymnum recitent. Si ante-
» quam hæc fuerint omnino cantata, adoratio com-
» pleta esset, nihilominus integre cantentur; cumque
» versus ultimus Hymni dicetur, Prior veniat ad
» medium gradus Presbyterii inter Altare et Sacer-

» dotes qui tenent Crucem ; ut terminata adoratione , » Sacerdotes Crucem reverenter elevantes eam Priori » stanti super gradus Presbyterii tradant ; qui ipsam » accipiens et devote erigens, stans verso vultu ad » populum vel Conventum, incipiat Antiphonam *Super* » *omnia ligna*, etc..

1502. « In inchoatione hujus Antiphonæ tam Mi- » nistri Altaris et duo Sacerdotes quam Chorus ge- » nua flectent , inclinantes profunde. Et Cantore pro- » sequente *Ligna cedrorum*, etc. , omnes surgant , et » Prior ambabus manibus Crucem sustineat elevatam ; » et Antiphona finita, eodem modo tenens Crucem di- » cat Orationem *Respice*, sine *Dominus vobiscum* et » *Oremus* , etc. Fratribus super formas prostratis.

1503. « Oratione dicta, Crucem tradat Sacristæ, qui » illam statuet in aliquo loco apto, ubi possit ea die » a cæteris adorari. »

« Ubi vero propter Fratrum paucitatem tot Sacer- » dotes et Diaconi ad præmissa officia distincte obeun- » da non sunt, Prior cum alio Sacerdote, et Diaconus » Minister cum alio Diacono prædicta officia exse- » quantur. » (*Miss.*)

## §. IV. De Processione.

1504. « Postquam Prior tradiderit Crucem Sacristæ, » ipse et Ministri cum duobus Presbyteris, qui canta- » verunt Versus , in Sacristiam revertantur, ubi duo » Presbyteri se vestibus sacris exuent, Prior vero et » Ministri se calceent. Deinde lotis manibus , Prior » Casulam assumat , et præcedentibus Thuriferario » et Cruciferario , Ceroferariis , ac Subdiacono » cum Calice, et Diacono cum Missali, ad Altare ac- » cedat, sistensque infra gradus ad medium Altaris, » facta profunda inclinatione, dicat : *In nomine Pa-* » *tris* , etc. *Confitemini Domino*, etc. *Confiteor*, etc., et

» Diaconus explicet Corporale super Altare more so-
» lito juxta illud ponens Purificatorium ; Calix autem
» a Subdiacono delatus in Altari extra Corporale a
» parte Evangelii reponatur.

1505. « Interim curet Sacrista ut Baldachinum sub
» quo sanctissimum Christi Corpus deferendum est,
» præparetur, et distribuantur cerei denturque Fratri-
» bus et nobilioribus sæcularibus. Deinde cum silentio
» ad locum ubi depositum fuit SS. Sacramentum pro-
» cedatur hoc ordine :

1506. « Thuriferario præcedente cum eo qui Crucem
» e sepulchro delaturus est, et duobus Acolythis cum
» luminaribus subsequentibus, deinde incedant Fratres,
» bini et bini, (junioribus præcedentibus), cereos non
» accensos deferentes; postea Prior cum Casula manus
» tenens junctas ante pectus, et habens a dextris Dia-
» conum et a sinistris Subdiaconum; hos subsequantur
» sæculares cum cereis etiam non accensis.

1507. « Cum ad locum SS. Sacramenti perventum
» fuerit, Fratres cum devotione hinc et inde ante Al-
» tare se collocent genuflexi. Prior etiam genua fle-
» ctat cum Ministris, et accipiens de manu Diaconi
» thuribulum, incenset SS. Sacramentum. Quo facto,
» Diaconus et Subdiaconus Velum albi coloris a Sa-
» crista subministratum extendant super humeros
» Prioris, et interim accendantur cerei.

1508. « Tunc Diaconus reverenter extrahens Calicem
» cum Sacramento e loco ubi fuerat depositus, una
» cum Pyxide eum Priori genuflexo in supremo gradu
» Altaris porrigat, et tegat extremitatibus veli hume-
» ris illius superpositi. Deinde surgens Sacerdos, verso
» vultu ad Conventum, in medio Altaris stando, Cali-
» cem et Pixidem cum Sacramento teneat elevatum
» ante pectus, quousque Cantore solemniter intonante
» *Tantum ergo*, Conventus totam hanc stropham canta-
» verit. Interim Diaconus et Subdiaconus hinc inde ante

» Priorem sint genuflexi; Thuriferarius autem in me-
» dio pariter genuflexus, verso vultu ad Sacramentum,
» illud reverenter incenset. Interim Cruciferarius Cru-
» cem pridie ibidem depositam accipiat et discoo-
» periat.

1509. « Cantato *Tantum ergo*, etc. cum sola illa stro-
» pha, surgant Fratres, et incipiatur Hymnus *Vexilla*
» *Regis*, et processionaliter revertantur ad Altare eo
» ordine quo inde venerunt, excepto Thuriferario qui
» immediate præcedet Sacerdotem non incessu retro-
» grado, sed aliquantulum inflexo ad latus, sicque
» incedendo Corpus Christi continue incensabit. Su-
» per SS. Sacramentum efferetur Baldachinum per di-
» gniores, vel Sacerdotes, vel sæculares. (*Ibid.*)

1510. « Cum autem venerint ad Altare, manebunt
» omnes Fratres ordinati hinc et inde ad dextram et ad
» sinistram Altaris genuflexi, et Priore ante eos cum
» Sacramento transeunte, profunde inclinabunt, te-
» nentes cereos semper accensos usque ad absolutam
» communionem, e quo etiam loco sic genuflexi res-
» pondebunt Celebranti. » (*Ibid.*)

### §. V. Ad Missam Præsanctificatorum.

1511. « Cum Prior ad Altare pervenerit, deponet super
» Corporale Calicem et Pyxidem cum Sacramento,
» et postea illud genuflexus adorabit, idemque facient
» Diaconus et Subdiaconus. Deinde surgentes Subdia-
» conus accipiat alium Calicem pro Missa celebranda
» paratum, in eoque vinum et aquam infundat (non
» tamen benedictam), et Diaconus de manu Subdiaconi
» Calicem sic præparatum accipiens, illum Patena coo-
» pertum offerat Sacerdoti; et Sacerdos nullam obla-
» tionem faciens illum in loco suo statuat super Cor-
» porale. Deinde extrahat de altero Calice SS. Christi
» Corpus, illudque ante pedem Calicis præparati pro

» Missa collocet; depositaque Patena in loco suo, » Calicem Palla cooperiat. Postmodum de manu Dia» coni thuribulum accipiens Sacramentum et Calicem » tantum incenset, ante et post incensationem genu» flexus adorans : non autem incensabitur Altare hinc » inde, neque ipse Prior. (*Ibid.*)

1512. « Quo facto, Sacerdos digitos abluat, non tamen aversus a Sacramento ob ejus reverentiam, » et ablutio in piscinam projiciatur. Tum rediens ad » medium Altaris genuflectat, et erectus, depositis » manibus super Altare, dicat voce mediocri in cantu » feriali : *Oremus. Præceptis*, etc. Hic more solito elevet » manus et prosequatur *Pater noster*, etc. In fine, re» spondente Choro : *Sed libera nos a malo*, subjungat » Sacerdos submisse : *Amen*, et immediate prosequatur » Orationem *Libera nos*, etc.

1513. « Finita Oratione, Prior genuflectat, surgens» que dextera manu Hostiam Sacram accipiat,et elevet, » ut videri possit a populo, eamque dimittens super Ca» licem, statim ipsam in tres partes dividat more solito. » Tum voce mediocri intonet : *Per omnia*, etc. ℟. *Amen.*

1514. « Postea non dicatur *Pax Domini*, nec *Agnus Dei*, » nec pax Ministris detur, sed immediate Sacerdos soli» tam particulam Hostiæ mittat in Calicem nihil dicens, » nullamque Crucem cum particula Hostiæ faciens, aut » supra, aut intra Calicem. Postmodum prætermissa » Oratione *Domine Jesu Christe*, etc., sumat reliquas » partes Hostiæ, dicens : *Corpus Domini*, etc., nullam » mentionem faciens de Sanguine. Deinde sumens par» ticulam Hostiæ quæ est in Calice, cum vino et aqua, » nihil dicat.

1515. « Peracta communione, ablutis digitis ac » sumpta purificatione in medio Altaris, junctis ma» nibus dicat : *Quod ore sumpsimus*, etc. Dumque fit hæc » ablutio, extinguantur cerei, et Fratres in Chorum se » recipiant pro Vesperis dicendis : Diaconus vero, com-

» plicato Corporale et in bursa posito, sumat Missale,
» et Subdiaconus Calicem (a se purificatum more soli-
» to) cum velo et bursa. Demum nulla dicatur Post-
» communio, nec *Placeat tibi*, etc., nullaque Benedictio
» detur, sed facta reverentia Cruci Altaris, Prior cum
» Ministris in Sacristiam revertatur. (*Ibid.*)

1516. « Pyxis autem cum servatis particulis conse-
» cratis pro infirmis non remaneat in majori Altari,
» sed portetur a Sacrista ad aliud Sacellum remotius
» debite præparatum cum requisitis luminibus.

1517. *Ad Vesperas*, quæ cantentur tractim mediocri voce (*Ord.*), « Psalmi cum suis Antiphonis iidem di-
» cantur qui in Feria præcedenti; ad *Magnificat* vero
» Antiphona *Cum accepisset*, etc. Qua finita post Can-
» ticum, dicitur (cum prostrationibus) *Pater noster*,
» Psalmus *Miserere* et Oratio *Respice*, et deinde *Pater*
» *noster*, et sic Vesperæ terminentur. » (*Brev.*)

1518. Finitis Vesperis et percussa tabula, Fratres cum Cappa in Refectorium vadant. (*Cærem.*) « Hac die debent abstinere in pane et aqua per totam diem.(*Const.*) Omnia vero fiant more solito ad Benedictionem Mensæ et in Gratiarum actione, nisi quod non dicatur *Gloria Patri*, neque *Fidelium*, neque Antiphona *Recordare*, fiatque prostratio ad ultimum *Pater noster*.

## ARTICULUS V.

### SABBATO SANCTO.

1519. *Ad Matutinum et ad Horas* omnia fiant ut in die præcedenti (1479. et seq.) notatum est. (V. n.° 1426. et seq.) Post nonam Lectionem in Matutinis,sine aliquo intervallo,dicitur Oratio Jeremiæ Prophetæ cum titulo.

#### §. I. De præparandis ad Missam.

1520. « Sacrista provideat quod cartula cereo bene-

» dicendo affigenda infrascripto modo, observata temporum variatione, scribatur, et ante Benedictionem cereo affigatur.

« Anno ab Incarnatione Domini...
« Anno a Confirmatione Ordinis nostri...
« Anno a Transitu B. P. N. Dominici...
« Epacta....
« Concurrente N.°.... (1)
« Indictione...
« Benedictus est cereus iste ad honorem D. N. J. C. (*Ord.*)

1521. Sacrista ante horam Officii (V. n.° 1436.) Altaria omnia præparet (*Ord.*), et præcipue Altare majus cum candelis novis, et lampades Ecclesiæ cum oleo. (*Cærem.*) « Præparetur etiam cereus Paschalis prægrandis cum quinque granis incensi in eo infigendis, » qui ponitur in aliquo magno candelabro condecenti » (2) regulariter in latere Evangelii,» (*Cærem. Episc.*); « et pulpitum mappula decenti coopertum super quod » cantanda est Benedictio collocet juxta ipsum. » (*Ord.*) (3)

---

(1) Concurrens dicitur littera Dominicalis quæ hic non notatur suo proprio caractere, sed per numerum, non quidem servato ordine quem habet in alphabeto, sed qui in his vocibus continetur :

*Filius esto Dei, cœlum bonus accipe gratis.*
1 2 3 4 5 6 7

Et quia non est idem annus Incarnationis et Nativitatis, ideo quando post festum Annuntiationis fit benedictio cerei, numeratur annus sequens; si autem festum Annuntiationis in die Paschæ vel post occurrerit, idem erit annus utriusque. (*Cærem.*)

(2) An « Cereus Paschalis ponendus sit super candelabrum vel super cornucopium ? » — R. « Super distincto candelabro in plano posito e cornu Evangelii (14. Jun. 1845.)

(3) Pulpitum in quo cantanda est Benedictio cerei, collocabit a parte Evangelii, ut Diaconus stet in eo versa facie ad Altare, et ad ejus dexteram ponet candelabrum cum cereo benedicendo, et in tali distantia qua possit Diaconus illi affigere grana incensi (*Cærem. C.*)

1522. Tempore opportuno præparabit patellam cum carbonibus ignitis a Priore benedicendis, et candelam igne benedicto accendendam.

## §. II. De Benedictione cerei Paschalis et ejus accensione.

1523. « Sexta et Nona simul dicantur : finita Nona, » luminaria Ecclesiæ extinguantur. » (*Ord.*) « Dicta » Nona, Prior cum Cappa serica (albi coloris), et Dia- » conus qui benedicturus est cereum cum Missali, » et Subdiaconus cum libro Evangeliorum, (induti Dal- » maticis ejusdem coloris, præcedentibus Ceroferariis » (in Albis, *Ord.*) cum cereis non accensis, ad Presby- » terium (more solito) veniant. Deinde Prior stans » ante gradus Presbyterii, verso vultu ad Altare, » Diacono coram ipso tenente Missale, et Sacrista vel » alio cui ipse injunxerit, ad dexteram ejus tenente » patellam cum carbonibus, absque *Dominus vobiscum* » et *Oremus*, legendo sine nota benedicat ignem hoc » modo : *Domine sancte*, etc.

1524. « Finita Benedictione, Sacerdos aspergat » ignem Aqua benedicta; deinde candela de igne » benedicto accendatur; Patella vero cum carbonibus » accensis in Presbyterio dimittatur, donec cereus be- » nedicendus fuerit accensus, ut si candela fuerit » extincta, eodem igne possit reaccendi.

1525. « Diaconus vero, assumpto a Subdiacono libro » Evangeliorum, et accepta Benedictione a Priore di- » cente : *In nomine Patris*, etc., *Amen*, stante a dextris » ejus Subdiacono cum candela de igne benedicto ac- » censa, et Ceroferariis adstantibus a dextris et a sini- » stris cum cereis non accensis (qui omnes stent versis » vultibus ad altare), cereum benedicat, dicens : » *Exultet jam angelica*, etc. Prior autem, dum cereus » benedicitur stet ad cornu Epistolæ sicut ad Evan-

» gelium in Missa solemni; Sacrista vero vel alius Fra-
» ter cui ipse innuerit, stet post Subdiaconum tenens
» quinque grana incensi cereo infigenda. » (*Miss.*)

1526. Interim Chorus stet verso vultu ad Altare, et cum Diaconus ad Præfationem pervenerit, respondeat sicut in Missa consuevit. Cum vero Diaconus dicit: *In hujus igitur noctis gratia*, etc., qui tenet grana incensi, unum Diacono offerat, quod imprimatur ab eodem in cereo; reliqua vero quatuor ab eo qui tenuit grana incensi, per modum crucis imprimantur. (*Ex Ord. et Miss.*)

1527. « Quando autem Diaconus pronuntiat : *Rutilans ignis accendit,* ille qui grana incensi tenuit, candelam accensam de igne benedicto de manu Subdiaconi accipiat, et cum ea cereum flammescere faciat. Postea subjungente Diacono : *qui licet divisus in partes*, cerei Acolythorum eadem candela accendantur; et dum dicit : *Pretiosæ hujus lampadis* similiter accendantur lampades Ecclesiæ eadem candela.

1528. « Cereus hac die ardeat usque post Completorium, et in crastino ad Matutinum et ad omnes Horas et ad Missam. (1) Cæteris vero diebus per Hebdomadam Paschæ et in Octava ad Missam tantum et ad Vesperas accendatur, et deinceps usque ad Ascensionem in suo loco remaneat.

« Accendatur etiam in omnibus diebus Dominicis et Festis Simplicibus, et diebus Octavis Simplicibus et supra, et in tertiis Feriis quando de B. Dominico et in quintis quando de SS. Corpore Christi, et

---

(1) « Postquam autem accensus fuerit ad Matutinum, non extinguatur usque post Primam. » Hæc clausula, quæ dempta fuit in Offic. Hebdom. sanctæ, habetur in Ordinario, et servari potest, saltem ubi Matutinum celebratur in diluculo Resurrectionis.

» Feriis quartis quando fit de sancto Ordinis, et in
» Sabbato quando de B. V. M. agitur, ad Missam
» tantum.

« In Ascensione vero Domini ad I. Vesperas et ad
» Completorium, ad Matutinum, Primam, Tertiam et
» Sextam ardeat, et Sexta finita removeatur. » (*Ord.*)
In cæteris Horis et Missis aut functionibus sacris non accendatur.

### §. III. Ad Missam.

1529. Immediate post Benedictionem cerei legatur prima Lectio : *In principio*, etc., quæ cum aliis tribus sequentibus in Superpelliceis, absque titulis, in loco ubi profestis diebus Epistola legi solet, et in tono Lectionis legantur a quatuor Fratribus senioribus ex his qui sunt in Choro. (*Ex Ord. et Cærem.*) « Prior
» vero cum Ministris in Sacristiam revertatur, et de-
» posita Cappa serica, assumptaque Casula, dum le-
» gitur prima Lectio, cum Ministris more solito proce-
» dit ad Altare. » (*Miss.*)

1530. « Cum pervenerit ante illud, non dicat : *In*
» *nomine Patris*, etc., nec *Confiteor*, sed inclinans (V.
» n.° 829.) sessum eat in Presbyterio; et Acolythi
» depositis candelabris (quorum candelæ per totam
» Missam debent esse accensæ), venient ad audiendas
» cum aliis Ministris Lectiones, Acolytho seniore te-
» nente Missale coram Priore, qui sedens legat illas
» submissa voce. » (*Ibid.*)

1531. « Quinque Orationes positæ post Lectiones di-
» cantur sine *Dominus vobiscum* et *Flectamus genua*,
» sed præmittatur tantum *Oremus*; et has Prior stans
» ad Altare in cornu Epistolæ cum Ministris de more
» ordinatis dicere debet. » (*Offic. Hebd. S.*) Quibus dictis, per medium Altaris redeat ad sedes more solito, ad legendas Lectiones. « Versus trium Tra-

» ctuum sequentium alternatim (ab utroque Choro) » cantentur. » (*Ord.*)

1532. « Ultima Oratione finita, duo Fratres in Su- » perpelliceis in medio Chori cantent Litanias, utro- » que Choro simul respondente, et Fratribus stanti- » bus versis vultibus ad Altare (quod semper fiat, » quando cantantur Litaniæ.) Dum vero cantantur, » Prior et Ministri in Presbyterio sedeant. (*Ord.*) et » ibi simul ipsas voce submissa legant, Acolytho se- » niore tenente Missale,» (*Miss.*), et Priore dicente Versum, Ministris vero respondentibus.

1533. « Cum autem in fine Litaniæ ad tertium » *Agnus Dei* Chorus responderit *Miserere nobis*, Cantor » alta voce incipiat : *Kyrie, eleison* » (*Ord.*) sub tono Paschali. Tunc « Sacerdos cum Ministris ad Altare ac- » cedens incipiat Missam more solito, et facta confes- » sione ac dicta Oratione solita ante Altare, eoque » osculato, dicat *Kyrie, eleison.* Quibus a Choro finitis, » intonet solemniter *Gloria in excelsis* in tono Festi » Duplicis. » (*Miss. et Ord.*)

Tunc pulsentur Organa (V. n.° 578.); « Campanæ » vero pulsentur (1) si prius ab Ecclesia Matrice (2) » fuerint pulsatæ, alias pulsus differtur, » (*Off. Hebd. S.*), et pulsatur tantum Campanula. (V. n.° 619.) Fratres vero Cappas deponant.

1534. Finito Cantico, dicat Sacerdos *Dominus vobicum Oremus*, etc. Postea legitur a Subdiacono Epistola more solito. Post Epistolam duo Fratres incipiant *Alleluia*, et Conventus illud prosequatur.

---

(1) Ordinarium et Cæremoniale sic habent : « usque ad *Domine Deus, Rex cœlestis.* » De hac clausula nil habet *Officium Hebdomadæ* S., et quoad majores campanas videtur abrogata ; quæ tamen servetur quoad pulsationem campanulæ.

(2) Id est, quoad nos, ab Ecclesia cathedrali seu insigni Collegiata.

In incœptione vero surgat Conventus et stet usque ad incœptionem Versus. (*Ord. et Cærem.*) *Alleluia* post Versum non repetatur, sed immediate quatuor Fratres bini et bini cantent Tractum *Laudate.*

1535. « Ad Evangelium cerei non deferantur, sed » tantum thus; petitur Benedictio, et alia fiunt ut » moris est, (*Miss.*) Non dicatur *Credo*, nec Offertorium, » sed tantum *Dominus vobiscum*, *Oremus*. Quo dicto, » statim Diaconus offerat Calicem Sacerdoti. Qui facta » oblatione, et thurificato Altari ac ablutis digitis more » solito, vertens se ad Conventum seu populum dicat: » *Orate Fratres*, etc., et postea Secretam. Deinde dica- » tur Præfatio cum clausula : *In hac potissimum nocte*, » etc. *Sanctus*, etc., *Communicantes*, *et noctem*, etc., et *Hanc igitur* propria. Postea dicente Sacerdote *Pax Domini*, respondeatur : *Et cum Spiritu tuo.*

## §. IV. Ad Vesperas et Completorium.

1536. « *Agnus Dei* non dicatur, nec Pax detur; sed » facto modico intervallo, absque *Pater noster* et *Deus,* » *in adjutorium,* alta voce incipiatur ad Vesperas An- » tiphona *Alleluia*, et tota cantetur ante Psalmi in- » tonationem. Psalmus *Laudate Dominum, omnes gen-* » *tes*, etc. cum *Gloria Patri*, etc. (*Ord.*). Repetita post » Psalmum Antiphona, Sacerdos ad Altare, Cantore » ei deferente, incipiat ad *Magnificat* Antiphonam *Ve-* » *spere*, quæ dicitur tota ante Canticum. » (*Miss.*) Interim fiat incensatio Altaris, Ministrorum et Chori.

1537. « Antiphona repetita et finita post *Magnificat*, » Sacerdos conversus ad populum seu Conventum di- » cat : *Dominus vobiscum*, et reversus ad librum prose- » quatur, præmisso *Oremus*, Postcommunionem *Spiri-* » *tum*, etc. Postea convertat se iterum ad populum et » dicat : *Dominus vobiscum*, et Diaconus subjungat : *Ite*,

» *Missa est*, *Alleluia*, *alleluia*. Deinde dicta Oratione *Placeat tibi*, etc., det Benedictionem, et dicat Evangelium : *In principio*, etc., et sic Missa simul et Vesperæ finiantur. » (*Miss.*)

1538. Qui extra Missam recitat Vesperas, dicto *Pater noster*, signat se, et statim dicat Antiphonam *Alleluia*, et cætera ut supra. Ante et post Orationem *Spiritum* dicat : *Dominus vobiscum*, deinde : *Benedicamus Domino*, *alleluia*, *alleluia*, et *Deo gratias*, *alleluia*, *alleluia*. Non dicat *Fidelium*, neque *Pater noster*, neque *Salve Regina*. » (*Brev.*)

1539. *Completorium* hac die dicatur hoc modo : Dicto *Jube*, *Domne*, etc., prout notatur n° 213. et seq., dicatur : *Converte nos*, etc. , et *Deus in adjutorium* , etc. more solito. Postea intonetur Antiphona *Alleluia*, et dicantur tres Psalmi, terminando quemlibet per *Gloria Patri*, videlicet : *Cum invocarem*, *In te*, *Domine*, *Ecce nunc*; deinde Canticum *Nunc dimittis*, et post ipsum dicatur Antiphona *Alleluia*. Post hæc sequitur *Dominus vobiscum*, Oratio *Spiritum nobis*, ut supra in Vesperis. Dictoque post Orationem *Dominus vobiscum* et *Benedicamus Domino*, detur Benedictio , et dicitur Antiphona *Salve Regina* superaddendo *Alleluia* in fine sicut et in Versiculo. (*Brev.*) Ad quam Antiphonam fit Processio et aspersio Aquæ benedictæ more consueto; postea fit Processio ad Altare B. M. V. cantando Litanias ejusdem : quibus finitis, dicatur Antiphona cum Versiculo et Oratione de B. P. N. Dominico vel alio Sancto, juxta consuetudinem Provinciarum et Conventuum, cum *Alleluia*, ac more solito terminetur Completorium. (*Ex Brev. et alibi.*)

# ARTICULUS VI.

## DE TEMPORE PASCHALI.

### §. I. De Rubricis specialibus hujus temporis.

1540. *In Officio.* Per totum tempus Paschale (V. n.° 46.), in Officio tam de Tempore quam de Sanctis dicendi sunt tantum tres Psalmi, singuli cum *Gloria Patri* (V. n.° 234. et seq.), et tres Lectiones ad Matutinum. In fine Invitatorii, et omnium Antiphonarum, Versiculorum et Responsoriorum, additur *Alleluia.* (*Brev.*) « Quandò autem in Responsòrio quod can» tatur in Vesperis (vel tertio Responsorio) non est » signatum *Gloria Patri*, post *Gloria* repetatur Re» sumptio quæ est notata post Versum, præterquam » in tempore Paschali, in quo post *Gloria* resumitur » *Alleluia.* (*Ord.*) (1) In Responsoriis Horarum duplex *Alleluia* apponitur. » (V. n.° 219.)

1541. Non autem additur *Alleluia* in Officio quotidiano B. M. V. nisi in Antiphonis ad *Benedictus* et ad *Magnificat*; neque additur in Antiphonis et Versiculis quæ dicuntur in terminatione Horarum (excepto Completorio); neque in Versiculis dicendis in Precibus aut Litaniis Sanctorum, et quando recipiendæ sunt Disciplinæ, et ante et post mensam (excepta Antiphona *Regina cœli* quæ post Gratias ex consuetudine dicitur).

1542. *Benedicamus Domino*, ℟. *Deo gratias* cum du-

---

(1) Hinc in Antiphonario recenter edito corrigenda sunt hujusmodi Responsoria in quibus Resumptio post *Gloria Patri* notatur ab asterisco, specialiter : ℟. *Omnis pulchritudo* in I. Vesp. Ascensionis — *Repleti sunt* in I. Vesp. Pentecostes — *De ore prudentis* de Communi Martyrum et Confessorum, et similia.

» plici *Alleluia* dicuntur in Laudibus et in Vesperis, » tam in Dominicis quam in Festis Simplicibus et » supra, et etiam in Officiis votivis, usque ad primas » Vesperas Trinitatis exclusive. In Officio vero Fe» riarum et Trium Lectionum et infra Octavas non » Solemnes dicitur cum uno *Alleluia.* Ad cæteras au» tem Horas nunquam dicitur cum *Alleluia.* » (*Brev.*)

1543. Tempore Paschali, excepta Hebdomada Paschæ, in Hymnis ejusdem metri tam de Tempore quam de Sanctis regulariter dicuntur duæ ultimæ strophæ de Tempore (V. n.° 190. et seq.) præterquam in omnibus Hymnis ejusdem metri in Festis et per Octavas Solemnes B. M. V. et in Hymnis propriis Festorum habentibus strophas proprias (V. n.° 716. et 721.) In Completorio semper dicitur Hymnus *Jesu, nostra redemptio* et regulariter Antiphonæ de Tempore, ut supra. Item quando desumitur Officium de Communi, dicantur quæ pro Tempore Paschali notantur.

Ferialibus autem diebus non fiant Prostrationes ad ullas Horas, nec ad Litanias, nec dicuntur Preces nisi ad Primam et Completorium. (*Ex Brev.*)

1544. *In Missa.* Non fiunt Prostrationes feriales, sed tantum ut supra n.° 789. Duo dicuntur *Alleluia* post Officium seu Introitum; unum vero additur post Offertorium et Communionem. Et si aliquod Festum quod evenit infra Septuagesimam transferatur post Octavam Paschæ, omisso Tractu, dicuntur *Alleluia* prout hic notatur. Pariter si aliquod Festum temporis Paschalis in quo signatum est *Alleluia* transferatur post Trinitatem, hæc omittantur. De *Alleluia* dicendo post Epistolam, V. n.° 394. et seq. et 697. Et de Præfatione hujus temporis, req. n.° 414. et seq. Quando autem dicitur Missa de Communi unius Martyris sive Pontificis sive non, vel plurimorum Martyrum, ea sumatur quæ pro Tempore Paschali notatur.

## §. II. De die sancto Paschæ et ejus Octava.

1545. *Ad Matutinum.* « Hac die et per totam Hebdo-
» madam usque ad Vesperas sequentis Sabbati exclu-
» sive, ad Horas tam diei quam noctis, nullus dicatur
» Hymnus. »

*Ad Laudes*, dicta ultima Antiphona, absque Capitulo, Hymno et Versiculo, statim dicitur ad *Benedictus* Antiphona (*Brev.*), quæ hac die et duabus sequentibus tota dicitur ante et post Canticum.

1546. Antequam legantur Calendæ, a Lectore dicitur (stantibus Fratribus, discooperto capite, ut moris est) *Hac die quam fecit*, etc. Deinde (iisdem sedentibus) pronuntiantur Calendæ et Martyrologium sequentis diei. (*Ex Martyrol.*)

1547. « In diluculo Festi Resurrectionis, in pluribus
» Conventibus (1), immediate post Matutinas in me-
» moriam tanti beneficii fit Processio, et deportatur
» SS. Eucharistiæ Sacramentum per Claustrum, sicut
» in die Corporis Christi, cum magna solemnitate;
» tunc poterit cantari Sequentia *Victimæ Paschali* et
» Hymni Paschales, vel etiam ℟. *Christus resurgens*,
» et Antiphona *Regina cœli*, secundum quod ordina-
» verit Prælatus et Cantor. In fine Processionis dicatur
» ℣. *Resurrexit Dominus*, *All.* ℟. *Sicut*, etc. Oratio. *Deus*
» *qui hodierna*, etc. » (*Process.*) Deinde solet haberi sermo. (*Cærem.*)

1548. « *Ad Primam*, dicto *Pater noster* et *Credo* et
» *Deus in adjutorium* cum *Gloria Patri*, dicuntur tres
» Psalmi consueti cum Antiphona j. Laudum super

(1) Est laudabilis consuetudo fere in toto Ordine quod fiat solemnis Processio post Matutinum in aurora, et defertur Corpus Dominicum per claustrum et cæmeterium sicut in Festo SS. Corporis Christi, et similiter Imago B. M. V. (*Adnot. in Ord. Joannes de Palentia.*)

» eos : qua finita statim sequitur ℟. *Hæc dies*, etc.
» Deinde dicatur *Confiteor*, *Dominus vobiscum*.... Ora-
» tio *Deus qui hodierna*, etc. subjungatur postmodum
» *Dominus vobiscum* et *Benedicamus*.

« Hoc modo dicitur Prima per totam Hebdomadam » absque Hymno, Capitulo, Responsorio et Versiculo. » Similiter et aliæ Horæ diei usque ad Vesperas se- » quentis Sabbati exclusive. Et in qualibet Hora, An- » tiphona super Psalmos finita, additur ℟. *Hæc dies*, » Oratio autem *Deus qui hodierna* solum hodie et » duobus sequentibus diebus ad Primam dicitur. » (*Brev.*)

1549. *Ad Missam* dicitur Sequentia *Victimæ Paschali* hac die et duobus diebus sequentibus. Præfatio de tempore Paschali cum clausula *in hac potissimum die*. *Communicantes* et *Hunc igitur* dicuntur propria usque ad Dominicam in Albis inclusive. *Ite Missa est* cum duplici *Alleluia* per Octavam usque ad Dominicam in Albis exclusive. (*Miss.*)

1550. *Ad Vesperas* dicuntur tres primi Psalmi de Dominica. Finita Antiphona super eos, sequitur ℟. *Hæc dies*. Postea dicitur Antiphona ad *Magnificat*. Hic modus dicendi Vesperas servatur usque ad Sabbatum in Albis exclusive. (*Brev.*)

1551. *Ad Processionem*. « Hac die et duobus diebus » sequentibus, dum Oratio in Vesperis dicitur, Thuri- » ferarius ad Sacristiam vadens, deposito thuribulo, » Crucem a Sacrista præparatam accipiat, et in Chorum » ante gradus Presbyterii veniat; et dicta Oratione et » responso *Amen*, Cantores immediate incipiant Re- » sponsorium *Christus resurgens*, et Conventu illud » prosequente, egrediatur Processio de Choro in Ec- » clesiam laicorum hoc ordine : primo procedant Ce- » roferarii, et in medio eorum Cruciferarius, qui » omnes sint in Albis ; postea Conventus, junioribus » præcedentibus; ultimo Prior cum libello Processionali.

1552. « Cum autem Ministri prædicti exierint, Cruciferarius collocet se inter utrumque Chorum in medio a parte juniorum, et juxta eum Ceroferarii hinc et inde stantes versis vultibus ad Altare, et vultu Crucifixi verso ad Conventum. Cæteri vero Fratres ordinent se sicut in Choro versis vultibus ad invicem ; ultimo stet Prior inter utrumque Chorum.

1553. Finito Responsorio, duo Fratres cantent Versum : *Dicant nunc*, etc.; et Chorus resumat : *Quod enim*, etc. Finita post Versum resumptione, illi quorum est dicere Versiculos (vel Acolythi, *Ord.*), dicant (eo modo quo ad Memorias in Vesperis et Laudibus dici solent) Versiculum *Dicite*... ℟. *Quia*, etc.; et Prior subjungat Orationem *Deus qui pro nobis*, ut in Processionario.

1554. « Postea Cantores incipiant Antiphonam *Regina cœli ;* et Fratres eam prosequendo revertantur in Chorum eo ordine quo venerunt; et Ministris ordinantibus se ante gradus Presbyterii modo prædicto, Prior stet ad pulpitum in quo prima Oratio dicta fuit.

» Finita Antiphona, qui solent dicere Versiculos ut supra, dicant : ℣. *Ora pro nobis*, etc. ℟. *Ut digni*, etc.; et Prior subjungat Orationem *Gratiam*.. Qua finita, et subjuncto *Dominus vobiscum*, dicatur *Benedicamus Domino*, *alleluia*, *alleluia* ab illis qui dicunt Versiculos. Et hoc modo his tribus diebus Vesperæ terminentur.» (*Process. et Ord.*)

1555. *Ad Completorium*. « Dicuntur tres Psalmi qui designantur Sabbato immediate præcedenti, cum Antiphona *Alleluia* (quater) : qua finita dicitur ℣. *Hæc dies*, ut supra, deinde Canticum *Nunc dimittis* et Antiphona *Alleluia, resurrexit*, etc.., et post Antiphonam Oratio *Spiritum*, etc., et terminetur Completorium more solito.

» Idem modus dicendi Completorium servetur per totam Hebdomadam usque ad Sabbatum subsequens

» exclusive, nisi quod Oratio prædicta *Spiritum* duo-
» bus tantum sequentibus diebus dicitur. » (*Brev.*)

1556. *Feria II.* Invitatorium et Antiphona super Psalmos Nocturni et Laudum hujus diei dicuntur per Hebdomadam. Psalmi dicuntur qualibet die proprii prout in Breviario. Tertia, Sexta et Nona dicantur per Hebdomadam cum propriis Orationibus, videlicet cum Oratione Laudum cujuslibet diei respective. (*Brev.*)

1557. *Feria IV.* Dicitur ad Primam Oratio consueta: *In hac hora* etc. Missa celebretur ad modum Festi Simplicis. Ad Vesperas fiat Memoria de Cruce sicut in die Paschæ, omisso Versu *Dicant*, et sic usque ad Vesperas Sabbati sequentis exclusive. Memoria vero de B. Virgine omittitur. In Completorio Oratio *Visita, quæsumus*, et sic sequentibus diebus. (*Ibid.*)

1558. *Feria V.* Versiculus et ℟℟. in Noct. ut in Feria II. præcedenti; et pariter Feria VI. ut in Feria III, et Sabbato ut in Feria IV. Die autem Sabbati non dicatur ℟. *Hæc dies* ad Horas, sed ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam dicatur post Antiphonam, loco illius : *Alleluia* ℣. *Hæc dies*. Post Versum *Alleluia* non repetatur (*Ord.*). Cantandum est a toto Choro, Cantore hebdomadæ incipiente, *Alleluia* et Versus.

De *Alleluia* in Missa vide superius dicta n.° 394.

## §. III. A Dominica in Octava Paschæ usque ad Ascensionem.

1559. *Dominica in Octava Paschæ.* Sabbato præcedenti ad Vesperas super quinque Psalmos *Benedictus* cum cæteris de Sabbato sola Antiphona *Alleluia* (ter). Capitulum *Christus*, Hymnus *Ad cœnam*, cum duabus ultimis strophis propriis (V. n.° 190.) Versiculus *Mane*, etc. (*Brev.*) « Hic ordo servetur omni die Sab-
» bati ad Vesperas usque ad Ascensionem, scilicet
» de Antiphona super Psalmos, et de Psalmis, et de

» Capitulo, et de Hymno, et de Versiculo, quando de » Dominica agitur. » (*Ord.*) Post Orationem diei fit Memoria de Cruce per Antiphonam *Crucem*, et Versiculum ac Orationem ut in die Paschæ.

1560 *Ad Completorium* super quatuor Psalmos consuetos Antiphona *Alleluia*, etc. Hæc Antiphona dicitur ad Completorium toto tempore Paschali, exceptis Festis (et Octavis solemnibus) B. M. V. Capitulum *Tu in nobis es*, ℟. *In manus* cum *Alleluia*, Hymnus *Jesu nostra redemptio*, et Versiculus *Custodi nos*. Ad *Nunc dimittis* Antiphona *Alleluia*, *resurrexit*.. Præfatus Hymnus dicitur ad Completorium toto T. P., Antiphona vero usque ad Ascensionem, nisi aliter notetur. (V. n.° 220, 221.)

1561. *Ad Matutinum*. Invitatorium *Alleluia*, *Surrexit*, etc. dicitur Dominicis diebus usque ad Ascensionem, cum de Tempore agitur. Hymnus *Aurora*, Antiphonæ vero, Psalmi, et Versiculus, et Responsoria Nocturni dicuntur sicut in die Paschæ; et similiter Antiphonæ ad Laudes et Horas diei.

Ad Memoriam de Cruce Antiph. *Crucifixus* cum Versiculo et Oratione ut supra. Prædicto modo fiat Memoria de Cruce tam in Vesperis quam in Laudibus quoties occurrerit facienda (V. n.° 151. D. et 169.)

1562. *Ad Primam*, omnia fiant more solito, et dicitur in ℟. br. ℣. *Qui surrexisti*. (V. n.° 305.)

*Ad Missam* unica dicitur Oratio, nisi addatur Collecta (V. n.° 381. et 394.)

*Ad Vesperas* Psalmi de Dominica sub Antiphona *Alleluia* (quater); Capitulum, Hymnus et Versiculus ut in primis Vesperis. Et sic Vesperæ dicantur in Dominicis usque ad Ascensionem. Hymnus quoque, Capitula, Versiculi et Responsoria Horarum dicantur quotidie usque ad Ascensionem, cum de Tempore agitur.

1563. *Feria II. Ad Matutinum*. Invitatorium (ter *Al-*

*leluia*) et Antiph. super Psalmos (semel *Alleluia*) dicatur Ferialibus diebus usque ad Ascensionem exclusive, cum de Feria agitur. Psalmi autem iisdem diebus dicuntur prout notantur in Proprio.

Hodie incipit Historia *Dignus es*, nisi Festa impediant, et recitetur hac hebdomada et duabus sequentibus cum de Tempore agitur. (V. n.° 276. et seq.)

*In Laudibus* Antiphona bis *Alleluia* dicatur usque ad Ascensionem, cum fit de Tempore, super Psalmos *Dominus regnavit*, etc. Ad *Benedictus* et per hebdomadam dicitur Antiphona propria.

*Ad Horas* diei, tam Dominicis quam Ferialibus diebus usque ad Ascensionem, Antiphonæ dicuntur ut in Psalterio.

*Ad Vesperas* Antiphona *Alleluia* dicitur super 5 Psalmos de Feria in profestis diebus usque ad Ascensionem, cum fit de Tempore. Ad *Magnificat* Antiphona notatur propria pro qualibet Hebdomada.

1564. *Dominica III. post Octavam Paschæ.* « Hodie » incipit Historia *Si oblitus*, nisi Festa impediant, et » dicitur usque ad Ascensionem exclusive, cum de » Tempore agitur. » (V. n.° 276. et seq.)

*Dominica IV. post Octavam Paschæ.* « Post Com- » pletorium hujus diei et duorum dierum sequen- » tium (si in crastinum fiat de Feria) dicatur in » Choro Psalmus *Deus in adjutorium* cum Precibus » et Orationibus absque Litaniis, cum hæ dicantur » ante Missam. (*Brev.*)

1565. *Feria II. in Rogationibus.* Oratio *Præsta* in hac » die et sequenti ad Laudes tantum dicatur. Ad alias » autem Horas et ad Vesperas Oratio Dominicæ.

« Si Festum Simplex vel majus in hac Feria II. ve- » nerit, Homilia legatur in III Feria sequenti, nisi » aliud Festum in ea occurrerit : tunc enim dimittitur » illo anno. » (*Brev.*)

1566. « Quando Missa cantanda fuerit, Sacerdos et

» Ministri induant se sacris vestibus (prout in asper-
» sione Aquæ benedictæ dicitur); deinde finita Hora
» præcedente Missam, veniant ante Altare et stent
» sicut in Dominicis diebus ad aspersionem Aquæ
» benedictæ. Cantor autem incipiat Antiph. *Exurge*.
» Post repetitionem Antiphonæ Sacerdos dicat : ℣.
» et Orationem, addito *Alleluia*, *Dominus vobiscum*
» *Ostende*, etc., *Parce Domine*, etc. » (*Miss.*)

1567. « Postea duo Fratres in Superpelliceis can-
» tent Litanias eo modo quo in Vigilia Paschæ nota-
» tum est. » (*Ord.*) « Interim (ubi Processio non fit)
» Sacerdos et Ministri sedeant in Presbyterio, et ibi
» simul ipsas voce submissa legant, Acolytho tenente
» Missale. Et cum dictum fuerit a Choro *Peccatores*,
» Sacerdos cum Ministris revertatur in Sacristiam et
» Casulam assumat. Inchoata vero Missa, præcedente
» uno Ceroferario, more solito veniat ad Altare. Et
» hic ordo in duobus diebus sequentibus servetur.
» (*Miss.*) In Missa 2ª Oratio de Cruce, 3ª Omnipotens.
» *Alleluia* non repetatur post Versum.

1568. *Feria III. in Rogationibus.* « Antiphonæ ad
» *Benedictus* et ad *Magnificat* dicantur sicut in præce-
» denti Feria II. (*Brev.*) *Ad Missam* Officium et cæ-
» tera omnia sicut in præcedenti II. Feria ; excepto
» quod post 1.ªᵐ Orationem secunda sit de B. Domi-
» nico P. N. ; tertia de S. Cruce. » (*Miss.*)

1569. *Feria IV. in Rogationibus et Vigilia Ascensionis.*
« Horæ diei dicantur cum Oratione de Vigilia.» (*Brev.*)

« Non fit Missa de Rogationibus, sed sola Memoria
» in Missa Vigiliæ concurrentis » (*Miss.*) post Memo-
riam de S. Ordinis. In Missa Conventuali unica et in
Missis privatis de Festo occurrente fit Memoria Vigi-
liæ, cum ultimo Evangelio de Rogationibus. *Alleluia*
repetitur post Versum. (*Miss.*) « Dicta Missa cantetur
Nona. » (*Ord.*)

1570. Si in diebus prædictis occurrerit Festum de

ad *Benedictus* et ad *Magnificat* et Orationem, quæ dicuntur ut in Dominica præcedenti. In Prima Capitulum *Pacem*, Preces et Oratio *Domine*, etc. In Completorio dicuntur Preces, et post Completorium Psalmus *Deus in adjutorium*, ut n.° 1564.

*Ad Missam* de Dominica præcedenti Orationes ut n.° 377. Præfatio communis.

## §. V. De Vigilia, Festo et Octava Pentecostes.

1577. *In Vigilia Pentecostes*. Dicitur Officium quotidianum B. M. V. in Matutino et usque ad Vesperas exclusive. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluia*, Hymnus, Psalmi, Versiculus et ℟. ut in Sabbato præcedenti, Homilia propria. In Laudibus et Horis omnia desumantur ex Festo Ascensionis et Feria VI. præcedenti, præter Antiphonam ad *Benedictus* et Orationem propriam diei. *In Pretiosa* (M.) dicitur Evangelium Vigiliæ.

1578 « Hac die in anno electionis Magistri Ordinis » in quolibet Conventu post Primam cantetur Missa » votiva sicut in Festo Simplici ; *Gloria in excelsis* non » dicatur. Oratio *Deus qui corda*, cum Orationibus de » B. V. in Sabbato et de B. Dominico. *Alleluia*. ℣. *Veni* » a toto Choro cantetur. » (*Ord.*) (1)

1579. « Missa vero diei omni anno, dicta Nona, can» tetur a Priore, Lectiones autem in eadem Missa le» gantur eo modo, loco et ordine qui in Vigilia Pa» schæ notatus est. (V. n.° 1529.) Dum prima Lectio » legitur, Sacerdos indutus Casula, cum Ministris de » more indutis, accedens ad Altare non incipiat

(1) Ex Missali nostro nihil obstat quominus celebretur hujusmodi Missa ; cum hac die permittantur Missæ votivæ pro re gravi. Secus de Feria II. post Pentecosten, (V. n.° 355.) in qua sola Missa diei dici potest.

» Missam, sed inclinans profunde sessum eat, et Le» ctiones (Tractus) ac Orationes dicat sicut in Sab» bato Sancto. Finita quinta Oratione dicantur Lita» niæ sicut in Sabbato Sancto.» (*Miss.*) (V. n.° 1530. et seq.)

1580. « Quibus finitis Sacerdos cum Ministris ad » Altare accedens, facta inclinatione profunda, dicat : » *In nomine Patris*, etc... *Confitemini*, etc. *Confiteor*, » etc. Quibus dictis, simul cum Oratione solita ante » Altare dicat : *Kyrie eleison*, etc., et post *Kyrie eleison* » incipiat more solito : *Gloria in excelsis Deo.*» *Kyrie* cantantur de tempore Paschali. « *Gloria in excelsis*, » *Sanctus*, et *Agnus*, et *Ite Missa est* dicantur ut in » Festo Duplici. » Ad *Gloria in excelsis* campanæ non pulsentur; una tantum dicatur Oratio, et Collecta imperata omittitur. *Alleluia* et Tractus cantentur ut in Vigilia Paschæ. Ad Evangelium thus et cerei deferantur. Non dicatur *Credo*. Præfatio *Qui ascendens* (cum particula *hodierna die*), et *Communicantes* et *Hanc igitur* propria dicuntur per Hebdomadam usque ad Sabbatum inclusive.

1581. « In Missis privatis hujus Vigiliæ, omis» sis Prophetiis et Orationibus et Litaniis ut supra, » Missa in hunc modum incipiatur; *Cum sanctifica*» *tus*, etc. » (*Miss.*)

1582. *Ad Vesperas*. Tres tantum dicuntur Psalmi usque ad Sabbatum sequens exclusive. Duæ strophæ : *Dudum*, etc., *S t laus*, etc. dicuntur in fine Hymnorum per totam hebdomadam, nisi in Hymno *Veni Creator*, in quo dicitur tantum *Sit laus*, etc. (V. n.° 192). Et dicitur Oratio Vigiliæ.

*Ad Completorium* omittitur Psalmus *Qui habitat*, et super Canticum dicitur Antiphona : *Alleluia*, *Spiritus*, etc. et sic usque ad Completorium Sabbati sequentis exclusive.

1583. *In die Sancto Pentecostes* ad Matutinum et Lau-

des omnia prout jacent in Breviario. Ad Primam in ℟. br. dicitur Versus *Qui sedes*....

1584 *Ad Missam*. Post primum Versum *Alleluia*, quatuor Fratres incipiant secundum *Alleluia*, Choro neuma prosequente. Deinde iidem quatuor Fratres flectendo genua incipiant Versum *Veni sancte Spiritus*. Chorus similiter genua flectens usque ad *Reple* post inchoationem residuum prosequatur. (*Ord.*) Quoad Sacerdotem et Ministros V. n.° 836. et 838. Sequentia *Veni sancte Spiritus* dicitur hac die et duabus sequentibus.

1585. *Ad Tertiam*, quæ, ubi consuevit, hac die et duabus sequentibus, vel quotidie usque ad Sabbatum sequens, post Missam Conventualem cantatur, totus Conventus conveniat per sonum Campanulæ a Sacrista post Elevationem pulsatæ, ut intersit ad invocationem Spiritus sancti per proprium Hymnum *Veni Creator*, qui solemniter cantatur etiam cum Organo, (*Cærem.* C.) (V. n.° 770.) et hac die et duabus sequentibus a duobus Cantoribus inchoetur. (*Ord.*) Finita igitur Missa, Sacerdos cum Ministris, præcedentibus Acolythis, ingrediatur Chorum et vadat ad sedem Prioris, vel ad medium Chori in parte superiori, juxta consuetudinem Provinciarum : Ministri vero ordinent se hinc et inde in medio Chori. Tunc, dicto *Pater noster*, Sacerdos incipiat Tertiam, et omnes cum Choro genuflectant ad primam stropham *Veni Creator*. Terminato Hymno et incepta a Sacerdote Antiph. *Spiritus*, vadant ad Sacristiam ad deponendas sacras vestes. In aliquibus Provinciis cantatur *Veni Creator* ante Missam, et cum Cappa serica (1). (*Cærem.* C.)

---

(1) In hac die et duabus sequentibus consuetudo est antiqua et laudabilis saltem in tota Hispania (quæ adhuc viget in Italia, ut alibi) quod Tertia dicitur cum magna solemnitate. Etenim descendit Conventus in capellam majorem, quæ floribus et rosis hinc et inde sparsis decenter præparari solet. Et tunc Prior qui cantavit, vel debet cantare

1586. *Feria II. post Pentecosten. Ad Matutinum.* Invitatorium *Repleti sunt*; Hymnus vero, Psalmi et una Antiphona super eos incipiendo a prima, sumantur ex Festo : et sic fiat per totam hebdomadam.

*In Laudibus* per hebdomadam Antiphona super Psalmos *Dum complerentur*. Quæ autem non sunt propria sumantur ex Festo per totam Octavam. (*Brev.*)

1587. *Ad Missam.* Omnia ut in Missali singulis diebus Octavæ, et dicitur *Credo*. Hac die, in Conventu ubi Generale Capitulum celebratur, Missa pro Capitulo cantatur post Primam. (*Ord.*) (V. n.° 1577. cum annot.)

1588: *Feria IV. Quatuor Temporum* et tribus sequentibus, Missa fiat sicut in Festo Simplici (*Ord.*). Ad primam Orationem et Lectionem fiat ut dictum est n.° 1342.

*Feria V. Ad Matutinum.* Versiculus et Responsoria Nocturni dicantur ut in Feria II præcedenti, Feria autem VI ut in Feria III.

1589. *Sabbato Quatuor Temporum.* Versiculus et ℟℟. Nocturni ut in Feria IV præcedenti.

*Ad Missam*, ad Orationes et Lectiones fiat ut notatur n.° 1343. Quatuor priora *Alleluia* a toto Choro cantentur, nec iteretur *Alleluia* post Versum. *Alleluia* autem ℣. *Benedictus es* a duobus cantetur et sequens similiter. (*Ord.*)

---

Missam, cum Diacono et aliis Ministris cum Stolis, etc. factoque signo a Prælato et dicto *Pater noster*, incipit Horam, scilicet : *Deus in adjutorium*, et Cantores incipiunt Hymnum *Veni Creator*, et totus Conventus genuflectit. Tunc surgunt omnes, et prosequuntur omnes Versus Hymni, Cantoribus incipientibus singulos Versus. Quibus finitis, Prior vel qui facit Officium, incipit Antiphonam *Spiritus*, et Cantor cujus est Hebdomada, Psalm. *Legem pone* incipit. Quo facto, Prior cum Ministris in Sacristiam revertitur ad deponendum sacras vestes, et Hebdomadarius reliqua perficiat. In aliis autem Feriis per hebdomadam nulla similis solemnitas fit. (*Joan. de Palentia Annot. in Ord. Præd.*) In aliquibus etiam Provinciis solet fieri solemniter Benedictio Rosarum et earumdem Fratribus distributio.

Dicta autem Nona post Missam explicit Tempus Paschale.

## §. VI. A Festo SS. Trinitatis usque ad Adventum.

1590. *In Festo SS. Trinitatis.* Omnia fiant prout per extensum in Breviario notatur juxta Rubricas generales in 1.ª Parte expositas.

*Ad Primam* post Psalmos consuetos dicitur Symbolum *Quicumque.*

*Ad Missam* Præfatio de SS. Trinitate hac die dicitur, et deinceps usque ad Festum SS. Corporis Christi exclusive, etiam in Festis Sanctorum.

1591. *Per Octavam*, quando de ea agitur, Invitatorium proprium. Cætera omnia ex Festo desumantur et fiant secundum ordinem qui in Rubricis generalibus notatus est, usque ad Vesperas sequentis Feriæ IV. exclusive, et dicantur Lectiones propriæ. « Si contingat his » diebus fieri de aliquo Sancto non habente Lectiones » proprias in primo Nocturno, legantur duæ Lectiones » de Feria, et tertia erit prima ex illis quæ habentur in » Communi Sanctorum pro primo Nocturno de Scri» ptura. » (*Brev.*)

1592. « *Feria V.* celebratur Festum SS. Corporis » Christi. Cujus Officium editum est a S. Thoma Aqui» nate (*Opusc.* 57.) Hac die et per totam Octavam adda» tur *Alleluia* ad omnes Versiculos proprios SS. Sacra» menti, ad alios autem quoscumque non addatur. » Hymnus Completorii et omnes alii ejusdem metri per totam Octavam, excepto Hymno *Verbum supernum,* finiantur cum stropha *Gloria.. Qui natus es,* et dicitur super Canticum *Nunc dimittis* Antiphona *Alleluia, Panis,* etc. per totam Octavam etiam in Festis Sanctorum. Et similiter ad Primam in ℟. br. dicitur Versus *Qui natus es,* etc..

*Ad Missam* dicitur Sequentia, et *Credo*, et Præfatio

*Quia per incarnati*, etc., et sic per totam Octavam. Omittitur Sequentia in Festis Sanctorum, et dicitur Præfatio propria, si eam habuerint. Hac die nihil fit de Vigiliis SS. Joannis Baptistæ et Apostolorum Petri et Pauli. (1)

1593. *Ad Processionem*. Solet hac die in multis Conventibus, finita Tertia, fieri per Claustrum solemnis Processio, in qua observetur ritus et ordo prout notatur infra n.° 1722, et cantentur sequentia :

1.° ℟. *Respexit*; 2.° ℟. *Accepit*; 3.° ℟. *Unus panis*; 4.° Ad introitum Ecclesiæ Antiphona *O sacrum*, Versiculus *Panem cœli*, et Oratio diei.

« Cum autem Fratres processerint ad generalem » Processionem (2), poterunt de Hymnis Festi cantare » ad libitum et de aliis Hymnis, sicuti fuerit expe» diens superaddere secundum Cantoris dispositio» nem. » (*Process.*)

De ritibus servandis tam in expositione quam in Processione et Benedictione SS. Sacramenti, req. infra n.° 1739, et serventur S. R. C. Decreta.

1594. *Per Octavam*. Omnia desumantur ex Festo præter Lectiones, et fiant juxta regulas generales in prima Parte expositas. (V. n.° 233. 280 etc.)

*Ad Missam*, dum dicitur de Octava, dicantur omnia sicut in die, nisi quod *Gloria in excelsis* cantatur ut in Festo Simplici. Sabbato in Vesperis nihil fiat de Dominica, vel de Octava Trinitatis.

---

(1) « An Regulares intra hebdomadam Corporis Christi inter Missarum solemnia et ad Vesperas possint exponere SS. Sacramentum absque licentia Ordinarii? » — R.: « Posse Regulares in casu proposito » publice exponere SS. Eucharistiæ Sacramentum absque licentia Or» dinarii. » (20 Apr. 1641.) Alias tamen nequeunt absque dicta licentia.

(2) « An Regulares teneantur in Festo Corporis Christi ad Ecclesiam Matricem reassociare Sanctissimum ibique permanere usque ad Benedictionem ? — S. R. C. respondit : Teneri. Et ita declaravit et servari mandavit. (10. *Mart.* 1685.) Quod intelligitur de aliis Processionibus publicis. (Vid. Gard. n.° 3083. 3118. etc.)

1595. *Dominica infra Octavam.* Officium de Octava ut in Festo, præter Lectiones, et fit Memoria de Dominica in Laudibus et II. Vesperis tantum. Missa vero ab omnibus de Dominica dicitur, cum sola Memoria Octavæ et Sequentia *Lauda Sion*.

« Hac die Processio fieri solet in multis Conventibus » (1) cum majori solemnitate, propter numerum sæcu» larium lumina turmatim deferentium et Sacerdotum » incedentium cum vestibus sacris, Casulis videlicet, » Pluvialibus atque Dalmaticis. Et dum Celebrans de» fert SS. Sacramentum, si adinvenit in via aliqua » Altaria erecta et decenter constructa, in illis collo» cat SS. Sacramentum aliquantisper ibi quiescendo,

---

(1) Quoad Processiones confirmamus et innovamus et de novo concedimus, motu, scientia et potestate, ut supra, privilegium indultum Fratribus prædictis a S. Pio V. in litteris in forma Brevis datis 20 Junii 1570, quod soli possint peragere Processionem cum augustissimo Sacramento Dominica infra Octavam Corporis Christi, hora qua maluerint, et per vias semel tantummodo per eos eligendas; quod quidem indultum, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, et consequenter derogando illi Gregorii XIII quæ incipit *Cum interdum* 11. Martii 1573., non solum confirmavit et innovavit Clemens VIII. in Constitutione *Dudum felic. rec. Pius P. P. V.* 8. Mart. 1592, verum etiam illud extendit ad Conventus quoscumque non modo jam erectos sed quandocumque erigendos, concessa indulgentia plenaria interessentibus eidem Processioni; quæ omnia amplissime confirmamus, ut prædictum est, quibuscumque, ut infra, plenissime derogantes. Et mandantes prædictis Fratribus quatenus omni cunctatione seposita prædictam Processionem solemniter instituant prædicta die, in iis saltem locis in quibus aliam non elegerint, ac præcipientes locorum Ordinariis ut quævis impedimenta et obstacula efficaciter submoveant ad hoc, ut quæ a Prædecessoribus nostris Prædicatorum Ordini, cujus filius clarissimus divus Thomas incomparabilibus ac propemodum divinis præconiis, laudibus et hymnis per sacrum hujusmodi tempus recinendis gloriam SS.mi Sacramenti in catholica Ecclesia auxit perennavitque, ac propterea de aucta simul et propagata veneratione Corporis Christi tantopere merenti, beneficia jure maximo collata, restituta in Domino gaudentes videamus. (*Bened.* XIII. *Pretiosus* VIII.)

» et ante discessum illud thurificando et Orationem » de eo dicendo.» (1) (*Process. et Cærem. C.*)

1596. *Dominica I. post Octavam Trinitatis* vacat propter Festum Purissimi Cordis Mariæ; de ea tamen fiat Memoria et dicatur Missa juxta Rubricas generales.

De aliis vero Dominicis post Octavam Trinitatis earumque numero et ordine, necnon de Lectionibus et Historiis tam Dominicis quam infra Hebdomadam legendis et Missa celebranda his diebus, jam supra dictum est in prima Parte sub titulis respectivis. (2)

1597. *Feria IV. VI. et Sabbato Quatuor Temporum Septembris.* Si fiat de Feria, legatur Homilia ut in Breviario, et dicatur Oratio propria in Laudibus tantum.

Ad Missam de Feria vid. n.° 1342, 1343.

Si autem Officium non fuerit de Feria, nec Memo-

---

(1) An Patribus Ordinis Prædicatorum liceat in Processione quæ fit in Octava Corporis Christi intra limites Ecclesiæ Parochialis solemnem Benedictionem impertiri cum SS. Sacramento absque licentia Parochi in casu etc? — R. « Posse de licentia Ordinarii. » (22. *Apr.* 1752.)

S. R. C. censuit servanda esse Cæremonialis præscripta, et seme tantum elargiendam esse populo Benedictionem in fine Processionis. » (11. *Maii* 1652.) Attamen ead. S. R. C. sub die 23. Sept. 1820. ita respondit : « Non obstante prædicto decreto vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo ut saltem servetur regula Cæremonialis, quod non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur quoties Altaria occurrant, sed semel vel iterum, et Altaria per viam extructa sint decenter ornata et a probo Cæremoniarum perito prius auctoritate Episcopi visitata. »

— In Oratione XL. Horarum eoque magis in Festo Corporis Christi Duplicibusque primæ et secundæ classis, quum populo benedicitur post *Tantum ergo*, quæritur an unica tantum Oratio de SS. Sacramento dicenda sit vel addi possit aliqua Collecta, nempe Principis, etc.? — R. « Affirmative in Oratione XL. Horarum et Duplicibus primæ et se» cundæ classis; negative vero in Festo et per Octavam SS^mi Corporis » Christi. » (22. *Sept.* 1837.)

(2) « An alia Oratio addenda sit loco imperatæ quando hæc reperitur in Missa diei ex. gr.: in Dominica XX. post Octavam Trinitatis, si Oratio imperata sit *Deus refugium?* » — R. « In casu Collecta erit sequens. *Ne despicias.* » (*S. R. C.* 23. *Maii* 1835.)

ria de ea fiat, legatur tamen ejus Homilia in casu n.° 262, et Missa Conventualis de Feria celebretur unica vel prima prout 346, 350, 351; in Missis vero privatis legatur Evangelium Feriæ, et addatur ejusdem Memoria in omnibus Missis, si propter paucitatem Fratrum Missa de ea non celebretur in Conventu.

Si autem his diebus concurrerit Vigilia S. Mathiæ, de Vigilia celebretur altera Missa.

1598. De Dominicis autem quæ resumuntur post Octavam Epiphaniæ advertendum est earum Missas non requiri debere post Octavam Epiphaniæ, sed Introitus, Responsorium, *Alleluia*, Offertorium et Communio in prædictis Dominicis semper dicantur ut in Dominica XXI. post Octavam Trinitatis prout habetur in Missali. Dicatur autem semper ultimo loco ea quæ notatur in ordine XXII. seu ultima.

## §. VII. De Dedicatione Ecclesiæ.

1599. « Primo anno Dedicationis Ecclesiæ, Officium » inchoatur in Missa (1). In Hora vero quæ sequitur » Missam, et deinceps in omnibus Horis usque ad » Completorium sequentis diei exclusive fiat Officium » Totum Duplex (V. n.° 16.), et dicatur Oratio *Deus* » *qui invisibiliter* ad omnes Horas, præterquam ad Com- » pletorium et Primam. (*Brev.*)

1600. « In Vesperis diei quo Ecclesia dedicata est » cantetur Responsorium, et die sequenti in Matuti- » nis novem dicantur Lectiones. Octava vero celebra- » bitur revoluta hebdomada, eo die quo Dedicatio » facta fuerit, et dicitur Oratio ut supra quotidie per » Octavam, quando de ipsa agendum fuerit.

(1) Vesperæ, Matutinum, Laudes et Horæ præcedentes Missam Consecrationis recitandæ sunt vel de Feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario. (*S. R. C.* 19. *Jul.* 1780.)

« Secundo anno et deinceps singulis annis in Anniversario fiat Officium ordinarium, prout n.° 65. » (*Ibid.*)

Per Octavam et in Octava Invitatorium et Antiphonæ ad *Benedictus* et ad *Magnificat* ut in die. Cætera fiant secundum modum Octavarum Simplicium.

1601. « Si Festum Dedicationis vel Anniversarium » ejusdem contingat celebrari infra tempus Paschale, » sic fiet Officium. In I. Vesperis omnia fiant prout » in die. Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus prout » extra tempus Paschale. Tres Psalmi cum totidem » Antiphonis, Versiculo et tribus Responsoriis secun» dum ordinem Feriarum : dimissaque Homilia legun» tur tres Lectiones ; prima legatur quæ est notata » prima de Scriptura ; pro 2.ª et 3.ª assumantur iv. » et v. quæ sunt de sermone. » Reliqua regulariter fiant prout extra tempus Paschale, addito *Alleluia.*

1602. « Idem servetur per totam Octavam, nisi quod » in diebus infra Octavam in Nocturno una sola An» tiphona dicatur super Psalmos, quæ erit ex iis quæ » in Nocturnis Festi notantur, incipiendo a prima. » Lectiones vero erunt in his diebus duæ de Feria » currente, et tertia de sermone. In Octava autem die » Lectiones erunt duæ de Scriptura quæ sunt 2.ª et 3.ª » positæ pro Festo, et pro tertia assumatur de sermone » quæ est 6.ª in ordine cum titulo : *Sermo S. Augustini* » *Episcopi.* (*Ibid.*) (1)

1603. Missa de Anniversario Ecclesiæ dicitur prout jacet in Missali, observata temporum variatione. « Extra « ipsam Ecclesiam dedicatam omittitur tota parenthe-

---

(1) « Quando occurrit Dedicatio Basilicarum SS Salvatoris et SS. » Apostolorum Petri et Pauli infra Octavam Dedicationis aliarum Ec» clesiarum, sumatur pro Commemoratione alia Oratio de Communi.» (*Urbis et Orbis S. R. C.* 25. *Sept.* 1860.)

» sis in Secreta. Infra Octavam Anniversarii Dedica-
» tionis Ecclesiæ, dum dicitur Missa de ipsa, omnia
» fiant ut in die, excepto *Credo*, et secunda Oratio erit
» de B. M. V., tertia *Ecclesiæ.* » (*Miss.*)

1604. « In ipsa vero die Consecrationis Ecclesiæ et
» per totam Octavam, quando de Dedicatione agitur,
» Missa dicitur etiam ut in Anniversario juxta exi-
» gentiam temporis, exceptis Orationibus.

« In ipsa die Consecrationis Altaris vel Altarium di-
» catur similiter Missa ut in Anniversario præter Ora-
» tiones. » (*Ibid.*)

## ARTICULUS VI.

### DE RUBRICIS PROPRIIS TAM IN OFFICIO ET MISSA QUAM EXTRA IN FESTIS SANCTORUM.

#### §. I. A Vigilia S. Andreæ usque ad diem I. Januarii.

1605. *Die* 29. *Novembris.* In Vigilia S Andreæ, Apostoli, Missa propria (V. n.° 350. et 372.)

*Die* 30. In Festo S. Andreæ, Apostoli. Officium ut in Proprio. In primis Vesperis Festi dicitur Oratio Vigiliæ, et si hoc Festum transfertur, dicitur Oratio Laudum.

Infra Octavam, ad Memoriam in Laudibus et Vesperis dicuntur Antiphonæ propriæ, cum Versiculo *Dilexit*, etc., in Vesperis. In die vero Octava, Antiphonæ ut in Festo, et Oratio propria.

1606. *Die* 7. *Decembris.* In Ordinatione S. Ambrosii, Episc. Conf. et Eccl. Doct. Hymnus : *Iste confessor Domini sacratus, Sobrius, castus*, etc. In Missa *Credo.*

1607. *Die* 8. In Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Si Festum istud inciderit in Dominicam (V. n.° 123.) Officium totum proprium. Dicuntur duæ ultimæ strophæ solitæ B. M. in fine omnium Hymnorum

ejusdem metri tam in die quam per Octavam (V. n.° 194.) præterquam die Dominica et in Hymnis propriis in Matutinis et Laudibus; adhiberique poterit ad Horas tonus Hymni *Præclara*. Item ad Completorium dicuntur Antiphonæ B. M per totam Octavam, nisi aliter notetur, et ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es.*

Missa propria. In Præfatione additur particula: *Et te in Conceptione Immaculata* per totam Octavam, nisi aliter notetur.

1608. Infra Octavam Antiphonæ ad *Benedictus* et ad *Magnificat* dicuntur ut in Festo.

Dominica vero infra eam (V. n.° 98.) intermittitur solemnitas Octavæ, et omnia fiunt ut n.° 1338. notatum est. Si autem dies Octava venerit in Feria IV. Quatuor Temporum, ultimum Evangelium erit: *In principio* (*S. R. C. Sept.* 1865.)

1609. *Die* 10. In Festo Translationis Almæ Domus Lauretanæ. Officium ut in proprio. Intermittitur Memoria Octavæ Immaculatæ Conceptionis. In Hymnis Horarum *Maria mater*, etc. Ad *Nunc dimittis* in utroque Completorio Antiphona *Sub tuum*. In Missa Præfatio: *Et te in Solemnitate.*

1610. *Die* 18. In Festo Expectationis B. M. V. Omnia ut in Festo Annuntiationis, præter propria. Ultima stropha Hymnorum dicitur *Laus, honor*, etc. ut in Dominica I. Adventus. Ad Completorium Antiphonæ propriæ. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui venturus est.* In Missa Præfatio: *Et te in Expectatione.* Et si hoc Festum venerit Feria IV. Quatuor Temporum Adventus, Evangelium ultimum erit: *In principio.* (*S. R. C. ut supra*).

*Die* 21. S. Thomæ, Apostoli. (V. n.° 1341.)

1611. *Die* 26. In Festo S. Stephani, Protomartyris. In II. Vesperis dicuntur Psalmi et Antiphonæ propriæ de secundis Vesperis Nativitatis; cætera vero a Capitulo de Festo. Quod servatur cæteris diebus infra Octavam usque ad I. Vesperas Circumcisionis exclusive.

In Missa, hac die et sequenti, dicitur Sequentia *Lætabundus*, Præfatio ut n.° 410, *Communicantes* ut n.° 424.

1612. *Die* 28. In Festo SS. Innocentium, Martyrum (quod celebratur ritu Festi Simplicis, sed cum tota solemnitate quæ tali Festo competit.) Non dicitur *Te Deum* ad Matutinum, sed resumitur ix. Responsorium. ℟℟. Horarum dicuntur sine *Alleluia*, (excepto ℟. *In manus*). In Missa omittitur *Gloria in excelsis*, et *Alleluia* post Epistolam, in cujus loco dicitur *Laus tua Deus*. Prædicta autem non omittuntur in Festo si fuerit Dominica, nec umquam in die Octava hujus Festi.

## §. II. Festa Januarii.

1613. *Diebus* 2. 3. 4. In Octavis Trium Lectionum S. Stephani, S. Joannis et SS. Innocentium, si Dominica fuerit, fiat Officium ut in Festo præter Lectiones, ut in Breviario. Nil de Dominica. Si autem Dominica non fuerit, ad Matutinum super novem Psalmos ut in die dicitur sola j. Antiphona primi Nocturni, Versiculus autem et tria ℟℟. ex tertio Nocturno, tres Lectiones signatæ cum * et *Te Deum*. In Laudibus prima Antiphona Laudum super omnes Psalmos; Preces dicantur in Prima et Completorio, et ℟℟. Horarum cum *Alleluia*. Officium quotidianum B. M. V. omittitur. In Vesperis dicuntur Psalmi de Communi respective, et super eos sola Antiphona prima Laudum.

1614. Ad Memoriam B. M. V. (de qua n.° 151 *B.*) dicitur in Laudibus Antiphona *Rubum* cum Versiculo *Benedictus*; in Vesperis vero Antiphona *Germinavit* cum Versiculo *Tanquam*; Oratio *Deus qui salutis*. In Missa non dicitur Sequentia *Lætabundus*, nec *Credo*. In die Octava SS. Innocentium tertia, Oratio erit pro Papa. Omnia autem fiant tam in Officio quam in Missa sub ritu ut infra Octavam Simplicem. Prohibentur dici

Missæ votivæ et Defunctorum usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclusive.

1615. *Dominica infra Octavam Epiphaniæ.* Festum Inventionis D. N. J. C. (V. n.° 113. et 161.) Omnia ut in Proprio. In fine Hymnorum dicitur in omnibus Horis de Festo conclusio propria. Nihil fit de Dominica, sed tantum Memoria Octavæ. Ad Completorium Antiphonæ propriæ hujus Festi. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui inventus es.* In Missa Memoria, Præfatio et *Communicantes* de Octava.

1616. *Die* 14. *Januarii.* S. Hilarii Episc. Conf. et Eccles. Doct. I. Vesperæ incipient ab Antiphona, nisi dies Octava Epiphaniæ Dominica fuerit, in quo casu erunt a Capitulo (V. n.° 139.). Ad Completorium sequens omnia fiant ut infra Octavam Epiphaniæ. Missa *In medio. Credo.*

1617. *Die* 15. SS. Nominis Jesu. Officium proprium. In fine Hymnorum Completorii et Horarum dicitur : *Gloria tibi, Domine, Qui natus es,* et ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es.* In Missa *Credo.* Præfatio : *Quia per incarnati.*

1618. In Festis SS. occurrentibus infra Septuagesimam omittitur *Alleluia* tam in Officio quam in Missa, prout dictum est n.° 1373. *Te Deum* non dicitur in Festis Simplicibus, nec in diebus Octavis Simplicibus et infra; et dicitur Tractus in Missa. (V. n.° 398.) In Festis vero subsequentibus, si transferantur post Cineres, legantur in I. Nocturno Lectiones de Communi respective, nisi proprias habuerint.

## §. III. Festa Februarii.

1619. *Die* 2 *Februarii.* In Purificatione B. M. V. Officium proprium. In I. Vesperis post *Gloria Patri,* in fine ℟. *Gaude,* dicitur statim sine resumptione Prosa *Inviolata,* quæ cantetur ab utroque Choro alternatim (*Ord.*). Ad

Completorium Antiphonæ propriæ hujus Festi, et in Hymnis ejusdem metri duæ ultimæ Strophæ B. M. V. Ad Primam, in ℟. br. ℣. *Qui natus es.*

1620. *Ad Benedictionem candelarum.* « Hac die, finita » Tertia, Prior cum Cappa serica et Diaconus cum » Missali et Subdiaconus cum Libello Processionali, » sericis induti, præcedentibus Acolythis in Albis cum » cereis accensis, ad Altare veniant; et si Dominica » fuerit, Aqua benedicta more solito aspergatur. Fi- » nita aspersione Aquæ, vel si non fuerit aspergenda, » postquam ante Altare venerint, Prior stans ante gra- » dus Presbyterii, verso vultu ad Altare, Diacono co- » ram ipso tenente librum, candelas a Sacrista super » gradus Presbyterii collocatas, ita quod sint ad dexte- » ram benedicentis, benedicat voce mediocri, eo modo » quo dicuntur Orationes ad Horas, præmittendo *Domi-* » *nus vobiscum*, et prosequendo : *Oremus. Omnipotens...*

1621. « Finita Benedictione, aspergat eas Aqua » benedicta. Postmodum Cantor, candelam offerens » Priori, incipiat Antiphonam *Lumen ad revelationem*, » et Conventus ipsam prosequatur et Canticum *Nunc* » *dimittis*, Cantore incipiente singulos Versus, et rein- » cipiente Antiphonam prædictam post singulos Ver » sus, et repetente, prout necesse fuerit, si ipsis com- » pletis nondum fuerint expedita quæ ante inchoa- » tionem Processionis sunt facienda.

« Sacrista vero, postquam Cantor Priori cande- » lam obtulerit, primo candelas Ministris destribuat, » deinde Fratribus, incipiens in dextro Choro a Su- » perioribus; et alius Frater cui ipse innuerit, in si- » nistro; postmodum Fratribus Conversis.

« Dum candelæ distribuuntur, qui delaturi sunt » Crucem et Aquam benedictam, accipiant quæ ad » eos pertinent.

1622. *Ad Processionem.* « Candelis vero distributis, » et terminatis quæ cantanda sunt, incipientibus Can-

» toribus Antiphonam *Ave, gratia plena*, egrediatur » Processio secundum ordinem et ritum qui infra » n.° 1722. notatus est, et cantentur sequentes » Antiphonæ :

« Ad primam Stationem in prima parte Claustri : » *Ave gratia* ;

« Ad secundam in tertia parte Claustri : *Adorna;*

« Ad tertiam in quarta parte Claustri : *Responsum;*

« Ad introitum Ecclesiæ vel Chori : *Hodie.*

« Deinde Versiculus *Post partum*, etc. et Oratio » *Erudi.* » (*Process.*)

1623. « Facta Processione, Prior et Ministri in » Sacristiam revertantur, et deposita Cappa assum» ptaque a Priore Casula, et Missa inchoata a » Choro, cum candelis accensis in manibus, proce» dant more solito ad Altare. Fratres vero in Choro » etiam teneant candelas accensas in manibus, quous» que fuerint offerendæ. (*Miss.*)

Ante Septuagesimam dicitur Sequentia *Lætabundus*, cujus loco, infra Septuagesimam, dicitur Tractus *Gaude.*

1624. « Post Offertorium Prior candelam suam red» dit Sacristæ, postmodum Diaconus et Ministri alii. » (1) Deinde cæteri Fratres, incipientes a majoribus » suas candelas offerant, Sacrista eas de manu offe» rentium accipiente. Dum autem Fratres candelas » offerunt, manum Prioris osculantur. Finita obla» tione, Prior ad Altare se vertens, thurificet illud more » solito et digitos lavet. » (*Miss.*)

---

(1) Hoc autem fiat a singulis successive, prout innuit Rubrica Missalis, et clarius Ordinarium. Prior, juxta usum et Cæremoniale, stare debet in medio Altaris, Ministris hinc et inde stantibus. Sacristæ vero tradenda est candela ab omnibus, prout expresse jubet Rubrica Missalis : « Sacrista eas *de manu offerentium* accipiente. »

Præfatio *Quia per incarnati*, ut in Nativitate D. N. J. C.

1625. *Die* 11. In Desponsatione B. M. V. Officium prout notatur in Nativitate ejusdem B. M. cum nomine *Desponsationis*. Lectiones II. Nocturni et de Homilia propriæ. ix ℟. *Felix*. Fit Memoria S. Joseph in utrisque Vesperis et Laudibus cum Antiphonis, Versiculis et Oratione ex Festo ejusdem. (1) Missa ut in die 5 Augusti cum Evangelio proprio. Infra Septuagesimam Tractus *Gaude*. Præfatio. *Et te in Desponsatione*.

1626. *Die* 13. S. Catharinæ de Ricciis, Virg. Ord. Præd. Si aliquando evenerit fieri Officium de infra Octavam ejusdem, Lectio tertia erit una ex propriis Festi, incipiendo a quarta.

*Die* 17. S. Pauli a Cruce, Conf. Missa propria, servata temporum varietate, prout ibidem notatur.

*Die* 23. Vigilia S. Mathiæ: (V. n.° 294.) nil de ea.

*Die* 24. S. Mathiæ, Apost., in anno vero bissextili die 25.

*Die* 25. B. Constantii, Conf. Ord. Præd., in anno bissextili die 26. (V. n.° 61.)

*Die* 28. B. Villanæ, Vid. Ord. Præd. (V. n.° 294.)

## §. IV. Festa Dominicæ Passionis et alia mobilia infra Septuagesimam.

1627. *Feria III. post Septuagesimam*. Oratio D. N. J. C. (V. n.° 114). Omnia propria prout habentur in Breviario. In II. Vesperis super Psalmos j. Antiphona Laudum (2). In Missa dicitur *Credo*, Præfatio de Cruce.

---

(1) De hac Memoria nihil habetur in Breviario, præterquam in Calendario. Juxta Ritum Romanum, ex quo Festum Desponsationis depromptum est, sic debet fieri.

(2) In recentiori editione Breviarii Mechlin. MDCCCLXV. perperam notatur quinta Laudum.

1628. *Feria III. post Sexagesimam.* In Solemni Commemoratione Dominicæ Passionis. In I. Vesperis Psalmi proprii ut in Feria V. in Cœna Domini. Ad Completorium et per Horas diei in fine Hymnorum dicitur stropha *Sit laus Patri*, etc. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui pro nobis pati dignatus es.* In II. Vesperis omnia ut in primis, præter Antiphonam super Psalmos, quæ est j. Laudum, et Antiphonam ad *Magnificat.* In Missa ut supra n.° præcedenti.

*Feria V. post Quinquagesimam.* Translatio S. Catharinæ Senensis, Virg. Ord. Præd. (V. n.° 115.) Officium proprium, et Missa propria, in qua dicitur *Credo* (1).

1629. *Feria VI. post Dominicam I. Quadragesimæ.* De Lancea et Clavis D. N. J. C.

*Feria VI. post Dominicam II. Quadragesimæ.* Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. (2)

*Feria VI. post Dominicam III. Quadragesimæ.* De Quinque Vulneribus D. N. J. C. In primis Vesperis Psalmi proprii; in secundis vero omnia ut in primis præter Antiphonam ad *Magnificat.*

*Feria VI. post Dominicam IV. Quadragesimæ.* Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (V. n.° 748. 770.) Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui tuo nos.*

In istis quatuor Feriis in Missa dicitur *Credo* et Præfatio de Cruce.

1630. *Feria VI. post Dominicam Passionis.* (V. n.° 116.) In Compassione B. M. V. Officium proprium. In I. Vesperis Psalmi ut Feria V. in Cœna Domini. Duæ strophæ *Pii Mariæ*, etc., *Sit summa*, etc., dicuntur in fine omnium Hymnorum. In Completorio Antiphonæ

---

(1) In Postcommunione *Sumptis, Domine*, addenda est particula *divinæ gratiæ*, quæ omissa fuit in folio Romæ recenter impresso.

(2) In Hymno Laudum infra Octav. Annuntiationis non addantur ultimæ strophæ *Maria Mater*, cum non sit ejusdem metri.

propriæ Festi. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui passus es*... In II. Vesperis super Psalmos eadem Antiphona ac in primis (1) ; cætera ut in primis, præter Antiphonam ad *Magnificat*. Infra Octavam Annuntiationis omnia dicuntur de Compassione, nihil fit de Octava.

Ad Missam post Tractum dicitur Sequentia *Stabat*, et Præfatio : *Et te in Compassione*. Offertorium *Recordare* non pulsetur in Organis. (V. n.° 586.)

## §. V. Festa Martii.

1631. *Die* 7 *Martii*. S. Thomæ Aquinatis, Conf. et Ecclesiæ Doct. Ord. Præd. Omnia ut in Proprio.

« Infra Octavam perpetuo servetur sequens Rubri» ca. Quotiescumque de Octava agitur, in Matutinis » duæ primæ Lectiones erunt de Homilia Feriæ,et ter» tia de Octava. Missa vero Conventualis dicetur de » Feria. In Dominica infra Octavam solum fiat Me» moria S. Thomæ, ita ut Officium Dominicæ incipiat » in Sabbato præcedenti a Capitulo, et tunc dicitur » Officium quotidianum B. M. V. ad Vesperas et Com» pletorium, et dicuntur Preces.

« Si Feria IV. Cinerum venerit infra Octavam, de » ea(Feria nimirum) fiet Officium usque ad Nonam cum » Memoria S. Thomæ et Officio quotidiano B. M. V., » et terminatur in Nona.

« Quando in Feria II. celebretur dies Octava, in pri» mis Vesperis Psalmi et Antiphonæ erunt de Dominica, » et Officium incipiet a Capitulo. Si autem occurrat in » Sabbato, secundæ Vesperæ erunt de Octava cum

(1) Ita Collectarium et antiqua Breviaria. In Breviario moderno loco Añæ lege : Antiphona. Corrige pariter in Antiphonario ubi indicatur Antiphona j. Laudum super Psalmos. Item in Antiphona ad *Magnificat* in j. Vesperis supple verba propria, videlicet : *Compassionem pio animo recolamus...... ad Filium crucifixum.*

» Memoria Dominicæ, et non dicetur Officium quotidia-
» num B. M. V. » (*Brev. Rub. Gen.*) (V. n°. 263.)
Missa de Octava ut in die, excepto *Credo*.

1632. *Die* 19. S. Joseph, Sponsi B. M. V. « Si hoc Fe-
» stum transferatur Tempore Paschali, in Nocturno
» dicuntur tres Antiphonæ cum suis Psalmis, et
» Versiculus I. Noct., Lectiones signatæ per * cum
» tribus Responsoriis III. Noct. (V. n.° 1540. et seq.)

« Per Octavam Invitatorium et reliqua ut in die; (V.
» n°. 636.) Lectio iij. una ex propriis Festi per ordinem.

« In die Octava omnia ut in Festo, exceptis Lectio-
» nibus II. Noct., quæ sumuntur ex Festo Patrocinii
» S. Joseph 28. Aprilis. (V. n°. 263.) Tempore Paschali,
» Lectiones erunt j. de Festo, ij. et iij. erunt supradictæ
» II. Noct. divisæ per * » (*Brev.*)

1633. *Die* 24. S. Gabrielis, Archangeli. Officium proprium. Tempore Paschali, in Nocturno fiat prout supra notatur in Festo S. Joseph. In Missa *Credo*.

Hac die, in Vigilia Annuntiationis B. M. V. habetur Capitulum solemne ut in Vigilia Nativitatis Domini, n.° 1346. Et quando pronuntiatum fuerit in Martyrologio : *Annuntiatio B. M. V.* (1), fit venia ab omnibus (V. n.° 792.), etiamsi Festum transferatur. Si vero transferatur ad Feriam II. post Octavam Paschæ, tunc prædicta Lectio Martyrologii cum solemnitate pridie hujus diei erit transferenda (V. n.° 293).

1634. *Die* 25. Annuntiatio B. M. V. Officium prout in Proprio. In fine Hymnorum ejusdem metri dicuntur duæ ultimæ strophæ B. M. V. (V. 194.) et in Completorio Antiphonæ propriæ Festi, et ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es* per totam Octavam, etiam in Festis Sanctorum.

---

(1) Hæc verba ex antiquo usu pronuntianda sunt altiori voce, prout fieri solet in Vigilia Nativitatis Domini. (*Joannes de Palentia, Annot. in Ord.*)

Per Octavam omnia fiant respective ut supra n.° 1631. (V. n.° 98.)

Tempore Paschali in Nocturno dicuntur tres Antiphonæ cum suis Psalmis et Versiculo I. Noct. Lectiones signatæ per * ; et tria Responsoria erunt ij. iij. et ix. in ordine; eademque dicantur in die Octava, (1) qua die Lectiones erunt quæ signantur *. (*Ex Brev.*).

In Missa Præfatio : *Et te in Annuntiatione* per totam Octavam etiam in Festis Sanctorum (V. n.° 417. 419.), non autem in Missis Ferialibus. Tempore Paschali servetur quod supra n.° 1544. Infra Octavam et in die Octava, in Missis de Octava omnia ut in die, excepto *Credo*.

## §. VI. Festa Aprilis.

1635. Cum contingit Festa hujus temporis transferri post Octavam Paschæ, servetur quoad Lectiones Rubrica in Breviario posita in fine cujuslibet Festi.

*Die* 3. *Aprilis*. In Impressione Stigmatum in Corpore S. Catharinæ Senensis, Virg. Ord. Præd. Extra tempus Paschale, omnia fiant ut in Festo Translationis ejusdem, præter Lectiones II. Noct. Tempore vero Paschali omnia fiant ut in principali Festo, præter Lectiones ij. et iij. quæ erunt tres II. Noct. hujus diei bipartitæ per *. Missa propria, servata temporum varietate, et dicitur *Credo*. (*Ex Concess. Apost.*)

1636. *Die* 5. S. Vincentii Ferrerii, Conf. Ord. Præd. Officium proprium. Tempore Paschali servetur quod supra n.° 1540. et in Nocturno fiat ut notatur 1632.

« Per Octavam vero in Nocturno Antiphona super » Psalmos erit una ex iis quæ notantur in Nocturno Fe» sti incipiendo a prima; sicque successive aliæ dicantur. » Tres Psalmi, Versiculus et Responsoria ex notatis » pro Festo secundum ordinem Feriarum. Tres autem

---

(1) Infra Octavam vero eadem videtur sequenda regula ac in aliis Festis, videlicet : quod dicantur secundum ordinem Feriarum.

» Lectiones erunt duæ primæ Feriæ currentis, et tertia » ut in Proprio. Ad *Benedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ infra Octavam. In die Octava omnia ut in Festo, præter Lectiones. Tempore Paschali » prima erit de Scriptura currente, secunda et tertia » notantur cum asteriscis. » (*Brev.*) Missa ut in die excepto *Credo*.

1637. *Die* 20. S. Agnetis de Montepolitiano, Virg. Ord. Præd. Officium proprium.

« Per Octavam in Nocturno Antiphona super Psalmos una ex propriis incipiendo a prima, et cum » opus fuerit, repetantur. Psalmi vero, Versiculus et » Responsoria de Communi per ordinem Feriarum, » ita tamen ut loco iij. Responsorii recitetur unum » ex propriis Festi secundum Ferias.

« Lectiones j. et ij. erunt de Feria currente, tertia » vero ut in Proprio. Ad *Benedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ infra Octavam. Missa ut in die, excepto *Credo*.

1638. « Si hoc Festum celebretur post Trinitatem, » in I. Nocturno Antiphonæ cum suis Psalmis, et Versiculus ut supra T. P.; duæ priores Lectiones de » Communi, tertia propria; ℟℟. de Communi præter iij. quod erit primum proprium.

In II. Noct. omnia de Communi, præter Lectiones quæ erunt duæ propriæ divisæ in tres ubi est signum *, et vj. Responsorium quod erit secundum proprium.

In III. Noct. omnia de Communi, præter Homiliam quæ erit ut in Festo S. Catharinæ Sen., et ix. ℟. quod erit tertium proprium. Finis Hymnorum erit : *Sit Christe Rex*, ut in fine Hymni ad Laudes de Communi unius Virg. et Mart.

Idem servetur post Trinitatem in die Octava, præter Lectiones, quæ ordinantur ut infra n. 1644, 1645.

1639. *Die* 23. In Festo S. Georgii, Mart. Lectio prima et secunda de Feria, tertia de Sancto.

*Die* 24. SS. Coronæ Domini. (V. n.° 118.)

*Die* 26. BB. Dominici et Gregorii, Conf. Ord. Præd. « In Officio omnia de Communi unius Confessoris Tempore Paschali. Ad Vesperas Versiculus *Lætamini*. In Noct. Lectio j. de Scriptura currente.

Si extra Tempus Paschale transferatur, omnia fiant prout in Communi unius Confessoris, mutato singulari in plurale. In I. Noct. Lect. *Beatus vir* de Communi.

In II. Noct. Lectio iv. ut in Proprio, Lectio v. et vj. de Communi plurimorum Martyrum iv. et v. *Qui sanctorum*, etc.

In III. Noct. Homilia *Respondens* de Communi.

Ad *Magnificat* et *Benedictus* Antiphonæ et Versiculi de pluribus Confessoribus. (*Brev.*). Missa *Justus*.

1640. *Die* 28. Patrocinii S. Joseph (V. n.° 136.) (1)

« Tempore Paschali in Nocturno tres primæ Anti-
» phonæ cum suis Psalmis, Versiculus juxta ordinem
» Feriarum. Lectiones j. de Genesi : *Joseph igitur* si-
» gnata *, secunda et tertia erunt tres II. Noct. bi-
» partitæ per *, et tria ultima Responsoria. » (*Brev.*)

1641. *Die* 29. S. Petri, Mart. Ord. Præd. In Hymnis Vesperarum, Matutini et Laudum dicuntur duæ Strophæ prout in Proprio; in Horis vero more solito.
« Si contingat de die Octava S. Petri fieri Officium
» (ut contingere potest quando ipsius Festum propria
» die non celebratur), Lectiones erunt duæ primæ de
» Scriptura Feriæ currentis, et pro tertia repetatur
» quæ est tertia pro die Festi; reliqua vero sumantur
» prout in die. » (*Brev.*) Missa ut in die, excepto
» *Credo*.

« Similiter si aliquando contingat hoc Festum trans-
» ferri post Trinitatem, omnia fiant ut notatur in Fe-

(1) Vide Officium correctum in recentiori editione Mechlin. 1865.

» sto Translationis ejusdem, die 4 Junii, assumendo » pro II. Noct. Lectiones hujus diei divisas in tres » per asteriscos. » (*Brev.*) (V. n°. 1653).

1642. *Die* 30. S. Catharinæ Senensis, Virg. Ord. Præd. (1). Omnia prout jacent in Proprio.

Extra Tempus Paschale Antiphonæ, Versiculi, Responsoria Nocturnorum ut in Festo Translationis ejusdem dicuntur.

Per Octavam, si hoc Festum proprio die non celebretur, servetur ordo præscriptus quoad Antiphonam, Psalmos, Versiculum et Responsoria Nocturni per Octavam S. Vincentii, n.° 1636. Lectio iij. erit una ex propriis diei Festi per ordinem, prout sunt divisæ per asteriscos. Missa propria, servata temporum varietate ; eademque dicitur per Octavam, excepto *Credo.*

## §. VII. Festa Maii.

1643. *Die* 5. *Maii.* S. Pii V. Papæ et Conf. Ord. Præd. Die proprio omnia prout jacent ibidem.

Extra Tempus Paschale, loco duarum stropharum de Tempore dicitur : *Deo Patri*, et ordinatur Matutinum ut supra in Festo S. Agnetis n ° 1638. respective.

Per Octavam Invitatorium et reliqua ut in die. Lectio iij. una ex propriis Festi. Ad *Benedictus* et ad *Magnificat* infra Octavam Antiphonæ propriæ. (*Brev.*) Missa *Statuit* ut in Proprio, servata temporum varietate ; eademque dicitur per Octavam excepto *Credo.*

1644. *Die* 7. Octava S. Catharinæ Sen. Omnia ut in

---

(1) Officium hujus diei (præter recenter adjuncta) editum est a Pio II. Summo Pontifice, exceptis Lectionibus ex S. R. C. Decreto die XVI. Februarii MDCXXX. appositis : in quarum secunda quæ ad stigmata spectant ex S. Antonino descripta sunt ; quæ vero in tertia ab Urbano VIII. Summo Pontifice, proprio calamo descripta et auctoritate firmata. (*Brev.*)

Festo fiant præter Lectiones, quæ Tempore Paschali erunt, prima de Scriptura currente, secunda et tertia tres II. Nocturni diei Octavæ extra Tempus Paschale bipartitæ ad verbum « *non sanctum excidit.* » Et si legenda fuerit Homilia Dominicæ, duæ priores erunt de Homilia, tertia una ex propriis. Extra Tempus Paschale Lectiones I. Noct. erunt de Scriptura, II. Noct, propriæ, III. Noct. de Homilia Dominicæ, et si fuerit lecta, de Homilia Festi.

1645. *Die* 10. S. Antonini, Archiepisc. Conf. Ord. Præd. Officium proprium. Post Trinitatem idem ordo servetur ac supra in Festo S. Pii V. respective. In die Octava Lectio iij. ut in Proprio ; et post Trinitatem in II. Noct. iv. et v. Lectio ex propositis pro diebus infra Octavam , quæ lectæ non fuerunt ; vj. vero eadem quæ supra. (*Brev.*) Missa ut in die, excepto *Credo.*

1646. *Die* 22. S. Servatii, Episc, et Conf. Missa *Statuit.* Tempore Paschali I. *Alleluia,* ℣. *Posui*, etc.; II. *Alleluia.* ℣. *Angelus.* Tempore Ascensionis ℣. *Ascendens.* Post Trinitatem ℟. *Inveni ; Alleluia, Allel.* ℣. *Posui.* Evangelium proprium ut in Festo S. Athanasii die 2. Maii.

1647. *Die* 24. B M. V. titulo Auxilium Christianorum. Omnia ut in Festo SS Nominis Mariæ (et sub eodem ritu) præter propria.

« Tempore Paschali tres primæ Antiphonæ cum suis » Psalmis et Versiculo I. Noct. Prima Lectio ut in eo- » dem Festo, secunda vero et tertia erunt quarta et » sexta II. Noct. hujus diei. Responsoria III. Noctur- » ni. » (*Rubr. propr.*)

In fine Hymnorum Horarum, post *Quæsumus auctor,* etc. vel *Tu esto,* etc., dicatur : *Maria, mater... Gloria* etc. (V. n.° 194.) In Completorio vero Antiphonæ ut in Festo SS. Nominis Mariæ.

Missa propria, servata temporum varietate. Ad verba

*Salve, sancta Parens*, Fratres in Choro utrumque genu flectunt. (V. n.° 775.) Præfatio :] *Et te in Solemnitate.*

1648. *Die* 25. Translatio S. P. N. Dominici. Omnia ut in principali Festo ejusdem, præter sequentia : In I. Vesperis. Antiphona ad *Magnificat : Magne Pater.* Lectiones propriæ; in Laudibus et ad Primam j. Antiphona *Pie Pater.*

Tempore Paschali in fine Hymnorum propriorum additur penultima stropha pro Tempore, ultima non mutatur. Ad Matutinum tres primæ Antiphonæ cum suis Psalmis et Versiculo I. Nocturni, ℟℟. III. Noct. Post Trinitatem Matutinum dicatur ut in Festo principali præter Lectiones I. et II. Noct. cætera ut supra ; in fine Hymnorum nihil additur. Fit Memoria in I. Vesperis, Laudibus et Missa S. Magdalenæ de Pazzis, et similiter de S. Urbano, Papa et Mart. nisi fuerit infra Octavas Ascensionis et Trinitatis.

Ad Missam omnia ut in Missa votiva ejusdem, servata temporum varietate. Sequentia *Laudes ergo. Credo.*

## §. VIII. Festa Junii.

1649. *Feria VI. post Octavam SS. Corporis Christi.* SS. Cordis Jesu. Ad Vesperas omnia de die Octava SS. Corporis Christi sine ulla Memoria. Si tamen contingat hoc Festum habere I. Vesperas (V. n.° 133. *P.*) tunc dicuntur Psalmi *Laudate pueri* cum cæteris. Antiphona super eos j. Laudum, Capitulum ut in Laudibus, ℟. ix. *Magnus ;* Hymnus ut in Matutinis, Versiculus et Antiphona ad *Magnificat* propria. (*Brev.*) Non fit Memoria Corporis Christi : Ad Completorium tamen omnia fiant prout infra Octavam.

Ad Primam, in ℟. br. ℣. *Per quem salvati*, etc. In II.

Vesperis Psalmi et Versiculus post Hymnum proprii.

In Missa propria dicitur *Credo*. Præfatio : *Quia per incarnati*.

1650. *Dominica I. post Octavam Trinitatis*. In Festo Purissimi Cordis B. M. V. De cujus concurrentia V. n.° 119; et quoad concomitantiam V. 134. *L*. Officium proprium. Psalmi, Hymni, et duæ ultimæ strophæ illorum, et in Completorio Antiphona ut notatur in Nativitate B. M. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es*, etc.

In Missa propria Præfatio B. M. V.: *Et te in Solemnitate*.

1651. *Die 1. Junii*. In Festo BB. Alphonsi Navarrete et Sociorum, Martyrum Ord. Præd. In utrisque Vesperis et ante Laudes Versiculus : *Ora pro nobis Beate Alphonse, cum sociis tuis*. (1) Missa *Intret* ut in Festo SS. Basilidis et Soc. die 12. Junii, cum Oratione, Secreta et Postcommunione propriis.

Tempore Paschali Lectiones ij. et iij. erunt iv. et vj. quinta prætermissa. Evangelium in *Pretiosa : Ego sum vitis ;* Missa *Sancti tui* cum Orationibus ut supra.

1652. *Die* 2. In Festo BB. Sadoc, et Sociorum, Martyrum Ord. Præd. In utrisque Vesperis et ante Laudes Versiculus : *Ora pro nobis, Beate Sadoc, cum sociis tuis*. Ad Memoriam SS. Marcellini et Petri in I. Vesperis Antiphona : *Hi sunt*. Post Trinitatem Lectiones I. Noct. de Communi, II. Noct. tres propriæ, III. Noct. de Homilia super Evangelium : *Cum audieritis*. Missa, *Intret*, cum Orationibus propriis, ut supra.

Tempore Paschali Lectio j. *Et apertum* ut in Feria VI.

---

(1) Cum ita fiat (nisi aliter notetur) in cæteris Festis Beatorum et Sanctorum Ordinis nostri, quamvis nihil expresse statuatur in Rubricis, videtur et in hoc casu sequenda eadem regula generalis.

infra hebdomadam Dominicæ I. P. O. P. Lectiones ij. et iij. erunt iv. et v. ut extra tempus Paschale. *In Pretiosa* Evangelium : *Ego sum vitis*. Missa *Sancti tui*, cum Orationibus ut supra.

1653. *Die* 4. Translatio S. Petri, Mart., Ord. Præd. Tempore Paschali, omnia ut in ejus Festo, die 29. Aprilis, præter ij. et iij. Lectionem. Missa ut in Proprio.

Post Trinitatem, ultima stropha Hymnorum ad Vesperas Matutinum et Laudes : *Laus et perennis*, ut in Communi unius Martyris ; Antiphonæ et Responsoria ordinantur ad Matutinum ut in Festo S. Agnetis n.° 1638. Homilia propria in Evangelium : *Si quis*. Missa ut supra, omissis *Alleluia* in Officio, post Offertorium et Communionem; et dicitur post Epistolam ℟. *Posuisti* et *Alleluia* ℣. *Felix*.

1654. *Die* 8. In Festo S. Angelæ Mericiæ, Virg. (In perpetuum assignatum Auctoritate Apostolica). In I. Vesperis et Laudibus Memoria S. Medardi, Episc. et Confessoris.

1655. *Die* 23. Vigilia S. Joannis Baptistæ. Homilia et Missa propria. (V. n.° 350.) In Vesperis tantum Oratio Vigiliæ.

*Die* 24. In Nativitate S. Joannis Baptistæ. Quæ non sunt propria, Psalmi videlicet et ℣℟. Horarum, desumuntur ex Communi unius Martyris. « In » Missa non dicatur *Credo* nisi in Ecclesia propria, » vel nisi venerit in Dominica aut infra Octavam » Corporis Christi. » (*Miss.*) Infra Octavam ad *Be-* » *nedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ. (V. n.° 157.)

1656. *Die* 28. In Vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli. Homilia et Missa propria. (V. n.° 350.) In Vesperis tantum Oratio Vigiliæ ; Versiculus. *Tu es Petrus* hac die tantum dicitur post Hymnum.

*Die* 29. In Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Officium et Missa hujus diei (præter Orationem et Hymnum) usque ad Capitulum in II. Vesperis de S. Petro, prout in Proprio.

In Missa *Credo*, Præfatio de Apostolis dicitur per totam Octavam, nisi aliter notetur.

In II. Vesperis, Capitulum et Versiculus de Communi, cætera utrique Apostolo propria; nihil aliud de sequenti.

1657. *Die* 30. In Commemoratione S. Pauli, Apostoli. « Si contingat hoc Festum habere I. Vesperas, super Psalmos Antiphona *Ego plantavi*, prima Laudum, et sola dicitur; Capitulum *Magnificabitur*, ut in Laudibus; ℟. ix. *Sancte Paule;* Hymnus ut ad Matutinum; Versiculus proprius *Tu es vas*, etc., et ad *Magnificat* Antiphona quinta Laudum, cum Oratione Festi. (*Brev.*)

« Quod si contingat hoc Festum celebrari immediate post Festum Visitationis B. Mariæ, vel post aliud habens secundas Vesperas integras, fiat de illo Memoria per Antiphonam Versiculum et Orationem designatam pro primis Vesperis.

« Si tamen infra Octavam Apostolorum Festum hoc vel habuerit primas Vesperas, vel fieri de illo Memoria de S. Petro per Antiphonam Versiculum et Orationem ut in Laudibus.

« In Missa dicitur *Credo* et Præfatio Apostolorum. »

In II. Vesperis super Psalmos j. Antiphona Laudum, cætera ut in II. Vesperis S. Petri, præter Antiphonam ad *Magnificat : Isti sunt duæ.* (*Ibid.*)

« Si contingat hoc Festum transferri extra Octavam Apostolorum, tunc nihil fiet de S. Petro, et in II. Vesperis dicentur Psalmi de Communi. Reliqua, excepto ℟. ut supra pro primis Vesperis notatum est. » (*Brev.*)

## §. IX. Festa Julii.

1658. *Die* 2. *Julii*. In Visitatione B. M. V. Officium, præter propria Capitula, novem Lectiones, ix. ℟. et Orationem, prout notatur in Nativitate B. M. V. cum nomine *Visitationis*. Ad Memoriam Octavæ diei S. Joannis Baptistæ Antiphona propria : *Et factum est*. In j. Responsorio dicitur : *Hodie visitavit Elisabeth Beata Virgo*; ix. ℟. *Felix*. Missa ut in Proprio hujus diei ; Præfatio. *Et te in Visitatione*. Infra Octavam, cum fit de ea, idem servetur ac supra, sub ritu Octavæ.

1659. *Diebus* 4. et 5. Infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli. Omnia desumantur ex Communi Apostolorum, præter Hymnum, (qui dividitur in Matutinis et Laudibus prout in Festo) Lectionem iij. Antiphonas ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, et Orationem, quæ dicitur ut in Festo. (1).

Dominica infra eamdem Octavam fit Officium de Communi, præter novem Lectiones et ea quæ supra. Homilia Dominicæ currentis. Missa ab omnibus dicitur de Dominica cum Memoria Octavæ Apostolorum primo loco.

1660. *Die* 6. In die Octava SS. Apostolorum. Omnia pariter ex Communi desumuntur ; exceptis quæ supra. Oratio propria *Deus cujus dextera* in I. Vesperis et deinceps. Lectiones II. Noct. propriæ. Homilia propria. Antiphona ad Magnificat : *Isti sunt*.

Missa propria in qua dicitur *Credo*.

1661. *Die* 17. S. Alexii, Confessoris. Tres Lectiones.
» Ubi celebratur hoc Festum sub ritu Duplici Lectio-
» nes I. Noct. erunt *Beatus vir* de Communi. Pro II.
» Noct. duæ propriæ, tertia de Sermone : *Beati* ut in

(1) Quoad Missam de infra Octavam, nil usque nunc statuitur in Rubricis.

» eodem Communi. In III. Noct. Homilia in Evange-
» lium *Ecce nos*, ut in Communi Abbatis. » (*Brev.*)

1662. *Die* 18. In Commemoratione B. V. de Monte Carmelo. Officium, præter propria, prout notatur in Nativitate B. M. V. cum nomine *Solemnitatis*. Oratio et Lectiones II. Noct. propriæ. In j. ℟. dicitur *Hodie Solemnitas est Beatæ Virginis*... Homilia in Evangelium *Loquente Jesu*. ix ℟. *Felix*. Missa ut in die 5 Augusti cum Oratione diei.

1663. *Die* 22. S. Mariæ Magdalenæ. Officium proprium, præter Psalmos et ℟℟. Horarum, quæ ex Communi Virginum desumuntur. Ad Nonam Versiculus *Dimissa sunt ei*, etc. In Missa dicitur *Credo*.

## §. X. Festa Augusti.

1664. *Die* 4. *Augusti*. In Festo S. Dominici, Confessoris, Patris nostri. Officium et Missa ut in Proprio. Ubi consuevit, finita Tertia, fiat solemnis Processio per Claustrum prout notatur n.° 1722. et cantentur sequentia: 1.° ℟.° *Mundum*; 2.° ℟. *Verbum*; 3.° *O spem miram*; 4.° ad introitum Ecclesiæ Antiphona *O lumen*, Versiculus *Ora pro nobis*, etc... et Oratio diei. (*Cærem. et Process.*)

Infra Octavam ad *Benedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ. In die vero Octava omnia ut in die, præter Lectiones, quæ ordinentur ut infra in die Octava Assumptionis. In Missa pariter omnia ut in die, exceptis Sequentia et *Credo*.

1665. *Die* 5. In Festo S. Mariæ ad Nives. Officium prout notatur in Nativitate B. M. V. cum nomine *Solemnitatis*. Lectiones II. Noct. propriæ, Homilia in Evang. *Loquente Jesu*. ix ℟. *Felix*. Strophæ B. M. dicuntur in Hymnis Matutini et Laudum et Horarum tantum. Missa hujus diei communis est pluribus aliis Festivitatibus B. M. V. *Credo* et Præfatio : *Et te in Solemnitate*.

1666. *Die* 6. In Transfiguratione Domini. Omnia ut in Proprio. In fine omnium Hymnorum dicitur ultima Stropha : *Gloria tibi Domine, Qui apparuisti.* Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui apparuisti hodie.* In Missa *Credo*. Præfatio SS. Trinitatis.

1667. *Die* 14. In Vigilia Assumptionis B M. V. Missa propria Vigiliæ. Præfatio : *Et te in veneratione.*

*Die* 15. In Assumptione B. M. V. Omnia prout in Proprio. In I. Vesperis Oratio Vigiliæ, et omittitur Memoria Octavæ S. Laurentii. « Ad Completorium super Psal- » mos Antiphona *Virgo Maria* et ad *Nunc dimittis* An- » tiphona *Sub tuum* dicantur per totam Octavam » etiam in Festis Sanctorum.

« Duæ Strophæ *Maria Mater* et *Gloria tibi Domine* » dicantur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri » per totam Octavam etiam in Festis SS. nisi aliter » notetur, sicut ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es.* » (*Brev.*)

Finita Tertia, fiat Processio prout notatur infra n.° 1722. et seq., et cantentur sequentia: 1.° ℟. *Felix ;* 2.° ℟. *Sicut cedrus ;* 3.° ℟.° *Quæ est ista ;* 4.° ad introitum Ecclesiæ Antiphona *Ibo mihi ;* deinde Versiculus *Exaltata* et Oratio diei. (*Ex Miss. et Process.*)

Missa propria, Præfatio : *Et te in Assumptione* per totam Octavam etiam in Festis SS. (V. n.° 417. 419.)

1668. Infra Octavam ad *Benedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ In die Octava, omnia ut in die Lectiones I. Noct. de Feria; II. Noct. propriæ; III. Noct. Homilia Dominicæ præcedentis, si nondum lecta fuerit; nam si fuerit lecta, legatur Homilia ut in die. (*Ex Brev.*)

In Missa omnia ut in die, excepto *Credo.*

1669. *Die* 16. S. Hyacinthi, Conf. Ord. Præd. Officium proprium. In Hymnis propriis Festi tantum ultima stropha : *Tibi Deus.*

*Die* 19. S. Alphonsi-Mariæ, Episc. et Confess. (V. n.° 185.) (1)

*Die* 24. S. Bartholomæi, Apostoli. (V. n.° 62.)

*Die* 25. S. Ludovici,Regis et Confessoris (V. ibid.) (2)

*Die* 26. S. Philippi, Confessoris. (V. ibid.)

*Die* 27. S. Josephi Calasanctii, Confessoris. (V. ibid.)

1670. *Die* 28. Augustini, Episc. et Conf. et Ecclesiæ Doctoris. Officium proprium.

Infra Octavam, ad *Benedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ. Dominica infra Octavam omnia ut in die, præter Lectiones,quæ in I. Noct. erunt de Apostolo Dominicæ currentis ; in II. Noct. propriæ ; in III. Noct. de Homilia ejusdem Dominicæ. Missa ab omnibus Dominicæ cum Memoria Octavæ. In die Octava, omnia ut in die, præter Lectiones quæ ordinantur ut n°. 1668. Missa ut in die, excepto *Credo.*

1671. *Die* 30. S. Rosæ de S. Maria Virg. Limensis Ord. Præd. Officium proprium.

Infra Octavam ad *Benedictus* et ad *Magnificat* Antiphonæ propriæ. In die Octava omnia ut in die et Lectiones disponuntur ut n°. 1668. Missa ut in die, excepto *Credo.*

## §. XI. Festa Septembris.

1672. *Die* 1. *Septembris.* In Festo Philumenæ, Virg. et Mart. (V. n.° 62.) Memoria S. Ægidii, Abbatis. (3) Missa *Me expectaverunt*, cum Evangelio Missæ præcedentis.

---

(1) In Responsorio Missæ, lege : *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo,* etc.

(2) Conclusio Orationis est : *Qui tecum vivit et regnat in unitate...* ut in Missali, et ex Decret. S. R. C. et sic corrigantur Breviarium et Collectarium.

(3) Si Festum S. Philumenæ celebratur die 24. Augusti, Memoria S. Ægidii Abbatis nihilominus pertinet ad diem 1. Septembris.

1673. *Die* 8. In Nativitate B. Mariæ Virginis. Officium hujus diei (præter aliqua propria) nempe : Antiphonæ, Capitula, Hymni, Psalmi, Versiculi, Lectiones I. Noct. Responsoria Matutini et Horarum, Oratio, commune est pluribus aliis Festivitatibus B. M. V. mutato nomine proprio Festi, introductisque Lectionibus aliquibusve variationibus propriis de quibus in suis locis. In fine Hymnorum ejusdem metri duæ ultimæ Strophæ : *Maria mater,... Gloria tibi Domine...*, et in utroque Completorio Antiphonæ super Psalmos *Virgo Maria*, et ad *Nunc dimittis* Antiphona *Corde*. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es.* Missa diei. Præfatio : *Et te in Nativitate.* Infra Octavam, cum fit de ea, idem servetur sub ritu Octavæ. Missa ut in die, excepto *Credo.*

1674. *Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.* In Festo SS. Nominis B. M. V. (V. n.° 130. et 161.) Psalmi, Hymni et ℟℟. Horarum ut supra in Festo Nativitatis ; cætera propria. « Hac die, in utrisque Vesperis et Laudibus, non fit Memoria de Octava Nativitatis. » (*Brev.*) Ad *Nunc dimittis* Ant. *Sub tuum.* Missa propria. Præfatio : *Et te in Solemnitate.* « Si vero eadem die Dominica occurrerit » Festum Exaltationis S. Crucis, transferatur Festum » Nominis Mariæ in proximam Feriam non impedi- » tam. » (*Brev.*)

1675. *Die* 14. Exaltatio S. Crucis. Officium totum proprium. Hodie incipit jejunium S. Crucis. (V. n.° 603. et 605.) In Missa, ad illa verba : *In nomine Jesu*, etc. in Epistola, fiat genuflexio ut supra (n.° 775, 836, 838.) *Credo.* Præfatio de S. Cruce : *Qui salutem.*

1676. *Die* 15. In Commemoratione S. P. N. Dominici in Suriano. Assumatur Officium ejusdem ut recitatur die 4. Augusti, præter Antiphonas : ad *Magnificat, Magne Pater* in I. Vesperis, et primam Laudum *Pie Pater*, quæ dicitur etiam ad Primam et in II. Vesperis super Psalmos. Lectio vj. propria.

In Missa omnia ut in Missa votiva ejusdem, Sequentia *Laudes ergo* et dicitur *Credo*.

1677. *Die* 20. Vigilia S. Matthæi. Missa propria. (V. n.° 350.) In Vesperis Oratio Vigiliæ.

1678. *Die* 26. S. Mariæ de Mercede. Officium, ut notatur in Nativitate B. M. V. cum nomine *solemnitatis*, (V. n.° 1673.) præter Orationem et Lectiones II. Noct. Homilia in Evang. *Loquente Jesu* ix. ℟. *Felix* Missa vero ut in die 5. Augusti, cum Oratione diei.

1679. *Die* 29. S. Michaelis Archangeli. Officium totum proprium. « Infra Octavam quando dicitur in » Matutinis Antiphona *Stetit Angelus*, dicatur ℣. » *Ascendit fumus.* » (*Brev.*)

## §. XII. Festa Octobris.

1680. *Dominica* 1. *Octobris*. In Festo SS. Rosarii B. M. V. Officium totum proprium. In Hymnis propriis Festi tantum dicitur ultima stropha : *Sit Trinitati*. In cæteris vero ejusdem metri dicuntur duæ ultimæ Strophæ et in Completorio Antiphonæ solitæ B. M. V. Ad Primam in ℟. br. ℣. *Qui natus es*. Missa ut in Proprio diei. Præfatio : *Et te in Solemnitate* (V. n.° 417.) Et sic per totam Octavam, etiam in Festis SS., nisi aliter notetur. (*Ex Brev. et Miss.*)

Hac die fiat Processio SS. Rosarii (V. n.° 121.) solemniori modo quo poterit. (V. n.° 1731.)

1681. *Die* 4. In Festo S. P. N. Francisci, Conf. Officium et Missa ut in Proprio. (V. n.° 190.) Si propter translationem S. Francisci contigerit fieri Officium ejus infra Octavam, legitur Lectio iij. *Insignis*. Si vero celebretur de Dominica infra ejus Octavam Lectiones II. Noct. erunt iv. *Insignis*, v. *Nuda humus*, vj. *Sociam* ; Lect vero I. et III. Noct. et Missa, prout supra n.° 1670.

In die Octava omnia ut in die præter Lectiones : in I. Noct. de Scriptura occurrente ; in II. Noct. pro-

priæ ; in III. Noct. legitur Homilia Dominicæ currentis. Si vero jam lecta fuerit, dicentur Lectiones propriæ diei Octavæ.

In Missa vero per totam Octavam omittitur Sequentia et *Credo*.

1682. *Die* 10. In Festo S. Ludovici Bertrandi, Conf. Ord. Præd. Infra Octavam SS. Rosarii, in Hymnis propriis tantum, post *Maria Mater*, loco *Gloria*, dicitur Stropha propria.

Infra Octavam ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, Antiphonæ propriæ. In die Octava omnia ut in die, præter Lectiones, quæ disponentur ut supra n°. 1668. Missa ut in die, excepto *Credo*.

1683. *Die* 21. In Festo SS. Ursulæ et Sociarum, Virg. et Mart. Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter propria. In pluribus Antiphonis et ℣℟. mutatur genus, prout ibidem notatur.

*Die* 27. Vigilia SS. Apostolorum Simonis et Judæ. Missa propria. (V. n.° 350,) et in Vesperis Oratio Vigiliæ.

*Die* 30. In Festo SS. Martyrum et aliorum SS. quorum Corpora in Ecclesiis nostri Ordinis asservantur. (V. n.° 441.)

*Die* 31. Vigilia Omnium Sanctorum. Missa propria. (V. n.° 350.)

## §. XIII. Festa Novembris.

1684. *Die* 1. *Novembris.* In Festo Omnium Sanctorum. Officium ut in Proprio. In I. Vesperis Oratio Vigiliæ. Ad Matutinum Lectiones et Responsoria cantantur ut supra n.° 887. dictum est.

« Hac die, finitis Vesperis de omnibus Sanctis statim » incipiantur solemniter Vesperæ Defunctorum :» (*Ord.*)

ad quas deferuntur Cappæ. (1) « Si vero Festum Om- » nium Sanctorum Sabbato venerit, in crastino totum » Officium tam diei quam noctis de Octava erit. Et tunc » eadem die, post Vesperas de Octava, Vesperæ Defun- » ctorum dicantur. » (*Brev.*) Completorium vero semper de Festo vel Octava erit.

1685. *Die* 2. Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. « *Ad Vesperas*, et ad Matutinum et ad Ho- » ras non fiant Prostrationes, et omnia sumantur ex » Officio Mortuorum præter Lectiones. » (*Brev.*) « Ad » Vesperas Matutinum et Laudes pausæ et sessiones » serventur; Antiphonæ imponantur Fratribus a » Cantoribus ex utroque Choro a superioribus inci- » piendo. Antiphonam ad *Magnificat* Prior incipiat, » Cantore ei deferente, similiter Antiphonam ad *Be- » nedictus.* Canticum *Magnificat* duo Cantores inci- » piant. Finita Antiphona post *Magnificat* dicatur » *Pater noster.* Quo finito non pronuncietur *Et ne nos*, » sed Cantor incipiat Psalmum *Lauda anima*, qui di- » citur legendo (et stando) voce mediocri, et per *Re- » quiem* terminetur. Deinde dicat Prior Versiculum » *A porta inferi. Dominus vobiscum*, Orationem *Fide- » lium* : quæ sunt alta voce dicenda a Priore in stallo » suo, et eodem modo quo in Vesperis Oratio dici so- » let. » (*Ord.*) « Hæc sola Oratio dicatur ad Vesperas » et Laudes et ad alias Horas ; nec subjungatur post » Orationem *Dominus vobiscum*, nec *Benedicamus*, sed » tantum *Requiescant in pace.* ℟. *Amen* » (*Brev.*) « et » dicatur ab eo qui dicit Orationem, in ea voce qua » dicta est Oratio, et eodem modo quo dicitur post » Missam. In primis Vesperis et Matutinis sequentibus » non portetur Cappa serica, nec thurificetur » (*Ord.*)

(1) In pluribus antiquis Provinciis viget consuetudo deferendi Cappas a Festo Omnium Sanctorum inclusive, id est a I. Vesperis hujus Festi.

1686. *Ad Matutinum* « non dicitur *Domine labia mea* » neque *Deus in adjutorium*, neque *Venite;* sed dicto » *Pater noster* et *Credo*, postquam signaverint se Fra- » tres signo Crucis, versis vultibus ad Altare (quod et » ad alias Horas erit observandum) statim inchoetur » in I. Noct. Antiphona *Dirige* (*Brev.*) Versiculus *A* » *porta inferi* dicatur a duobus, similiter et cæteri de » Nocturnis » (et cum tono speciali.) « Novem Lectio- » nes propriæ legantur sine Benedictione et sine titulo. » Sed dicto *Pater noster*... ℣. *Et ne nos*... ℟. *Sed libera* » Lector incipiat legere. » (*Brev.*)

« Singula Responsoria cantentur a duobus, etiam » nonum Responsorium cum quinque Versibus. Fi- » nito ultimo Versu reincipiatur a Cantoribus ℟. » *Libera* : quo dicto, statim inchoatur in Laudibus An- » tiphona *Exultabunt.* » (*Ord.*) Reliqua fiunt prout de Vesperis dictum est.

1687. « *Ad Primam* dicto *Pater noster*, et *Credo*, in- » choetur Antiphona *Requiem* ; Psalmi *Deus in nomine* » cum cæteris.» (*Brev.*) « Post singulos Psalmos non » dicatur *Requiem* ; sed in fine omnium cantetur An- » tiphona *Requiem*. Deinde dicatur *Confiteor*. Quo dicto » sequatur Versiculus : *A porta inferi*, etc., *Dominus vo-* » *biscum*, Oratio *Fidelium*. *Requiescant in pace*. ℟. *Amen*. » Hic ordo servetur ad alias Horas diei, nisi quod » *Confiteor* non dicatur. » (*Ord.*) *Pretiosa* more solito dicatur cum Evangelio diei. (*Brev.*)

« Finita Nona, dicatur *Pater noster*, *Salve Regina* cum » Versiculis et Orationibus quæ ordinarie in fine Ho- » rarum dici solent, et sic terminetur hoc Officium. » (*Brev.*)

1688. *Ad Missam*, inchoationes fiunt a Cantoribus ut in Duplicibus. In Responsorio ℣. *In memoria* a duobus cantetur ; Tractus *Absolve* a quatuor binis et binis. In Offertorio Versum *Hostias et preces* Cantores incipiant.

1689. *Ad Processionem.* « In Commemoratione om-
» nium fidelium Defunctorum, in aliquibus Conven-
» tibus, fiunt quatuor tantum Stationes, et in aliquibus
» qui habent plura cœmeteria, plures quam quatuor :
» ideo in Processionario assignantur ix. Stationes cum
» suis Responsoriis, Evangeliis, ℣℣. et Orationibus,
» ut omnibus possit esse communis. Illi ergo qui
» tantum quatuor faciunt Stationes, cantatis tribus
» primis Responsoriis cum suis Evangeliis, ℣℣. et
» Orationibus, aliis prætermissis, ad ultimam Statio-
» nem incipiant : ℟. *Libera me.* Qui autem plures Sta-
» tiones faciunt, superaddant de prædictis Respon-
» soriis cum suis Evangeliis, ℣℣. et Orationibus quot-
» quot fuerint necessaria, ita tamen ut ℟. *Libera me*
» in ultima Statione cantetur. Qui vero plures quam
» novem Stationes faciunt, dicto ℟. *Memento mei,*
» *Deus*, repetant de superioribus Responsoriis, Evan-
» geliis, et ℣℣. et Orationibus, quotquot necesse fue-
» rit, et ad ultimam Stationem incipiant ℟. *Libera*
» *me, Domine.*

1690. « Hora igitur Processionis, Cantoribus inci-
» pientibus ℟. *Credo*, egrediatur Processio ordine con-
» sueto de quo n°.1722 et seq., ultimo Prior cum Cappa
» serica nigra, et Diacono a dextris ejus librum Evan-
» geliorum portante, et Subdiacono a sinistris cum
» libello Processionali.

« Dum autem prædictum ℟. cantatur, fiat prima
» Statio in loco ubi fuerit consuetum in illo Conventu.
» In hac autem et in aliis Stationibus ordinent se
» Fratres et Ministri secundum quod notatum est de
» Processionibus in genere, vel secundum loci op-
» portunitatem.

1691. « Dum prima Statio fit, Frater aliquis cui
» Cantor injunxerit, pulpitum in quo cantanda sunt
» Evangelia, mappa coopertum cum pulvinari collo-
» cet in medio Processionis, per eumdem Fratrem ad

» alias etiam Stationes deferendum, et taliter collo-
» candum, ut Diaconus in eo cantans Evangelium ha-
» beat vultum versum ad Aquilonem; nisi forte can-
» tandum esset in Capitulo ad Austrum sito, quia tunc
» debet habere vultum versum ad Crucifixum Ca-
» pituli.

« Observandum etiam est quod Evangelia et Ora-
» tiones ordinate dicantur, sicut sunt assignata,
» excepto quod si secunda Statio non fiat in cœme-
» terio ubi corpora Fratrum nostri Ordinis sunt se-
» pulta, tam Evangelium *Dixit Martha ad Jesum* quam
» Oratio *Satisfaciat* tunc non dicantur, sed ad ipsum
» locum ubi Fratrum corpora requiescunt, dicenda
» reserventur, et in ipsa secunda Statione aliquod de
» sequentibus Evangeliis cum sua Oratione dicatur
» loco prædicti Evangelii et Orationis.

1692. « Duo Fratres quibus Cantor innuerit, in
» medio Processionis cantent Versum tam primi ℟.
» quam aliorum.

« Dum Versus cantatur, Diaconus Benedictionem
» non petat ad Evangelium legendum, sicut nec pe-
» titur in Missis pro Defunctis, sed absque Benedi-
» ctione accedat ad pulpitum ibidem ad hoc prægara-
» tum; et finita resumptione post Versum, stante
» Subdiacono post eum, præmisso *Dominus vobiscum*
» et *Sequentia sancti Evangelii* (quod etiam fiat in se-
» quentibus Evangeliis), cantet Evangelium.

« Finito Evangelio, Diaconus et Subdiaconus ad
» loca sua revertantur; et Ceroferarii, Cantore eis de-
» ferente, dicant Versiculum eo modo quo notatur;
» et Conventus respondeat; et Prior absque *Dominus*
» *vobiscum*, præmisso Oremus, dicat Orationem.

« Modus hujus Stationis per omnia servetur in om-
» nibus sequentibus Stationibus usque ad ultimam
» exclusive, tam de Responsoriis, Versiculis et Evan-
» geliis quam de Orationibus dicendis.

1693. « Finita Oratione, Cantores incipiant ℟. se-
» quens, et procedatur ad secundam Stationem. Si ibi
» sit sepultura Fratrum, fiat ut supra.
« Ad ultimam Stationem Cantores incipiant ℟. *Li-*
» *bera me*, et procedatur ad ultimam Stationem vel
» ad Chorum, prout Prælatus ordinaverit. ℟. *Libera*
» cantetur cum suis quinque Versibus, et post ulti-
» mum Versum repetitur ℟. Finita repetitione ℟.,
» Cantores incipiant *Kyrie eleison*, et Conventus pro-
» sequatur *Christe*, etc. Post *Kyrie eleison* Prior dicat
» alta voce : *Pater noster*, quod et omnes dicant in
» silentio ; et eo finito, subjungat Prior : *Et ne nos*,
» etc... cum Versiculis et Orationibus. Responso
» *Amen*, Prior et Ministri in Sacristiam vadant.
« Tunc si Statio ista facta non fuerit in Choro, Con-
» ventu accedente ad Chorum, Cantor incipiat Ps.
» *De profundis*, et Fratres ipsum prosequuntur. Quod
» si multum fuerint distantes a Choro, loco Ps. *De*
» *profundis* Cantor incipiat Ps. *Miserere*, eodem modo
» terminando eos per *Requiem*. » (*Process.*)

1694. *Die* 4. Festum S. Caroli, Episc. et Conf., (et similiter Festum S Martini, Ep. et Conf., vel aliqua dies de Octava ejusdem) si inciderit in Dominicam XX. post Oct. Trinitatis, tunc pro Secreta de Sancto dicatur Oratio *Sancti tui* ex Missa unius Conf. Pontificis *Sacerdotes*. (*Miss.*) (1)

1695. *Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum.* Idem ordo servetur ac supra n.° 1670.

*Die* 8. Octava Omnium Sanctorum. Omnia ut in die præter novem Lectiones. Hac die nulla legitur Homilia.

*Die* 9. In Festo Omnium Sanctorum Ordinis Nostri.

---

(1) Si in aliquo ex his Festis dicenda sit Oratio imperata *Deus refugium*, non mutatur Secreta Festorum, sed Secreta imperata in sequentem *pro quacumque tribulatione*. (*S. R. C.*) (V. n.° 1596. (1)).

Officium proprium. (V. Litt. Mag. Ord. n.° XIII). In Missa *Credo*.

1696. *Dominica II. Novembris*. In Festo Patrocinii B. M. V. Officium, præter Orationem et Lectiones II. et III. Noct., ut notatur in Nativitate ejusdem cum nomine *Solemnitatis*. Homilia in Evang. *Loquente Jesu*. ix. ℟. *Felix*. Missa ut in die 5. Augusti cum Oratione diei.

1697. *Die* 11. S. Martini, Episc. et Conf. Officium ut in Proprio (V. n.° 1694.) « Si contingat fieri Officium de infra Octavam S. Martini propter ejus translationem dicitur in Matutinis Invitatorium *Regem Confessorum*, et iij. Lectio propria. Si vero contingat propter illam translationem fieri Officium diei Octavæ, omnia fiant ut in Festo, et Lectiones disponuntur prout supra n.° 1668.) Missa ut in die.

1698. *Die* 21. In Festo Præsentationis B. M. Virginis. Officium, præter Orationem et Lectiones, ut notatur in Nativitate ejusdem, cum nomine *Præsentationis*. Homilia in Evangelium *Loquente Jesu* ix. ℟. *Felix*. Missa ut in die 5. Augusti. Præfatio: *Et te in Præsentatione*.

1699. *Die* 25. In Festo S. Catharinæ, Virg. et Mart. Officium ut in Proprio. In Missa *Credo*. Infra Octavam, ad *Benedictus* et ad *Magnificat* dicuntur Antiphonæ propriæ. In die Octava omnia ut in Festo præter Lectiones, quæ disponuntur n.° 1668. Missa ut in die, excepto *Credo*.

## §. XIV. De Communi Sanctorum.

1700. *In Officio*. In Communi Apostolorum, Evangelistarum et aliorum Sanctorum, omnia respective dicantur prout jacent in Breviario, tam tempore Paschali quam extra, et secundum quod notatum fuerit in Proprio.

1701. Officia de Communi Tempore Paschali hoc modo disponuntur:

Antiphona super Psalmos in I. Vesperis, Capitula, Hymni, Versiculi et Psalmi sicut in alio tempore dicuntur. Responsoria tam in Vesperis quam in Matutinis, alia pro Apostolis et Evangelistis, alia pro uno Martyre vel Confessore, alia vero pro pluribus Martyribus dicuntur de Communi temporis Paschalis.

Invitatorium *Exultent....*, Antiphonæ Laudum et super Cantica, toto prædicto tempore eadem dicuntur in quocumque Communi SS. Virorum. (*Ex Brev.*)

« De Virginibus vero et non Virginibus fiat tam » Officium quam Memoria sicut in alio tempore cum » *Alleluia* », servatis Rubricis generalibus, prout in 1.ª Parte dictum est.

1702. *Missæ* de SS. Apostolis et Evangelistis non in Communi sed in Proprio Missalis reperiuntur.

At « si secundum locorum consuetudinem contin» gat de Sanctis aliquibus celebrari, qui Missam pro» priam non habent, poterunt recitari Missæ ut in » Communi Missarum de Sanctis, » (*Miss.*) juxta eorum qualitatem. Hinc quoties in Proprio aliqua notatur Missa de Communi, ea recitetur, pro temporis varietate, quæ notata fuerit, præter ea quæ in Proprio habentur.

1703. « Missæ unius Martyris non Pontificis dici » possunt pro Martyre Pontifice (addito nomine *Pon*» *tificis*). Et quæ de Martyre Pontifice dicuntur pos» sunt etiam dici de Martyre non Pontifice (substracto » nomine *Pontificis*). » (*Miss.*)

Accidit quod Evangelium vel quid aliud ex altera Missa desumitur, quando sic notatum est in Proprio.

## §. XV. De Festis votivis infra Hebdomadam.

1704. *Diebus Sabbatis.* De Beata Maria V. Officium fit sub ritu trium Lectionum (V. n.ᵒ 77. 94. *b.*) prout in loco proprio. Feria VI. præcedenti, ad Ve-

speras Psalmi et Antiphonæ feriales. Duæ ultimæ strophæ Hymnorum et in Completorio Antiphonæ B.Mariæ.

*Ad Matutinum* novem Psalmi de Communi Virg. et una Antiphona propria; prima et secunda Lectio de Tempore, tertia de his quæ signantur pro unoquoque mense; ℟℣. propria; *Te Deum* semper dicatur, præterquam infra Septuagesimam.

*Ad Laudes* super Psalmos sola Antiphona *Post partum*. *Ad Primam* Antiphona propria, Capitulum *Regi*, in ℟. br. ℣. *Qui natus es*. *Ad Tertiam*, *Sextam* et *Nonam* Antiphonæ propriæ, ℟℟. propria, et Oratio diei ut in Laudibus.

1705. Antiphonæ super Cantica *Magnificat* et *Benedictus*, et Oratio diei dicuntur pro varietate temporum, videlicet: Per Adventum, ad *Magnificat* Antiph. *O Virgo;* ad *Bened.* Ant. *Spiritus;* Oratio, *Deus qui de beatæ.*

— Ab Octava Epiph. usque ad Purificationem, ad *Magnif.* Ant. *O admirabile*, ad *Bened.* Ant *Genuit*; Oratio, *Deus qui salutis.*

— A Purificatione usque ad Adventum (excepto tempore Paschali), ad *Magnif.* Ant. *Alma;* ad *Bened.* Ant. *Ave;* Oratio *Concede nos.*

1706. *Tempore Paschali* fiat Officium eodem modo, excepto quod post Invitatorium, Antiphonas, Versiculos et Responsoria dicatur *Alleluia*, et ℟℣. Horarum similiter cum duplici *Alleluia*, dicantur; et semper dicuntur in Nocturno tantum tres Psalmi de B. Virgine. Ad *Magnif.* Ant. *Regina cœli;* ad *Bened.* Ant. *Beata*, cum Oratione *Concede nos.*

Dicta Nona terminetur Officium.

1707. *Missa* de eadem dicitur, servata pariter temporum varietate ut supra.

« Quando autem propter aliquod impedimentum
» intermittitur Officium B. M. in Sabbato, de ea fa-
» cienda est Memoria ut dicitur in Rubricis Gene-
» ralibus (n.° 149. 159. 167.) in Vesperis et Laudibus,

» per Antiphonas et Orationem supra positas pro di-
» versitate temporum. » (*Ibid.*) Quod et in Missa, quoad ejusdem Memoriam pariter observetur.

1708. *In Feriis III.* De B. Dominico P. N. Officium ex principali Festo desumitur, servato ritu trium Lectionum, ut supra in Officio B. M. V.

Ad *Magnif.* Ant. *Magne Pater. Te Deum* dicitur, nisi infra Septuagesimam. In Laudibus Ant. super Psalmos *Pie Pater;* ad *Bened.* Ant. *Benedictus.* Ad Memoriam de B. P. Francisco Antiphonæ et Versiculus de Communi.

*Tempore Paschali* ordinatur Officium ut supra dicitur in Sabbatis de B. Maria; et similiter ad Memoriam, quando Officium impeditur, dicuntur Antiphonæ ut supra.

*Missa* de eodem ut inter Votivas, servata temporum varietate. Infra Septuagesimam loco Tractus dicitur Versus *Pie Pater*, sine *Alleluia* nec Sequentia.

1709. *In Feriis IV.* De S. Thoma Aquinate Officium fiat de Communi, præter Antiphonas ad *Magnificat : O Thoma*, et ad *Benedictus : Collaudetur*, et Orationem. Eodem modo fiat ac supra in aliis Festis Votivis.

*Missa* ut in Proprio, more votivo ut ibidem notatur, servatis temporum mutationibus.

1710. *In Feriis V.* SS. Corporis Christi. Officium ex principali Festo desumitur, servato ritu et modo ut supra. Ad *Magnif.* Ant. *Memoriam.* ℣. *Panem*, etc. Ad *Bened.* Ant. *Ego sum.* ℣. *Posuit.*

*Missa* ut inter Votivas, servata temporum varietate.

1711. *In II. vel VI. Feriis.* De S. Vincentio Ferrerio. Officium fiat de Communi Confessoris, sicut supra pro S. Thoma in Feria IV. notatum est. Ad *Magnif.* Ant. *Adsit;* ad *Bened.* Ant. *Pervigil;* Oratio Festi (V. n.° 160.). *Missa* prout supra de Festo S. Thomæ dicitur.

# CAPUT SECUNDUM

## DE RUBRICIS PROPRIIS ALIQUARUM FUNCTIONUM PASSIM OCCURRENTIUM,

IN VII. ART. DIVISUM.

ART. I. De Processionibus.
II. De Receptionibus.
III. De Capitulis et Absolutionibus.
IV. De Benedictionibus.
V. De Orationibus et Sacramentis infirmorum.
VI. De Officio in sepultura Defunctorum.
VII. De Officio, Missa, et Processione pro Defunctis.

---

## ARTICULUS I.

## DE PROCESSIONIBUS.

### §. I. De Processionibus in genere.

1712. Cum imminet aliqua Processio facienda, Sacrista provideat « de omnibus ad eam deferendis, » scilicet : de Cruce cum hasta et velo pendente competentis coloris, de Aqua benedicta, candelabris, thuribulo, candelis, Indumentis sacris, Reliquiis aut Imagine secundum objectum Processionis.

1713. « Cantor vero provideat de his quæ legenda » sunt et cantanda, et de Ministris ad quæcumque

» facienda sollicitandis et instruendis, necnon, et as-
» signandis illis qui non fuerint per tabulam assi-
» gnati. Et si visum fuerit expediens, ante Proces-
» sionem cauti reddantur Fratres et instruantur cir-
» ca singula facienda. » « Fratres diligenter prævi-
» deant quæ cantanda fuerint aut dicenda. »

1714. « Providendum est autem, in omni Proces-
» sione publica, quod Fratres omnes sunt in uni-
» formi habitu, videlicet vel in Caputiis vel in Cap-
» pis, secundum exigentiam temporis (V. n.° 570.)
» et Prælati præceptum. » Similiter quod vadant cooperti capite, vel discooperti : discooperti vero in Processione SS.mi Sacramenti, et communiter in Processionibus quæ fiunt intra Ecclesiam.

1715. « Cum incipit Processio, Cantor curam ha-
» beat de combinandis decenter Fratribus : qui com-
» binationem hujusmodi studeant observare, » ad collateralem suum attendentes. « Cum incedunt, vel
» collocant se, in aliqua Statione, non sint nimis pro-
» pinqui, nec nimis distantes, sed mediocriter, ita ut
» inter Fratrem et Fratrem mediet locus unius, ubi
» loci capacitas hoc permittit. (*Process.*)

1716. Fratres regulariter procedant, bini et bini, junioribus præcedentibus, post inferiores Ministros, pari passu, simul inclinantes et simul genuflectentes, quoties illud faciendum erit. Per angustiorem locum transeuntes præcedat junior. (*Cærem. C.*)

1717. « Cantoris est instruere præcedentes in quo
» loco subsistere debeant in qualibet Statione. De
» Stationum quoque loco potest Prælatus aliter or-
» dinare quam notatum sit, de consilio Fratrum di-
» scretorum, sicut ei visum fuerit expedire. (*Process.*)

1718. « Hoc etiam observandum est, quod, in omni
» Processione in qua ab Acolythis portantur cerei,
» portentur in Candelabris. »

1719. « Antiphonæ et Responsoria notata pro in-

» troitu Ecclesiæ incipiantur ab eo qui facit Officium,
» (Cantore ei deferente), vel a Cantore, si ipse minus
» idoneus fuerit ad incipiendum. Ille vel illi qui inci-
» piunt idquod est cantandum in inchoatione Processio-
» nis, quando incipiunt, vultum vertant ad Altare; qui
» vero cantant Versus in Processione vertant vultum
» ad Crucem. Cum vero simul incipiunt aliquid vel
» cantant Cantores vel alii Fratres, debent stare in
» medio Conventus, vel Processionis. »

1720. « Ubi paucitas Fratrum fuerit notabilis potest
» minui de solemnitate notata in Processionibus et in
» aliis, vel ex toto dimitti potest Processio, si competen-
» ter fieri non potest propter paucitatem Fratrum; et in
» Choro legi possunt et cantari quæ in Processionibus
» legi solent vel cantari, si Prælato visum fuerit. »

1721. Quando aliqua Processio in Dominica fuerit
» facienda, dicta Tertia ante Missam, venientibus
» Fratribus in Chorum, priusquam aliquid cantetur
» de cantandis in Processione, fiat aspersio Aquæ
» benedictæ more solito præscripto in Missali.» (*Ibid.*)

### §. II. De Ordine communiter servando in Processionibus faciendis in Claustro ante Missam.

1722. « Finita Tertia, Prior cum Cappa serica,
» Diaconus cum Reliquiis, et Subdiaconus cum li-
» bello Processionali, sericis induti, præcedentibus
» Ceroferariis, cum cereis accensis et Cruciferario
» cum Cruce in Albis (si non fuerit Conversus, alio-
» quin cum Superpelliceo) ad Altare veniant », præ-
cedente illo qui Aquam benedictam est delaturus
Superpelliceo indutus.

1723. Si Dominica fuerit, Aqua benedicta more so-
lito aspergatur. Tunc Cruciferarius non veniat ante
aspersionem, neque ille qui Aquam benedictam est de-

laturus ; sed, facta aspersione, Acolythi versus Sacristiam accedant, Cruciferarius Crucem accipiat, comitantibus ad Altare Acolythis, et alius Aquam benedictam deferat.

Idem fiat cum loco aspersionis vel post eam fieri debet benedictio Candelarum vel Ramorum, vel alia.

1724. Cantoribus incipientibus Responsorium notatum secundum occurrentiam diei, et Conventu illud prosequente egrediatur Processio hoc ordine :

1725. Facta inclinatione debita ad Altare prout supra dictum est, « Primo, procedat Frater aliquis Clericus » in Superpelliceo (vel aliquis Conversus, si pauci sint » Fratres) cum Aqua benedicta, qua terram aspergat; » post eum Ceroferarii cum cereis accensis ; deinde » Cruciferarius cum Cruce; postea reliqui Fratres or» dine suo, junioribus præcedentibus ; ultimo Prior » cum Diacono a dextris aliquas Reliquias deferente, » et Subdiacono a sinistris portante libellum Proces» sionalem. »

1726. « Dum prædictum ℟. cantatur, procedatur » ad locum ubi facienda est Statio, scilicet, in prima » parte Claustri. In unaquaque autem Statione Cru» ciferarius et Ceroferarii vultus suos et Imaginem » Crucifixi versos habeant ad Conventum (nisi forte » fieret Statio ante exteriorem introitum Ecclesiæ vel » Chori), tunc enim prædicti Ministri vertere debent » vultus ad Altare, Imagine tamen Crucifixi versa ad » Conventum) : Prior autem stans ultimo cum Dia» cono et Subdiacono, vultus suos habeant versos ad » Crucem : cæteri Fratres stent semper versis vultibus » ad se invicem : deferens vero Aquam benedictam, » deposita Aqua ante Crucem, collocet se ultimo loco » in Choro, si est Clericus ; vel stet aliquantulum re» tro Crucem, si est Conversus. »

1727. « Finito primo Responsorio, cantetur Versus » a duobus Fratribus quibus Cantor innuerit, vel ab

» ipsis Cantoribus ; quod etiam observetur in aliis » Responsoriis. Finita Resumptione post Versum, » Cantoribus inchoantibus Responsorium secundum, » procedatur ad secundam Stationem , quæ fiat in » tertia parte Claustri, ubi Fratres se ordinent ut » supra »

» Finita resumptione post Versum, Cantoribus in» choantibus Responsorium tertium , procedatur ad » tertiam Stationem, quæ fiat similiter in quarta parte » Claustri. »

« Quo facto, ut prius, inchoetur Antiphona ad in» troitum Ecclesiæ, et Conventu ipsam prosequente, » Processio Ecclesiam ingrediatur. »

1728. Tunc Fratres intrent Chorum, non omissis inclinationibus vel genuflexionibus faciendis, et eant ad sedes suas ; et qui Aquam benedictam portavit in Sacristiam vadat : Prior vero et Ministri ordinent se sicut ad aspersionem Aquæ benedictæ consueverunt, Cruciferario tenente Crucem ante gradus Presbyterii.

1729. « Finita Antiphona Ceroferarii, Cantore eis » deferente, dicant Versiculum eo modo quo dicitur » ad Memorias. »

« Deinde Prior, absque *Dominus vobiscum* præ» misso *Oremus* dicat Orationem notatam in Processio» nario : quæ dum dicitur, Cruciferarius reponat Cru» cem in loco suo. » (*Process.*)

1730. « Oratione finita, Prior et Ministri in Sacristiam » vadant, et deposita Cappa serica a Priore, assum» ptaque Casula et Missa inchoata, procedant more » solito ad Altare. » (*Miss.*)

« Hic ritus et ordo procedendi servetur in omni» bus Processionibus, quæ, finita Tertia fieri solent, » nisi aliter notetur. » (*Process.*)

## § III. De Processione Sanctissimi Rosarii, prima Dominica mensis. (1).

1731. Qualibet Dominicâ prima mensis, post Vesperas, faciunt Fratres nostri, in propriis Ecclesiis, Processionem sanctissimi Rosarii, tanquam peculiare hujus Ordinis patrimonium sibi a B. P. N. Dominico relictum, et fit cum magna populi frequentia. Quapropter Acolythi, dum in Vesperis cantatur Canticum *Magnificat*, a Choro discedant (vel prius, si fiat incensatio Altaris) una cum Hebdomadario vel alio Sacerdote cui Cantor injunxerit, qui Superpelliceo, Stola, Pluviali albi coloris indutus e Sacristia discedat, procedens ad Altare majus, in Ecclesia, teneatque manibus Reliquias in Processione deferendas, quem præcedant Acolythi cum Cruciferario, pariter induti Superpelliceo, illi cum cereis accensis, iste cum Cruce in medio illorum.

1732. Absolutis Vesperis, Cantor incipiat Hymnum *Ave maris stella*, ad cujus primam strophen stent omnes Fratres genuflexi; (2) deinde processionaliter a Choro

---

(1) Hæc Processio fieri solet in quibusdam Solemnitatibus B. M. V. in quibus conceduntur indulgentiæ speciales confratribus Processioni interessentibus.

Rubrica de Processione SS.^mi Rosarii, in recentiori editione Processionarii auctoritate R.^mi Magistri Generalis inserta (non tamen auctoritate Apostolica confirmata,) ex Cæremoniale Ciantes deprompta est, de quo vid. Litt. ejusd. Mag. Ord., n.° VIII.

Idem est de Processione SS. Nominis Dei in secunda Dominica mensis, et de Processione SS. Sacramenti in tertia Dominica mensis, et de Processionibus ad Altare SS. Rosarii et ad Altare S. P. Dominici.

(2) In statutis authenticis confraternitatis SS. Rosarii a R^mo Magistro Generali Ordinis Sixto Fabri Lucensi editis et promulgatis anno 1585. et recenter Romæ reimpressis permittitur ut loco Hymni *Ave maris stella* cantetur quid aliud simile (« o altra cosa simile »), et

egrediantur ad Altare Sanctissimi Rosarii, bini et bini, præcedentibus Acolythis et, post omnes Fratres, Sacerdos cum Reliquia.

Interim cantetur prædictus Hymnus.

Cum pervenerint ad Altare reverenter inclinent (V. n.° 731.), et deposita Reliquia super Altare, Sacerdos in primo gradu genuflectat, Acolythis hinc inde versis ad se vultibus, pariter genuflexis ante Imaginem B. Virginis. Idem faciunt Fratres versis vultibus ad Altare.

1733. Tunc Cantores incipiant Litanias B. Virginis, Choro respondente, et omnibus processionaliter incedentibus per Ecclesiam, aut extra, juxta locorum consuetudinem. Cum autem ad Altare reversi fuerint absolutis Litaniis, dicatur ab Acolythis ℣. *Regina sacratissimi Rosarii, ora*, etc. ℟. *Ut digni*, etc. et Sacerdos subjungat Orationem, *Deus cujus unigenitus*, etc.

Deinde Sacerdos populum cum Reliquia benedicat, redeatque cum Ministris in Sacristiam (1), ut se sacris vestibus exuat.

1734. In pluribus Conventibus consuevit deferri Imago Virginis gloriosæ; et tunc pariter procedendum erit cum luminibus. Et si Processio extra Ecclesiam per civitatem fiat, erunt læta Cantica ad Virginis laudem spectantia cantanda, cum tubarum clangore et aliorum instrumentorum melodia.

Ubi vero alio tempore vel alio modo consuevit hæc Processio fieri, servetur approbata consuetudo.

---

loco Litaniarum aliqua Antiphona B. Virginis (« Arrivati alla capella cantino le Litanie, o qualche Antifona della Vergine »).

(1) Comitantibus, ut prius, Officialibus confraternitatis cum cereis accensis, cantando aliquem Hymnum B. Mariæ Virginis. (*Ibid. Del modo che si deve tenere nel progresso delle Processioni. Cap. XIII.*)

### §. IV. De Processione Sanctissimi Nominis Dei in II. Dominica mensis.

1735. In qualibet secunda Dominica mensis ad laudem et gloriam SS. Nominis Jesu fit in Ecclesiis nostris post Vesperas Processio præfati Nominis Dei, in qua a Sacerdote cum Pluviali albi coloris incedente Reliquia defertur ad Altare hujus SS. Nominis Jesu.

1736. Solet etiam per Ecclesiam circumferri Imago Pueri Jesu, pariter cum luminibus, ut dictum est de Imagine B. V. Sanctissimi Rosarii. Tunc temporis cantantur in ejus laudem Hymni et Psalmi, præcipue Hymnus *Jesu nostra redemptio,* in ultimo loco.

1737. *Tempore Paschali,* duo ultimi Versus Hymni prædicti dicuntur prout ad Completorium. Deinde a Ceroferariis dicitur : ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc,* etc. Deinde Sacerdos dicat Orationem : *Sancti nominis.*

1738. Dum Processio in Sacristiam revertitur, vel ad locum in quo sit reponenda Reliquia aut Imago, cantetur Psalmus *Laudate, pueri, Dominum*, vel alius, si opus fuerit. Reliqua, ut in Processione Sanctissimi Rosarii dicitur.

### §. V. De Processione SS. Sacramenti in III. Dominica mensis, necnon de Expositione et Repositione ejusdem.

1739. Cum in Ecclesiis nostris in tertia Dominica mensis soleat sacratissima Eucharistia processionaliter etiam extra Ecclesiam circumferri propter indulgentias quas Christi fideles huic societati adscripti, hoc divinissimum Sacramentum associando, merentur, ideo Missa hora competenti celebrabitur, in qua duæ Hostiæ consecrantur, quarum altera in ipsa

Communione de more assumpta, altera a Celebrante antequam purificationem sumat intra Pyxidem seu Ostensorium reponitur, in illa lunula quæ est in medio Ostensorii; qua ibi reposita, claudatur ostium Ostensorii et in medio Altaris super Corporale collocetur, Diacono Celebrantem ad hoc adjuvante.

1740. Celebrans, terminata Missa, cum debitis genuflexionibus, et dicto ultimo Evangelio in fine Missæ, ante intimum gradum Altaris descendens, depositis Casula et Manipulo, Ministris adjuvantibus (quod et ipsi Ministri deponant), si tunc facienda est Processio, accipit Pluviale album (V. n.° 565, 566.); quo indutus, genuflexus ter incensat SS. Sacramentum. (V. n.° 852, 856.)

1741. Incensato SS. Sacramento, Subdiaconus velum oblongum super humeros Celebrantis imponit; qui genuflexus in supremo Altaris gradu, accipit SS. Sacramentum de manu Diaconi (qui confestim illud adoret), ac surgens, ipsum in medio Altaris, ad populum conversus, elevatum tenet; Ministris hinc inde fimbrias Pluvialis elevatas tenentibus.

1742. Interim inchoetur a Cantoribus Hymnus *Pange lingua*, quem Chorus prosequatur.

Cantoribus inchoantibus Hymnum, Acolythi cum Cruciferario surgant cum cereis accensis inchoantes Processionem; post quos sequuntur Fratres egredientes e Choro, bini et bini, cereos accensos manu gestantes.

1743. Discedente Celebrante ab Altari, sit paratum Baldachinum, cujus hastas solent deferre nobiles laici ibidem adstantes, vel Fratres, quibus commissum fuerit; et hi advertant ut semper gravi passu incedant, ipsumque Baldachinum super Sanctissimum Sacramentum semper deferant.

1744. Celebrans sub Baldachino incedens cum Ministris, qui fimbrias Pluvialis elevatas a lateribus

tenebunt, alternatim cum ipsis recitabit submissa voce Psalmos et Hymnos, Choro interim cantante, pulsatis Organis et Campanis.

1745. Thuriferarii, ubi sunt plures, continue Sacramentum incensabunt, immediate ante Baldachinum procedentes, ita tamen ne terga vertant SS. Sacramento, simul gressus moventes ac pariter simul thuribulum elevantes.

1746. Ad Ecclesiam reversi, ubi ante Altare pervenerint, amoveatur Baldachinum per Ministros Ecclesiæ ad hoc deputatos, et qui illud deferebant genuflectant.

1747. Celebrans ante gradus Altaris Sacramentum in manibus Diaconi deponat, qui illud accipiens genuflexus statim surget, et Altare ascendens ipsum in medio super Corporale collocet, Celebrante interim, deposito Velo, in gradu Altaris inferiori genuflexo manente, una cum omnibus aliis Ministris.

1748. Interim cantetur a Choro : *Tantum ergo.*

Tunc Celebrans Sacramentum incenset ut supra, et dicta ultima stropha, Cantores vel Acolythi subdunt : ℣. *Panem de cœlo*, etc.

Tempore Paschali et per totam Octavam Corporis Christi, additur : *Alleluia.*

Celebrans stans, Ministris hinc inde adhuc genuflexis, librumque Diacono sustinente, dicat Orationem: *Deus qui nobis sub Sacramento*, etc.

1749. Dicta Oratione, Sacerdos Altare ascendens, (1)

---

(1) Sic habet *Instructio Clementina. « Et ascendendo solo all' Altare.* » In Commentariis Gardellini de hac re sic legitur : « Quando » autem Sacerdos ascendit ad Altare cum eo ascendunt etiam sacri » Ministri ; sed hi genuflectere debent in ore suppedanei, ubi in- » clinati elevant Pluvialis fimbrias dum Sacerdos benedicit popu- » lum. » Imo non improbatur consuetudo in multis Ecclesiis Sæcularium et Conventibus Ordinis vigens, quod Diaconus tradat SS. Sa-

genuflectens, prius accipit cum velo Ostensorium, utraque manu ante faciem suam illud elevando, et ad populum conversus, efformat cum illo signum Crucis, semel tantum, et sic adstantes benedicit (1), rursumque super Altare reponit, et iterum manet genuflexus in gradu inferiori, donec Diaconus sacram Hostiam et sphæram recipiens illam in Tabernaculo reponat et ostium claudat.

1750. Tunc Celebrans cum suis Ministris surget, atque omnibus aliis (cereis extinctis) recedentibus ab Altari, ultimus omnium procedit Celebrans cum Ministris, capite cooperto, ad Sacristiam sacras vestes depositurus.

Cæterum, quoad horam et modum hujusmodi Processionis faciendæ, serventur peculiares alioquorum Conventuum, si quæ sint, legitimæ consuetudines.

1751. *In Expositione*, *Benedictione et Repositione* SS. Sacramenti (2), quæ fit sine Processione, serventur etiam ritus prædicti, cum aliquibus differentiis, ut infra.

---

cramentum Sacerdoti et ab eodem, data benedictione recipiat, prout supra notatum est.

(1) In benedicendo populo cum SS. Sacramento Celebrans nihil dicere, et Cantores et musici nihil quoque canere interim debent ad præscriptum Ritualis Romani et Cæremonialis Episcoporum, non obstante quacumque contraria consuetudine (*S. R. C.* 9 *Febr.* 1762). — « An in Benedictione populo impertienda cum augustissimo Eucharistiæ Sacramento permitti possit cantus alicujus Versiculi vernacula lingua concepti, vel ante vel post ipsam Benedictionem? » — R. « Permitti post Benedictionem. » (9 *Aug.* 1839.)

(2) « Non licet Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, » SS. Eucharistiæ Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex » causa publica, quæ probata sit ab Ordinario, ex causa vero privata » licet, dummodo non extrahatur e Tabernaculo, et maneat velatum, » ita ut sacra Hostia videri non possit. (*S. R. C.* 31 *Maji* 1642.)

— « An liceat in Expositione SS. Sacramenti lumen aliquod eo artifi» cio collocari a parte postica sphæræ, ut recto illuceat in ipsam Sacratissimam Hostiam, quæ exinde lucide appareat? —

— R. « Negative. » (*S. R. C.* 3 *April.* 1821.)

Ad exponendum vel reponendum SS. Sacramentum, Diaconus assistens, vel alius Sacerdos Superpelliceo, et etiam Stola dum SS. Sacramentum tractat, indutus, vel (si neuter adfuerit) ipsemet Celebrans sacram Hostiam extrahat e Tabernaculo cum debitis reverentiis (V. n.° 858.) et in Ostensorio includat, Ostensoriumque in throno, in loco eminentiori, collocet (V. n.° 352.) si fuerit ibi collocandum, ex quo postea ante Benedictionem illud deponat.

Si vero pro dicta Expositione, SS. Sacramentum ex alio Altari sit afferendum, tunc ab aliquo Sacerdote, vel Diacono, Superpelliceo et Stola induto, prius deferatur, comitantibus Ceroferariis, eo modo quo dicitur infra n.° 1916, eodemque modo, absoluta Benedictione, reportetur ubi erat prius. (V. n.° 858.)

1752. Facta Expositione, thurificetur SS. Sacramentum, ut supra.

Interim cantari poterunt a Choro Hymni, vel Psalmi, vel Antiphonæ, vel Responsoria, vel Litaniæ, vel Cantica, secundum quod Ordinarius vel Prælatus disposuerit, cum Versiculis et Orationibus opportunis sub breviori conclusione; postea *Tantum ergo*, *Genitori*, et cætera, ut supra.

1753. Si agatur de Expositione 40. Horarum vid. *Instructio Clementina.*

Si vero de Expositione cum S. Pyxide, conformius est praxi Ecclesiæ (1) quod incensatio non fiat, si

(1) « Num servanda sit immemorabilis consuetudo in Ecclesia (S. » Mariæ in Corte civitatis Ariminen) olim Ordinis Prædicatorum summo » mane cujuslibet diei recitandi SS. Rosarium B. M. V. et post ipsum » dimittendi populum fidelem cum Benedictione SS. Sacramenti in » S. Pyxide occlusi, et in Festis cum Ostensorio, quod in summitate » non habeat Crucem a Rubricis requisitam, quin neutro in casu » Sacramentum ipsum, tam in Pyxide reclusum, quam in Ostensorio apparens thurificetur...? E$^{mi}$ ac R$^{mi}$ Patres sacris tuendis » Ritibus præpositi, quamvis prænoscerent hæc singula ab Ordinario

S. Pyxis non extrahitur e Tabernaculo. Cum autem extrahitur, more solito thurificetur, et non collocetur in throno (1), et in benedicendo populum cum illa Sacerdos debet « illam totam cooperire extremitati» bus veli oblongi humeralis. » (*S. R. C.* 23 *Febr.* 1839.)

### §. VI. De Processione facienda post Completorium ad *Salve Regina*.

1754. « Omni tempore, præterquam in IV. V. et VI. Feria ante Pascha, cantetur post Completorium » Antiphona *Salve Regina* (2). Quando autem aliqui » Fratres remanserint a Completorio, fiat signum » (V. n.° 623.) circa finem Completorii, ut veniant

---

» facultate Amplitudinis tuæ pendere, attamén satius duxerunt re» spondere : Scribatur Episcopo ad mentem. Mens itaque S. Con» gregationis est ut Amplitudo tua quoties nihil inconveniens de» prehendat quod horam, præsertim hyemali tempore, permittat » continuationem hujusmodi piorum exercitiorum in Deiparæ hono» rem : nam omissio incensationis conformior est Ecclesiæ praxi in » Benedictione cum S. Pyxide; requiritur tamen omnino cum imper» titur Benedictio cum Ostensorio, ac proinde illam in hoc casu » exigat : ac pariter exigat ut in summitate Ostensorii Crux visibilis » apponatur, quod requirunt ecclesiasticæ leges, non obstante con» suetudine Ordinis Prædicatorum, cui peculiaris est ritus in ex» plendis sacris Cæremoniis.... (11 *Sept.* 1847.)

(1) « An consuetudo in Expositionibus minus solemnibus in throno collocandi S. Pyxidem, et deinde cum ea benedicendi populum possit licite observari...? — R. « Non esse locum. »

— « An in Ecclesiis ubi aliquod Festum celebratur cujus ratione Sanctæ Reliquiæ sunt expositæ, possit post Vesperas, Festo durante, exponi S. Pyxis cum SS$^{mo}$ Sacramento per breve temporis spatium ad recitandas nonnullas preces quæ cum Benedictione SS$^{mi}$ Sacramenti absolvuntur, non remota eadem Reliquia...? — R. « Negative. » (19 *Maii* 1838.)

(2) Antiphona *Ave Regina* amplius non est cantanda post Completorium loco *Salve*, ut fiebat antiquitus, sed sola Ant. *Salve*, prout ex Collectario et Breviario, necnon ex usu actuali Ordinis constat.

» ad Processionem qui a Completorio remanserunt. » (*Ord.*) In dicta autem Feria IV. fiat tamen aspersio Aquæ ab Hebdomadario, prout n.° 1425, duobus diebus sequentibus etiam intermittenda.

1755. « Antiphona *Salve* incipienda est a duobus » Cantoribus vel ab aliis duobus quibus injunctum » fuerit (V. n.° 903.) a Cantore, in medio Chori, in » Duplicibus et Totis Duplicibus; aliis vero diebus ab » uno cui injunctum fuerit, stante in sede sua, verso » vultu ad Altare. Dum autem inchoatur Antipho- » na, Fratres omnes, præter incipientem quando ab » uno, vel incipientes quando a duobus, et præter » Ceroferarios, absque prostratione flectant genua, » Chorus contra Chorum, stantes flexis genibus quo- » usque cantatum sit *Salve* (*Ord.*) *Regina* (*Collect.*). » Qui autem incœperunt postquam dixerint *Salve*, flectant genua, Choro vel Cantore prosequente *Regina* (V. n.° 780.) (1) « Dicta vero genuflexio non fiat extra » Chorum. » (*Ord.*)

1756. « Et tunc se erigentes exeant processionali- » ter ad Ecclesiam exteriorem, præcedentibus duobus » qui notati sunt ad Acolythatum in Missa, in Su- » perpelliceis cum candelabris et cereis. Qui ante in- » cœptionem Antiphonæ venientes ante gradus Pre- » sbyterii et inclinantes (V. n.° 751.), stare debent » ibidem quousque Fratres alii se erexerint. Et tunc » iterum inclinantes procedant in Processione ad » exteriorem Ecclesiam. » (*Ord.*) Cum autem pervenerint ad locum Stationis, ibidem stabunt versis vultibus ad invicem quousque omnes transierint : et candelabra, ubi fuerit solitum, deponere poterunt,

---

(1) In Processionali edito Lugduni 1861 et in Antiphonario recenter impresso perperam notantur duæ virgulæ simul junctæ post *Regina*, nam inchoatio hujus Antiphonæ dictionem dissyllabam *Salve* tantum comprehendit.

quousque cantandum erit Versiculum (*Cærem. C.*); stabuntque versi ad Altare prout supra n.° 1726. dicitur.

1757. « Omnes autem Fratres exeant bini et bini » extra Chorum cum debitis distantiis, et cum fue- » rint in medio Ecclesiæ ultra Acolythos , omnes » bini et bini in eodem loco inclinent ante Crucifixum » vel Crucem quæ est in medio Ecclesiæ in pariete » qui dividit Ecclesiam laicorum a Choro. et facta » inclinatione, (V. n.° 751. et adnot. ad 763.) vadant » ad sua loca distincte. » (*Mediol.* 1505).

Si autem Chorus fuerit retro Altare , tunc omnes transeuntes ante illud pariter inclinent, bini et bini, tam in egressu quam in regressu Processionis.

1758. « Dum cantatur Antiphona, aspergatur Aqua » benedicta ab Hebdomadario, Fratre qui Responso- » ria Horarum , vel (si ipse impeditus fuerit aut » absens) alio cui injunctum fuerit a Cantore Aquam » benedictam, in vase decenti, a Sacrista præparatam, » post Hebdomadarium deferente. » (*Ord.*) « In asper- » gendis Fratribus , ubi unus aspergere consuevit, » servet ordinem ut supra n.° 683. et seq.

1759. « Quando adest aliquis Episcopus vel Sedis » Apostolicæ Legatus debet Hebdomadarius illis asper- » sorium porrigere ut seipsos aspergant. (*Collect.*)

« Fratribus Aqua benedicta aspersis, aspergat et » sæculares qui sunt in Ecclesia ; vel, si urget tem- » pus dicendæ Orationis post Antiphonam *Salve Re-* » *gina*, ab alio Fratre aspergantur. (*Ibid.*)

1760. « Ad ea verba : *Eja ergo Advocata nostra* usque » ad verbum *Ostende* inclusive omnes genua flectant » versi ad Altare : ad verbum *O clemens* surgentes et » stantes versis ad invicem vultibus ut prius. » (*Ibid.*)

1761. « Finita Antiphona Ceroferarii , erecta te- » nentes in manibus candelabra (*Cærem. C.*) dicant » Versiculum *Dignare*, etc. addentes *Alleluia*, Temp.

» Pasch.; et dicatur eo modo quo dicuntur Versiculi » ad Memorias. (*Ord.*) Reversus ad locum suum inter » Fratres Hebdomadarius, dicto Versu ut supra ab » Acolythis, versus ad Altare » (*Collect.*) « subjun- » gat *Oremus* et Orationem *Concede*, eo modo quo » dicuntur Orationes ad Horas. » (*Ord.*)

1762. « Finita Oratione, incipiatur a Ceroferariis, » Antiphona de B. Dominico *O lumen*, vel alia de » Sanctis Ordinis, vel de Patronis secundum consue- » tudinem Provinciarum vel Domorum. » (*Ord.*) et Cantor subjungat : *Ecclesiæ*, et reliqua totus Conventus prosequatur, (*Cærem. C.*) « et sic cantando Antipho- » nam Fratres intrent Chorum; et dicto ibi Versi- » culo et Oratione, sicut dictum est supra, dicatur » *Fidelium*, deinde Fratres in suis locis *Pater noster* » et *Credo in Deum* dicant, cum consuetis inclinatio- » nibus seu prostrationibus : » (*Ord.*) « sicque termi- » natur Completorium. » (*Collect.*)

1763. Ceroferarii, dum absolvitur prædicta Antiphona, stent ante gradus ut supra, ibique pariter Versiculum decantent; et dicto *Fidelium*, inclinantes profunde, statim revertantur ad Sacristiam dicentes *Pater noster* et *Credo in Deum* in eundo. (*Ord.*)

« Quod si locus exterior non est aptus ad Proces- » sionem, vel si Fratres fuerint pauci notabiliter, » non oportet extra exire, sed in Choro fiant omnia, » Ceroferariis tamen secundum modum supradictum » stantibus ante gradus Presbyterii. » (*Ord.*)

### §. VII. De Processione ad Altare SS. Rosarii singulis diebus Sabbatis.

1764. Quolibet Sabbato post Antiphonam *Salve Regina*, a duobus Fratribus quibus injunctum fuerit incipiantur Litaniæ B. Virginis; quæ cantentur, Choro respondente, secundum communem Ecclesiæ modum,

vel cum tono consueto, nihil addendo vel minuendo, vel mutando (1). Quibus incœptis omnes Fratres processionaliter conveniant ad Altare B. V. SS. Rosarii; ibique flexis genibus prosequantur Litanias, Acolythis genuflexis in infimo gradu Altaris, depositisque candelabris; iis vero qui Litanias incipiunt in medio pariter genua flectentibus. (*Ex Process. et usu.*)

1765. Quibus finitis, immediate cantetur ab iisdem duobus cum Choro alternatim Prosa *Inviolata*, addito *Alleluia* tempore Paschali. Deinde, dicto ab iisdem Versiculo, Choroque respondente, dicatur ab Hebdomadario stante, versoque vultu ad Altare, Oratio consueta. Postea cantatur Antiphona *O lumen*, ut supra, et absolvitur Completorium more solito. (*Ibid.*)

### §. VIII. De Processione ad Altare S. Patris Dominici IV. Dominica mensis.

1766. Qualibet IV. Dominica mensis, post Antiphonam *Salve Regina*, Cantor incipiat. ℟. *O spem miram* et Fratres processionaliter conveniant ad Altare S. P. Dominici, et ibique flexis genibus prosequantur Responsorium cum Versu et Resumptione (et *Gloria Patri* si usus fuerit), Cantoribus, vel duobus Fratribus quibus injunctum fuerit cantantibus Versum, eodem modo ac supra de Litaniis B. M. dictum est.

1767. Finita resumptione, ubi fuerit usus, cantetur Versiculus *Ora pro nobis B. P. Dominice*, et facta responsione a Choro, Hebdomadarius verso vultu ad Altare,

---

(1) Quamvis duplex habeatur Oratio, una post Litanias, altera vero post *Inviolata*, tam in Breviario quam in Processionario modernis, attamen in hac Processione, vi consuetudinis generalis Ordinis, Fratres non tenentur nisi ad unam Orationem cum Versiculo, et hæc dicitur post Prosam *Inviolata*. (*Decl. auth.*)

dicat Orationem : *Deus qui Ecclesiam*, etc. Deinde cantatur Antiphona, ut supra more solito. (*Ex Process.*)

### §. IX. De Processionibus, in Festis Sanctorum Ordinis Nostri.

1768. « Solet in aliquibus locis fieri Processio per » Claustrum, vel civitatem, in Festis Sanctorum Ordi- » nis nostri, hoc modo :

« Completa Hora, quæ dicitur ante Missam, Cantoribus » inchoantibus Hymnum de Sancto, vel Sancta, cujus » Festum celebratur, Processio egrediatur hoc ordine : » primo procedat aliquis Frater cum Aqua benedicta, » qua sibi occurrentes aspergat ; post eum duo Thu- » riferarii, cum thuribulis, vel unus, ubi pauci sunt » Fratres ; quos duo Acolythi cum cereis accensis » subsequantur ; deinde Cruciferarius in medio eo- » rum ; et ubi est multitudo Fratrum, alii duo Ce- » roferarii subsequantur : deinde Fratres Conversi, » et juvenes, qui non sunt sacris vestibus induti ; » postmodum sequuntur Fratres omnes, qui sunt sa- » cris vestibus induti, ac deinde Sacerdotes, et Pa- » tres, qui non sunt apparati ; et ultimo loco proce- » dant quatuor Cantores cum Cappis sericis ; et ille, » qui cantaturus est Missam, pariter indutus Cappa » serica, cum Diacono a dextris portante Reliquias » et Subdiacono a sinistris cum libello Processio- » nali : ita tamen, quod prædicti Ministri stent ali- » quantulum ante Sacerdotem, ipsum semper in ul- » timo loco relinquentes.

1769. « Cum autem ad Chorum regressi fuerint, » terminato Hymno, Ceroferarii, Cantore eis defe- » rente dicant : *Ora pro nobis*, etc. ℣. *Ut digni*, etc.

« Et Sacerdos stans ante gradus Altaris, absque » *Dominus vobiscum*, præmisso *Oremus*, subjungat » Orationem de Sancto, vel Sancta, terminando eam :

» *Per Christum Dominum nostrum*. Et responso *Amen*, » ad Sacristiam cum Ministris vadat. » (*Process.*)

## §. X. De Processionibus in Festis Sanctorum aliisque extraordinarie occurrentibus.

1770. « Cum fuerit facienda aliqua Processio in » Claustro, vel extra, in aliquo casu occurrente, in » particularibus Conventibus, videlicet, si occurrat » Festum Patroni, vel alia devotio, vel obligatio ali- » cujus Capellæ, receptio Reliquiarum, etc... tunc » Stationes fiant secundum quod Prior cum consilio » Discretorum ordinaverit; et prout competit rei, » cujus occasione fit Processio, poterunt cantari de » Responsoriis, et de Antiphonis propriis vel com- » munibus Sanctorum, secundum Festum occurrens.

1771. « Igitur in prima Statione cantetur aliquod » ex Responsoriis de Sancto, vel Sancta, in cujus » honorem fit Processio.

» In secunda Statione, ℟. de B. M. ℣. *Virgo parens*.

« In tertia, ℟. de Beato P. N. Dominico : *O spem* » *miram*.

« Ad Introitum Ecclesiæ, Antiphona aliqua com- » munis de Sancto, cum Versiculo et Oratione conve- » nientibus.

1772. *In Processionibus extraordinarie occurrentibus* cantari solent Litaniæ Sanctorum prout jacent in Pro cessionario, addito a Sacerdote ultimo loco Versiculo et Oratione ad propositum Processionis.

*In Processionibus pro gratiis agendis* cantatur in fine Hymnus *Te Deum*, cum Versiculo *Benedicamus*, etc.... et Oratione, *Deus cujus misericordiæ*. (*Ex Process.*)

De Processione, occasione Capituli, Generalis vel Provincialis vid. infr. n.° 1842.

# ARTICULUS II.

## DE RECEPTIONIBUS.

### §. I. In solemni receptione Conventus.

1773. « Cum Fratres ad aliquem locum recipien-
» dum mittuntur, si pietas Cleri, vel populi, vel
» utriusque talis est ut ibi solemniter Conventum re-
» cipit utile credatur ; tunc, die præcedente diem præ-
» fixum ad receptionem illius, Prior cum Fratribus
» Conventui illi deputatis, et quibusdam aliorum Con-
» ventuum, si visum fuerit, decenti societate moren-
» tur in aliquo loco ita propinquo, ut in crastino,
» hora competenti, ad locum recipiendum venire pos-
» sint. Mane igitur venientes processionaliter, præ-
» cedente eo qui defert Aquam benedictam, ad asper-
» gendos occurrentes, et Cruciferario cum Cruce,
» honeste, decenter ac modeste incedant, legendo
» Psalmos, cantando Litanias, vel alia, prout Priori
» visum fuerit.

1774. « Cum venerint ante januam Ecclesiæ, ordi-
» nent se in platea processionaliter, Cruciferario
» stante ante illam verso vultu ad Ecclesiam, et Ima-
» gine Crucifixi ad Conventum : ille vero, qui defert
» Aquam benedictam, collocet se more solito cæte-
» ris Fratribus stantibus versis vultibus ad invicem.

1775. « Interim duo Fratres, quibus Prior injun-
» xerit, stantes in medio incipiant Antiphonam *Salve*
» *Regina* vel *Ave Regina*; quæ cantetur ab omnibus cum
» iisdem reverentiis, sicut cantatur post Completo-
» rium.

« Finita Antiphona, quibus commissum fuerit di-
» catur : ℣. *Dignare me*, etc.; et Prior, vel ille cui

» injunxerit, subjungat, sine *Dominus vobiscum*, præ-
» misso *Oremus*, Orationem : *Protege, Domine.*

1776. « Deinde iidem Fratres, qui incœperant Antiphonam præcedentem incipiant Antiphonam *Olumen Ecclesiæ*, et cantando eam omnes intrent Ecclesiam exteriorem, ubi ordinent se processionaliter secundum prædictum modum. Et dicto ab eisdem qui prius Versiculo *Ora pro nobis, beate Pater Dominice*, etc., subjungat qui prius sine *Dominus vobiscum*, præmisso *Oremus*, Orationem : *Deus qui Ecclesiam.*

1777. « Postmodum, incœpta Antiphona de Sancto cujus est Ecclesia, Fratres ingrediantur Chorum, et dicto Versiculo et Oratione ab eisdem, et secundum eumdem modum, ut supra, incipiatur Responsorium : *Benedic.*

« Post Resumptiones, ab eisdem, ut supra, dicatur :
» ℣. *Ostende nobis, Domine...* ℟. *Et salutare.*

« Et idem, qui supra, subjungat sine *Dominus vobiscum*, præmisso *Oremus*, Orationem : *Exaudi nos, Domine*, ut in aspersione Aquæ benedictæ.

1778. « Sivero Ecclesia fuerit de Beata Virgine, vel de S. P. N. Dominico, tunc in prima Statione, quæ fit in platea, dicatur Antiphona *Salve Regina* et secunda Statio fiat in Choro Fratrum, in qua dicatur Antiphona de illo cujus est Ecclesia, cum Versiculo et Oratione debitis, deinde Responsorium *Benedic*, cum suo Versiculo et Oratione *Exaudi*, etc.

1779. « Si fuerit voluntas Episcopi, seu Cleri quod Processio vadat ad Cathedralem Ecclesiam ; vadat illuc primo, quam ad domum nostram ; et cantetur aliquid de Sancto cujus est Ecclesia, cum Versu et Oratione debitis, dicendis ab illis qui supra.

« Idem etiam faciendum est, si Conventus aliam, secundum morem terræ, intret Ecclesiam penes quam contingit ipsum transire ; hoc semper observato, ut ultimo veniat ad locum nostrum. » (*Process.*)

### §. II. In solemni receptione Legatorum Sedis Apostolicæ, et aliorum Principum.

1780. « Cum Legatus aliquis fuerit solemniter re-
» cipiendus in aliqua Domo nostra, appropinquante
» adventu ejus, convocentur Fratres in Chorum, et
» congregati exeant, antequam ipse intret Domum,
» processionaliter ad exteriorem Ecclesiam, præceden-
» tibus duobus in Cappis, qui deferant Aquam bene-
» dictam, et Thuribulum; deinde sequente Crucife-
» rario cum Cruce, postmodum Diacono cum libro
» Evangeliorum, tandem Priore cum Stola super
» Cappam, et Libello ad Officium necessario. Si ma-
» jor solemnitas fuerit facienda, induat Cappam se-
» ricam; in quo casu etiam prædicti Ministri pro-
» cedere debent in Superpelliceis; postmodum subse-
» quatur Conventus præcedentibus senioribus; et sic
» procedatur usque ad portam exteriorem per quam
» ingredi debet Legatus; ubi subsistente Priore, or-
» dinate stet Conventus post eum.

1781. « Adveniente igitur Legato ad Portam præ-
» dictam, Prior eidem det aspersorium, ut ipse se et
» alios assistentes aspergat. Si Legatus noluerit asper-
» sorium recipere, Prior ipsum aspergat. Deinde por-
» rigat ei thus ad ponendum in thuribulum, ejus
» relinquens voluntati, ut illud benedicat, vel non. Si
» autem Legatus noluerit illud accipere, tunc Prior
» non benedicens illud, ponet in Thuribulum; et
» sive ipse Legatus sive Prior posuerit thus in thuri-
» bulum, in utroque casu Prior incenset eum solum;
» deinde reddito thuribulo Thuriferario, det Legato
» librum Evangeliorum ad osculandum.

1782. « Quo facto Cantor incipiat ℟. *Cives*, et totus
» Conventus illud prosequatur simul cum Versu, et

» *Gloria Patri;* quem Versum, et *Gloria Patri*, sicut et
» reinceptiones, semper Cantor incipiat.

« Dum autem reincipitur Responsorium, moveatur
» Processio et intret Chorum, præcedentibus juniori-
» bus, et Prior, cum aliquibus antiquioribus paucis,
» quos præcedant prædicti Ministri, ducat Legatum ad
» locum decenter in Choro præparatum, vel super gra-
» dus, ubi commode flexis genibus possit orare.

1783. « Dum autem appropinquatur ad finem can-
» tus, invitetur Legatus a Priore ut surgens det Be-
» nedictionem, si est talis persona ut eam consuev -
» rit dare ; si autem noluerit, ipso perdurante in ora-
» tione, finito cantu, statim dicat Prior Versiculos et
» Orationem prout habetur in Processionario. Di-
» cta Oratione, invitetur ad surgendum. Si autem dare
» voluerit benedictionem, non dicatur prædicta Oratio
» cum Versibus.

1784. « Data ergo Benedictione, vel dicta Oratione
» prædicta, ducatur ad Capitulum, si voluerit præ-
» dicare, vel aliquid dicere Fratribus : qui conve-
» niant ad pulsationem Campanæ Capituli : vel si no-
» luerit intrare Capitulum, dicatur Missa si dicenda
» fuerit, ab ipso vel ab alio ; vel dicatur Hora aliqua,
» si dicenda est, dum ad Missam se præparant præ-
» parandi ; vel aliud fiat, quod ipsi Legato videbitur
» faciendum.

1785. « Si Episcopus, vel Metropolitanus, vel alia
» persona Ecclesiastica, habens regimen animarum,
» fuerit recipienda solemniter, eadem forma servetur.»
(*Process.*)

### §. III. In solemni receptione sæcularium Principum.

1786. « Cum aliqua Persona sublimis sæcularis, in
» dignitate constituta, fuerit recipienda solemniter,

» servetur forma in receptione Legatorum præscripta; » hoc excepto, quod loco Responsorii : *Cives Apostolorum*, dicatur Responsorium : *Tua est potentia* , cum » Versiculis et Oratione, ut in Processionario, di- » cendis a Priore finita resumptione Responsorii.

1787. « Si vero fuerit Rex, vel Imperator, loco il- » lius Versiculi, *Salvum fac servum tuum*, etc., dica- » tur : *Domine salvum fac Regem* ; et in Oratione dica- » tur : *famulum tuum Regem nostrum*, vel *Imperatorem* » *nostrum*.

« Si vero fuerit Regina, vel Imperatrix, non mu- » tetur Versiculus prædictus, nisi quoad sexum, et » dicatur : ℣. *Salvam fac famulam tuam*, et in Oratione » dicatur : *famulam tuam Reginam nostram*, vel *Imperatricem nostram*.

« Si Episcopus civitatis, vel alius fuerit præsens, » rogandus est ut faciat Officium supradictum Prioris.

1788. « Si vero solemnitas major, vel devotio re- » quirat ut aliquid plus cantetur quam supradictum » est, poterit cantari aliquid de Beata Virgine, vel » de Beato Dominico, vel de Sancto cujus est Eccle- » sia, secundum ordinationem Cantoris cum consilio » Prioris ; ita ut, finito cantu prædicti Responsorii, » cantetur illud aliud immediate, et dicatur de illo » Sancto Versiculus et Oratio propria cum aliis Ver- » siculis et Oratione prædictis ita tamen ut Versiculus » de Sancto præponatur aliis.

1789. « Ad hoc sciendum est, quod si aliquis de præ- » dictis recipiendis solemniter habeat aliquam for- » mam in sui receptione differentem a supradicta, » quam velit observari (de quo conferendum est cum » Capellano ejus) debet illa servari, et maxime in re- » ceptione Papæ. (*Process.*)

## §. IV. De receptionibus Novitiorum ad habitum.

1790. « Cum aliquis habitu Ordinis erit induendus, » Magister Novitiorum eum ducat usque ad medium » Capituli, et ostendat ei locum veniæ faciendæ; qui » toto corpore in terram prostratus et manibus in mo» dum Crucis extensis, Priori petenti : *Quid quæris?* » respondeat : *Misericordiam Dei et vestram.*

1791. « Tunc Prior, (indutus Cappa Ordinis) faciat » eum surgere et ei exponat austeritates Ordinis, vo» luntatem ejus requirens, hoc modo, vel alio prout » ei placuerit :

Fili carissime, in ista petitione tua duo petis, scilicet misericordiam Dei, et nostram : sed misericordiam Dei tibi dare non possumus, bene tamen credimus te fuisse eam consecutum, quia Dominus Deus te inspiravit ad ingressum hujus religionis. Nostram autem misericordiam tibi dare non possumus sine quibusdam conditionibus, quas si non haberes, aut non proponeres observare, non posses habere misericordiam nostram. Non enim sufficit te nullo impedimento canonico innodari, sed insuper oportet quod intelligas quæ habeas servare in religione : ne postea dicas te fuisse deceptum, vel non credidisse tot ardua esse in ea. Imprimis oportet te servare tria vota principalia Religionis, scilicet : obedientiam, paupertatem, et castitatem.

Quantum ad obedientiam, scias, quod eris obligatus servare Regulam, et Constitutiones nostras, et obedientias majorum tuorum, ita quod non existimes te ullam habere libertatem, sed totaliter esse subjectum, et privatum propria voluntate. Nam non poteris manducare, vel bibere sine licentia, nec ad aliquem locum accedere, nec tibi aliqua placita facere

sine voluntate tui Prælati. Et si velles stare in aliquo Conventu et tui Superiores voluerint quod stes in alio, teneberis obedire eis, et non tibi complacere.

Quantum ad paupertatem, similiter non poteris habere aliquid quantumcumque modicum, quod possit dici tuum, vel quod tu possis dicere, hoc meum est; sed ea, quæ tibi erunt concessa, erunt subjecta voluntati Prælati tui, qui ea tibi auferre poterit quotiescumque voluerit, et tu non habebis contra eum jus aliquod. Nec poteris tenere pecunias, et si tibi datæ fuerint non poteris eas expendere, nec aliquid de tibi concessis donare, alienare, vel commutare sine licentia Prælati tui, quantumcumque minimum sit; et necesse erit tibi etiam aliquando portare vestes laceras et viles, et pati multa incommoda.

Circa castitatem teneberis non solum servare castitatem corporis, sed etiam mentis; id est, quod non cogites de rebus inhonestis, nec delecteris in illis; et ita te existimes in hoc tanquam non esses homo, sed lapis, vel lignum.

Et ad melius servanda ista Regula et Constitutiones ordinaverunt aliqua ad corporis macerationem, scilicet vigilias: quia quando placebit tibi dormire, tunc oportebit te surgere ad Matutinas, vel ad faciendas alias obedientias. Item jejunia: quia, ultra omnia jejunia Ecclesiæ, teneberis jejunare a festo Sanctæ Crucis usque ad Pascha, exceptis diebus Dominicis, et etiam in omnibus Feriis sextis totius anni. Et non poteris comedere carnes unquam sine necessitate, infirmitate, vel licentia. Et quia religio est discreta, et non vult a religioso nisi id quod potest, scias, quod accedente aliqua necessitate, Prior, vel Prælatus poterit dispensare tecum in hujusmodi austeritatibus aliquando, maxime in vigiliis, et jejuniis.

Et quando ista feceris, adhuc habebis tribulationes, et reprehensiones, et vilificationes, quas omnes opor-

tet te ferre patienter : quæ si graves sint, habent tamen magnam mercedem, scilicet vitam æternam, quam tibi ex parte Dei firmiter promitto, si prædicta observaveris. Vis ergo observare omnia prædicta pro posse tuo ? Quo respondente quod sic, dicat Prior : *Dominus, qui incœpit, ipse perficiat.* Et Conventus respondeat : *Amen.*

1792. « Tunc Magister Novitiorum ducat eum ad » Priorem, et faciat eum genuflectere coram eo ; et » Vestiarius portans vestes præparatas, eas Priori » porrigat ; et Prior adjuvante Magistro Novitiorum, » remotis primo vestibus sæcularibus, eum induat ve» stibus religiosis.

1793. « Cum Prælatus incipit induere Novitium, » omnes genua flectant, et Cantor incipiat Hymnum : » *Veni creator*, quem Chorus prosequitur per Versus » alternatim. Et cum indutus fuerit, (vel plures induti » fuerint,) egrediatur Conventus processionaliter ad » Ecclesiam, junioribus præcedentibus, Magistro » Novitiorum ultimo ducente Novitium usque ad gra» dum Altaris, ibique Novitius se prosternat.

1794. « Finito Hymno, et dicto : *Kyrie eleison*, etc. *Pater noster*, dicat, qui recipit Novitium :

℣. *Et ne nos..* ℣. *Emitte spiritum..* ℣. *Salvum fac*, vel si plures fuerint : *Salvos fac.. Dominus vobiscum*, etc.

« Et præmisso *Oremus*, dicat Orationes : *Deus qui* » *corda*, *Prætende*, eo modo quo dicuntur ad Horas diei, » et terminentur sub uno : *Per Christum..* »

1795. « Finitis Orationibus, Magister Novitiorum » elevet Novitium, et stans prope eum, ducat illum » ad receptorem, qui, amoto caputio de capite No» vitii coram se flectentis, aspergat eum Aqua bene» dicta, Sacrista ei aspersorium deferente ; et postea » recipiat Novitium ad osculum pacis. Similiter fa» ciant omnes Fratres sequentes Priorem in Choro

» suo, postea alii de alio Choro eodem ordine. Et si » plures fuerint Novitii vadat unus post alium, dando » pacem ; et dum ad osculum pacis recipiuntur, can» tetur : *Te Deum*.

1796. « Quo finito, Novitius iterum ducatur a Ma» gistro Novitiorum ad Prælatum, qui ei aliud nomen » imponere poterit, et eum curæ ejusdem Magistri » destinabit, assignabit tempus probationis ut ipse » austeritates Ordinis, et Fratres ejus mores expe» riantur, hoc modo :

Ecce, fili, tu recepisti misericordiam nostram ex parquia dedimus tibi habitum nostrum ad probationem : restat tibi facere professionem, ut ipsam misericordiam nostram possis habere complete. Et quia forte mores Religionis non placebunt tibi, aut mores tui non placebunt nobis : ideo auctoritate Ecclesiæ et Ordinis tibi concedo unum annum, ut tu possis probare mores nostros, et nos mores tuos. Et si tibi placebit nobiscum vivere, et nobis placebit conversatio tua, recipiemus te ad professionem ; alias et nos, et tu erimus in libertate. Conare ergo jugum hoc pro amore Dei libenter ferre, et Magistro tuo in omnibus obedire tanquam mihi.

« Quibus omnibus expletis, Prior dicat : *Adjutorium* » *nostrum in nomine Domini*, etc...

1797. « Si vero recipiendus sit laicus, poterunt » omnia supradicta in Capitulo compleri sine cantu, » omissa Processione, nisi forte propter excellen» tiam recipiendi Prælato aliquando aliud videatur. » (*Process. Formul.*)

### §. V. De modo faciendi professionem.

1798. « Anno probationis expleto, præmissis etiam quæ » secundum jura et statuta Ordinis præmittenda sunt, » Magister Novitiorum ducat Novitium in Capitulum

» ante Priorem, et facta prostratione, et petita mise-
» ricordia Dei et Ordinis, et expositis per Priorem
» austeritatibus Ordinis, ut supra in Receptione Novi-
» tiorum notatum est, et Novitio promittente se illas
» servare velle, Prior dicat: *Dominus qui incœpit*, etc.

1799. « Tunc accedens Novitius genuflectat ante
» Priorem, et Prior accipiat manus Novitii inter ma-
» nus suas, et liber Constitutionum super manus
» utriusque ponatur; et ille qui facit professionem
» clara et intelligibili voce proferet verba prefessionis
» prout hic subnectuntur. »

1800. Ego Fr *N.* facio professionem et promitto obedientiam Deo, et Beatæ Mariæ, et Beato Dominico, et tibi Adm. R. Patri Fratri *N.* Priori hujus Conventus (*N.* talis loci) vice Reverendissimi Patris Fratris *N.* Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, et successorum ejus secundum Regulam Beati Augustini, et Institutiones Fratrum Prædicatorum, quod ero obediens tibi tuisque successoribus usque ad mortem.

1801. Postea surgat Prælatus, et assumpta Stola benedicat Scapulare novum, quod super caput ipsius profitentis debet esse positum, dicendo: ℣. *Ostende nobis. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Jesu Christe, qui tegimen*, etc.

Postmodum aspergatur Aqua benedicta. Solus autem Prælatus recipiat professum ad osculum pacis.

Simili modo profitentur Moniales nostri Ordinis, in lingua tamen vulgari.

## §. VI. De Officio ad ponendum velum Monialibus.

1802. « Finita Missa quæ de Spiritu sancto cantari
» debet (V. n.° 361.) cum Oratione secunda: *Quæsumus, Domine*, (vid. Process.) factaque professione modo
» supra dicto, Cantorissa dicat semel incipiendo An-

» tiphonam : *Veni, sponsa Christi;* et Sacerdos in medio » super gradus Presbyterii, verso vultu ad Conven- » tum, similiter incipiat eamdem Antiphonam : *Veni,* » *sponsa Christi* : et deinde vadat ad medium Eccle- » siæ, et repetat iterum : *Veni, sponsa Christi.* Si vero » Crates stent prope Altare, repetat eam pariter su- » per gradus Presbyterii, ex ea parte Altaris quæ » est versus Crates.

» Deinde accedat ad Crates et similiter tertio dicat : » *Veni, sponsa Christi,* sicut prius ; et Conventus eam » prosequatur.

1803. « Dum cantatur Antiphona exeat Conven- » tus processionaliter, præcedentibus Ceroferariis ; et » Soror, cui debet imponi velum, cum duabus Sorori- » bus immediate post Acolythas, quæ deferentes ce- » reos accensos, veniant ad Altare, et Conventus stet » processionaliter in Ecclesia interiori, et ipsa flectat » genua coram Altari super aliquo pulvinari a Sa- » crista præparato ; et Chorus dicat super ipsam ge- » nua flectentem, si virgo fuerit, Psalmum *Eructavit.* » Si non fuerit virgo, dicatur : Ps. *Benedixisti.*

1804. « Finito Psalmo, reincipiat Sacerdos Antipho- » nam : *Veni, sponsa Christi,* Cantorissa ei deferente; » et Chorus prosequatur. Finita Antiphona, Sacerdos » dicat hos Versiculos : *Audi, filia,...* ℟. *Et obliviscere.* ℣. *Et concupiscet Rex...* ℟. *Quoniam ipse est..* ℣. *Ipse....* ℟. *Nequando.* ℣. *Domine, exaudi. Dominus vobiscum* et Orationem *Dominus Jesus,* et tres alias sequentes, ad quas Chorus respondeat : *Amen.*

« Deinde fit Benedictio veli et veletur Soror dicendo » Orationem : *Accipe.* Dum velatur Soror, cantetur » a Choro Ant. *Posuit.*

« Deinde Sacerdos dicat Orationem : *Benedicat,* etc.; ad cujus partes singulas respondeat Chorus : *Amen.* Qua dicta , subjungat Sacerdos Orationem : *Propitietur,* etc.

1805. « His terminatis, Cantorissæ incipiant Re-
» sponsorium *Amo Christum*, et Conventus ipsum
» prosequatur ex integro cum Versu, et resum-
» ptione.

« Dum ℟. cantatur, noviter velata jacebit prostrata
» coram Altari super pulvinar : Sorores, quæ cum ea
» venerunt, ex utraque parte prope eam flectentes
» genua; et finito Responsorio elevantes eam, fle-
» ctant genua sicut prius; tunc Sacerdos dicat :
℣. *Salvam fac..* ℟. *Deus meus.* ℣. *Mitte ei.* ℟. *Et de Sion. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus : Adesto, etc.* Qua dicta detur Benedictio : *Benedictio Dei omnipotentis*, etc.

1806. « Responso *Amen*, Cantorissa incipiat, si no-
» viter velata fuerit virgo, Antiphonam *Ista est.*

« Dum cantatur Antiphona, Sacerdos cum Ministris
» revertatur ad Altare, et noviter velata cum Sorori-
» bus prædictis, præcedentibus Ceroferariis, reverta-
» tur ad Chorum.

« Finita Antiphona, a Ceroferariis, vel ab aliis qui-
» bus Cantorissa injunxerit, coram Altari Beatæ
» Mariæ Virginis stantibus, dicatur : ℣. *Ab occultis*
» *meis..* ℟. *Et ab alienis..* ℣. *Afferentur.* ℟. *Proximæ.*

« Et Sacerdos versus ad Chorum, præmisso *Oremus*,
» sine *Dominus vobiscum*, dicat Orationem : *Famulam*
» *tuam...* ℟. *Amen.*

1807. « Si autem noviter velata non fuerit virgo,
» loco Antiphonæ *Ista est virgo*, dicantur Antiphonæ
» *Ipsi sum*, *Annulo*, *Induit*, quæ, si necesse fuerit re-
» petantur quousque Sorores collocentur in locis suis.
» Tunc Acolythæ, stantes ante Altare usque ad finem
» Missæ, dicant : ℣. *Diffusa est..* ℟. *Propterea..*, etc.

« Et Sacerdos dicat Orationem : *Famulam tuam*, etc.»
(*Process.*)

## §. VII. De modo promovendi ad Magisterium sacræ Theologiæ.

1808. Cum aliquis Frater promovendus est ad gradum Magisterii in Sacra Theologia, convocatis Fratribus, Promotor, hoc est Provincialis vel aliquis Pater gravis, habeat annulum et birretum nigrum paratum, et sedens expectet promovendum : qui flexis genibus ad pedes Promotoris interrogetur ab eo : *Quid petis?* — Et respondeat humiliter : *Peto promoveri ad gradum Doctoratus et Magisterii S. Theologiæ.*

Promotor : *Promittis tenere, servare, docere et defendere doctrinam sanam et catholicam juxta terminationem S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ?*

Promovendus : *Promitto, et spondeo in hac forma :*

1809. *Professio fidei juxta formam Bullæ Pii Papæ IV.*

Ego Fr. *N.* firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem,

qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto: nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque, septem esse vere, et proprie Sacramenta novæ Legis, a Jesu Christo Domino instituti, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera

tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata. indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retineri, confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri doceri et prædicari, (quantum in me erit) curaturum. Ego idem Fr. N. spondeo, voveo, ac juro. Item juro me non recessurum a solida angelici Præceptoris S. Thomæ doctrina. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

1810. Deinde legi poterunt Litteræ institutionis a

R^mo Magistro Ordinis emanatæ. Quibus lectis dicat Promotor : *Quoniam sapientiam vocasti amicam et amator formæ illius quæsisti eam tibi sponsam assumere, ecce Deus dat tibi eam sponsam, ut semper tecum sit et cor tuum, possideat. In signum ergo, accipe annulum in manu tua et ego auctoritate mihi commissa instituo, creo, et facio te Doctorem et Magistrum in S. Theologia, doque tibi potestatem et facultatem publice legendi, docendi, interpretandi, exponendi et declarandi sacram Theologiam. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

1811. Deinde surgat Promotor, et faciat Promovendum sedere in sella sua dicens : *Promoveo te ad gradum magisterii sacræ Theologiæ, annumerans te consortio, Doctorum et Magistrorum dictæ facultatis : ita collocet et sedere te faciat Dominus cum principibus, ut solium gloriæ teneas.*

Deinde imponat birretum capiti ejus dicens : *Accipe infulam, seu birretum nigrum, insigne Magisterii : sic ornet te Deus corona gloriæ.*

Deinde elevet eum, et dans ei osculum dicat : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni ; crescere te faciat Dominus in millibus, et benedicat tibi in sæcula sæculorum. Amen.*

Dentur inde Litteræ patentes novo Magistro, in quibus inscribantur dies et annus promotionis, et de emissione professionis fidei fiat attestatio.

### §. VIII. Ritus servandus communiter in receptione ad habitum et professionem in Tertio Ordine de Pœnitentia B. P. N. Dominici. (1)

1812. Quando in privato, extra Fraternitatis Congregationem, fit receptio, sive ad habitum sive ad professionem, serventur ea quæ sequuntur.

(1) Ex *Manuali* auctore R^mo Fr. Alex. V. Jandel Magistro Ordinis.

Facultatem habens qui recipit, sive a R.mo P. Magistro Generali, sive ab A. R. P. Provinciali, induat Cappam Ordinis, et Stolam competentis coloris, accedatque ad Altare cum Ministro deferente cereum et Aquam benedictam. Tunc accendantur duo cerei Altaris, et habitus benedicendus ponatur in cornu Epistolæ.

Genuflexo, qui recipiendus est, Sacerdos dicat (si vult) in vulgari lingua : *Quid petis?*

Illo autem respondente : *Misericordiam Dei et vestram*, Sacerdos, si vult, recipiendum pie exhortatur.

Quo facto, benedicit habitum prout sequitur : (si vero fiat professio, omissa benedictione habitus, immediate dicat Hymnum : *Veni Creator*).

℣. *Ostende nobis*, etc. ℟. *Et salutare*, etc.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.* — *Domine Jesu Christe, qui tegimen*, etc.

Aspergatur habitus Aqua benedicta; aspergatur etiam recipiendus a Sacerdote dicente :

*Aspergat etiam te Dominus*, etc. ℟. *Amen.*

1813. Tunc detur recipiendo cereus accensus; Sacerdos vero versus ad Altare dicat cum Ministro, flexis genibus ad primam Strophem, Hymnum *Veni, Creator*... etc. cum Versiculis seq.

℣. *Emitte Spiritum*, etc. ℟. *Et renovabis*, etc.

℣. *Ora pro nobis, Beate Pater Dominice.* ℟. *Ut digni*, etc.

℣. *Lætamini*, etc. ℟. *Et gloriamini*, etc.

℣. *Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam).* ℟. *Deus*, etc.

℣. *Dominus vobiscum.* — ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Quatuor Orationes dicuntur, sive ad vestitionem, sive ad professionem, videlicet : prima *Deus qui corda*, et ultima *Prætende*, etc., cum duabus intermediis *Concede*, etc., et iterum *Concede* quæ variantur secundum casus.

Si autem plures personæ, aliæ ad habitum, aliæ ad professionem simul recipiantur, post Orationes, quæ susceptionis habitus propriæ sunt, dicuntur illæ, quæ

professionis propriæ sunt. Idem observetur post *Te Deum.*

1814. — Ad habitum. Orationibus finitis, Sacerdos cingat Novitium dicens : — *Præcingat te Dominus zona justitiæ, et cingulo puritatis, quo valeas multiplicitates hujus sæculi in unius Dei amorem colligere, et sub jugo rationis, et divinæ voluntatis imperio vinctos rebelles affectus subditos continere.* — ℟. *Amen.*

1815. — Ad professionem. Orationibus finitis, Novitius faciat professionem, stante ante illum Sacerdote, hoc modo :

*Ad honorem Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatæ Virginis Mariæ, et sancti Dominici, tibi Patri...* N... (*vice R.*^mi *Matris N...*) *facio professionem, et promitto vivere secundum Regulam Tertii Ordinis Fratrum, et Sororum de Pœnitentia sancti Dominici usque ad mortem.*

1816. Postea Sacerdos recipiat Fratrem ad osculum pacis ; Sorori vero tradat inferiorem partem Stolæ, vel Scapularis osculandam ; deinde vertens se ad Altare dicat cum Ministro alternatim Canticum. *Te Deum...* etc. cum Versiculis et Orationibus.

℣. *Benedicamus Patrem*, etc. ℟. *Laudemus*, etc.

℣. *Ora pro nobis, Beate Pater Dominice.* ℟. *Ut digni*, etc.

℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie*, etc.

℣. *Dominus vobiscum.* — ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.* — *Deus, cujus misericordiæ*, etc. 2ª Oratio *Deus qui...* 3ª *Domine Jesu Christe ;* — Ad professionem vero 2ª Oratio *Odorem*, 3ª *Deus qui renuntiantibus...*

Deinde receptum aspergat Aqua benedicta in modum Crucis, dicens : — *Benedictio Dei omnipotentis*, etc.

— Postea novitio nomen novum imponat, et si voluerit, aliqua verba exhortationis subjungat, versusque ad Altare dicat : ℣. *Adjutorium*, etc.

— Scribatur professio in libro ad hoc deputato, et detur Fratri instrumentum professionis suæ.

Si autem facienda sit receptio solemnis coram cæteris Fratribus congregatis, serventur quæ in libro manuali habentur, pro consuetudine locorum.

## §. IX. De ritu induendi puerum vel puellam ex devotione vel voto habitu Ordinis.

1817. Sacerdos cum Stola, accedens ad Altare, astante puero (vel puella) benedicat vestimenta hoc modo : ℣. *Adjutorium*, etc. ℣. *Domine exaudi.* Oratio. *Domine Jesu Christe.* Deinde Sacerdos aspergat vestimenta et puerum (vel puellam) Aqua benedicta; postea eum exuens vestimentis sæcularibus dicat : *Eripiat*, etc. Postea induat eum tunica et dicat : *Immittat tibi*, etc. Postmodum cingat eum dicendo : *Præcingat te Dominus*, etc. Postea ponat ei Scapulare et dicat : *Induat te Dominus*, etc. Deinde vestiens eum Cappa, dicat : *Induat te*, etc. Postea dat ei candelam accensam in manibus et dicat Psalmum *Laudate pueri Dominum*, Versiculum *Ostende ; Dominus vobiscum*, et Orationem *Domine Jesu Christe.*

1818. Qua finita puerum ad Altare offerat et dicat : *Confirma*, etc. Poterit deinde dicere Orationem de Beata Virgine et Orationem de B. P. N. Dominico. Postea benedicat circumstantes dicens : *Benedictio Dei omnipotentis*, etc.

1819. Ordo ad exuendum puerum (vel puellam), cum per annum vel plus portaverit habitum præfatum ex voto vel devotione, talis est : Sacerdos cum Stola veniens ad Altare, præsentatum sibi puerum a parentibus accipiens, eum exuendo habitu Ordinis dicat : *Reddite vota vestra*, etc. Deinde Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* integrum. Postea deponet habitum super Altare, vel donet parentibus si voluerit, et dicat : *Adjutorium*, etc. *Domine exaudi.*. *Dominus vob. Oremus. Domine Sancte Pater.* Deinde omnibus benedi-

cat dicens : *Benedictio*, ut supra. Postea aspergat eos Aqua benedicta, et eant in pace. (*Miss. loc. pr.*)

### §. X. De forma instituendi Confraternitatem SS. Rosarii et recipiendi solemniter Christi fideles ad dictam societatem, aliasque Confraternitates Ordinis.

1820. Cum instituenda fuerit Confraternitas SS. Rosarii sequens forma servari poterit : Post Concionem, cæteris de jure præmissis , Sacerdos indutus Stola , versoque vultu ad Altare SS.mi Rosarii dicat :

*Ego Frater N. N. S. Ord. Prædicatorum, auctoritate mihi concessa ab admodum R. P. Fr. N. N. Priore Conventus N. in cujus districtu sita est præsens Ecclesia, nomine Reverendissimi Patris N. N. Magistri Generalis totius Ordinis Prædicatorum, instituo et erigo Societatem SS.mi Rosarii Dei Genitricis Virginis Mariæ, in hac Ecclesia sancti N. loci vulgo dicti N. eamque institutam et erectam declaro cum omnibus gratiis,privilegiis et indulgentiis quibus hujusmodi Societates potiri, frui et gaudere solent : ad laudem et honorem omnipotentis Dei, Beatæ semper Virginis Mariæ sanctissimi Rosarii Reginæ, ac Beati Dominici Patris nostri, ejusdem auctoris et inventoris, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei, ad animarum salutem. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen.*

1821. Cum autem occasione institutionis prædictæ, aut alia opportuna, fideles recipiendi erunt solemniter ad dictam Confraternitatem , sequens ritus poterit observari. Qui recipiendi sunt, habeant Rosarium , et cereum, et versus Altare Sanctissimi Rosarii accedentes , genua flectant ; Sacerdos vero indutus Stola albi coloris, verso vultu ad recipiendos dicat :

℣. *Adjutorium*, etc. ℟. *Qui fecit*, etc.
℣. *Domine, exaudi*, etc. ℟. *Et clamor...*
℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui per mortem Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte æterna liberares, et ad gaudia cœlestis regni perduceres; respice, quæsumus, super hos famulos tuos, qui inter filios, et Confratres Societatis Beatissimæ Virginis sacratissimi Rosarii connumerari desiderant, et per merita ejusdem Genitricis Dei, effunde super illos benedictionem tuam, quatenus benedicti sic in hoc sæculo vivant, ut inter oves dexteræ tuæ in perpetuum collocari mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

1822. Si cerei, vel Rosaria, etc., non fuerint benedicta, tunc benedicantur. Deinde subjungit Sacerdos :

*Auctoritate qua fungor, et mihi a Reverendissimo Patre Magistro Generali Ordinis Prædicatorum tradita, ego admitto vos Confraternitati Sanctissimi Rosarii, et recipio ad participationem indulgentiarum ejus, quæ per sanctam Sedem Apostolicam concessæ fuerunt : item participes vos facio omnium bonorum spiritualium totius sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, sicut et omnium aliorum bonorum spiritualium, et operum, quæ passim, cooperante Dei gratia, a Fratribus, et Sororibus Societatis sanctissimi Rosarii per universum mundum peraguntur. In nomine Patris, ✝ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Aspergantur recepti Aqua benedicta : quo facto, Sacerdos tradat singulorum manibus Rosarium benedictum, dicens :

*Accipite signum Dei viventis, ab ipsa sanctissima Virgine sic nuncupatum, ut sit vobis pignus et medium ad vitam æternam promerendam. Amen.*

Deinde singulis osculandam porrigat extremitatem Stolæ, vel sui Scapularis, et versus ad Altare dicat : *Adjutorium*, etc. ℟. *Qui fecit*, etc.

Receptorum nomina scribantur in libro ad hoc deputato.

1823. Data opportunitate recipiendi solemniter ad aliquam Confraternitatem Ordinis, vel aliam, sequens ritus servari poterit :

Genuflexis, qui recipiendi sunt, cereumque accensum deferentibus, Sacerdos rite delegatus Superpelliceo, Stolaque indutus ante Altare dicat Hymnum *Veni Creator*, cum ℣. *Emitte Spiritum* et Oratione *Deus qui corda*, etc.

Deinde conversus ad recipiendos, dicat :

*Auctoritate mihi concessa, ego vos recipio et adscribo Confraternitati* (SS. Nominis Jesu, vel SS. Sacramenti, vel militiæ angelicæ) *vosque participes facio omnium gratiarum, privilegiorum bonorumque spiritualium ejusdem Confraternitatis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Deinde dicitur *Te Deum*, cum Versiculo *Benedicamus Patrem*... etc., et deinde : ℣. *Dominus vobiscum*, etc. *Oremus. Deus cujus misericordiæ non est numerus.*

Scribantur nomina receptorum in libro ad hoc deputato.

## §. XI. De modo recipiendi ad beneficia Ordinis.

1824. « Cum aliquis petit recipi ad beneficia, si fue-
» rit talis persona, propter quam dignum sit convo-
» cari Conventum, provideat Prior de aliquo Fratre
» vel Fratribus qui associent eum in locutorio vel
» alio loco apto, et interim convocetur Conventus.
» Congregatis autem Fratribus, et Priore in Capitulo,
» unus Fratrum cui injunctum fuerit vadat ad du-
» cendum illum qui fuerit recipiendus. Ipso ingre-
» diente, si fuerit Episcopus vel Persona multum
» excellens, assurgat Prior, et procedat aliquantulum
» obviam ei ; Fratres vero stent in locis suis. Post-
» modum, si ipse sustinuerit, collocet eum in loco

» suo, si fuerit Rex, vel alia Persona multum excel-
» lens, ut sunt Episcopi, Cardinales legati, et ipse
» juxta eum remaneat. Si vero non sustinuerit, Prior
» remanens in loco suo collocet eum juxta se.

» Si vero non fuerit talis Persona cui sit assurgen-
» dum, Frater qui cum ea ingreditur ducat eam usque
» ad Prælatum, et tunc collocet eam Prælatus juxta se,
» si sibi visum fuerit. Porro in assurgendo Conventus
» imitetur Priorem, cujus discretio videat quando fa-
» ciendum fuerit.

1825. « Tunc si talis est Persona, quæ scit et velit
» proponere petitionem suam proponat, vel sedendo,
» vel stando secundum providentiam et moderationem
» Prælati. Si vero non vult proponere, vel minus idonea
» fuerit ad proponendum, Prior proponat Conventui
» vice ejus petitionem suam. Proposita petitione ejus,
» sive, ab illa, sive a Priore, et ipsa residente, osten-
» dat Prior Conventui quantum teneantur Fratres ei,
» explicando prout poterit cum bona conscientia, quam
» devota sit Ordini illa Persona, et quam benefactrix,
» et quam exaudienda in sua petitione, propter fidem
» quam habet in orationibus Fratrum, et propter ma-
» gnum bonum quod consequi potest de bono statu et
» vita ipsius, si fuerit Persona sublimis, et alia hujus-
» modi quæ eam possunt ædificare, et Fratres excitare
» ad libenter orandum pro ea.

1826. « Quo facto Prior dirigens sermonem ad Perso-
» nam illam dicat, quod ipse, et Fratres libenter volunt
» annuere petitioni suæ. Deinde surgat Prior et Fra-
» tres; et Prior, sumpto libro Regulæ et Constitutio-
» num sibi a Sacrista præparato et aperto, stet, et ponat
» Persona recipienda manus suas super librum flexis
» genibus, vel stando, si fuerit Persona sublimis.

« Tunc incipiat Psalmum, *Ad te levavi*, dicente Priore
» unum Versum, et Conventu alium. Finito Psalmo et
» dicto *Gloria Patri. Kyrie eleison. Pater noster*, dicat

» Prior : *Et ne nos. ℣. Salvum fac, vel salvam fac. Domi-*
» *nus vobiscum. Oremus. Prætende Domine*, etc. ℟. *Amen*.
» tunc Prior dicat illi Personæ :

« *Ego ex parte mihi concessa in Conventu isto, do vobis*
» *participationem in omnibus bonis quæ Dominus dederit*
» *fieri per Fratres hujus Conventus, sive sint Missæ, sive*
» *Orationes, vel jejunia, vel abstinentiæ, vel vigiliæ, vel*
» *prædicationes, vel labores alii, seu alia quæcumque bona,*
» *et ad omnia ista recipio vos, in nomine Patris et*
» *Filii et Spiritus Sancti;* et Conventus respondeat,
» *Amen*, et ipse osculetur librum. »

1827. — « Si vero Persona petens beneficia sit talis
» quod non deceat propter suam excellentiam ponere
» manum super librum, sicut est Imperator, Rex, Car-
» dinalis, vel Episcopus aut hujusmodi : tunc, dimissa
» solemnitate de Orationibus et de libro, poterit Prior
» injungere aliquas orationes spirituales pro eo in ejus
» præsentia, vel dicere se injuncturum, et nihilominus
» dicere supradicto modo quod ad bona omnia prædi-
» cta recipit eum. Poterit autem post ista, si visum
» fuerit, secundum conditionem Personæ, Prior ei re-
» gratiari de dilectione, quam habet ad Ordinem, et
» recommendare ei Ordinem, et Fratres suis orationi-
» bus, maxime si sit spiritualis Persona vel religiosa.

1828. « Si vero Persona recipienda non fuerit ad Ca-
» pitulum ducenda, si est mulier magnæ nobilitatis,
» poterit convocari Conventus ad Ecclesiam exteriorem,
» et ibidem poterunt omnia prædicta fieri, alioquin
» Prior cum aliquo Fratre, vel aliquibus, potest reci-
» piendam recipere, dimisso de prædicta solemnitate
» quidquid sibi videbitur dimittendum. Si vero reci-
» piendi sint plures, eadem forma servetur, mutato
» numero et sexu in Oratione secundum exigentiam
» recipiendorum.

1829. « Si ille qui recipit non sit Prior conventualis,
» sed vices ejusgerens forma prædicta servetur. Si vero

» sit Prior Provincialis vel Magister, idem servetur
» cum tali applicatione quod Prior Provincialis recipit
» ad beneficia Provinciæ, Magister vero ad beneficia
» totius Ordinis.

1830. « Si vero super his sunt litteræ faciendæ (quod
» non est facile concedendum, nisi magna causa hoc
» requirat) fiant hoc modo, præmissa salutatione : *Exi-*
» *gente piæ devotionis affectu quem ad Ordinem no-*
» *strum habetis, vel habet vestra Nobilitas , vel vestra*
» *Excellentia , vel Paternitas vestra , concedimus vobis*
» *per præsentes participationem in omnibus bonis vide-*
» *licet, Missis, jejuniis, orationibus, abstinentiis, vigi-*
» *liis, laboribus, prædicationibus, cæterisque hujusmodi*
» *quæ per Fratres nostros in hoc Conventu, vel Pro-*
» *vincia, vel toto Ordine ubique terrarum fieri dederit*
» *Auctor bonorum omnium Dei Filius Jesus Christus.*
» *Data tali loco, tali die.*

» Quando autem major gratia fuerit facienda , po-
» terit ante datam poni talis clausula : *Ordinantes ni-*
» *hilominus et volentes, ut in Capitulo nostro Provin-*
» *ciali, vel in Capitulo nostro Generali, post decessum*
» *vestrum anima vestra Fratrum orationibus devote re-*
» *commendetur, si ibidem obitus fuerit nunciatus.*

« Si vero major gratia sit facienda, poterit addi
» tantum hæc clausula : *Ut tantum pro vobis fiat a Fra-*
» *tribus nostri Conventus, vel nostræ Provinciæ, vel no-*
» *stri Ordinis, quantum pro uno Fratre defuncto commu-*
» *niter in nostro Ordine fieri consuevit. Data, etc.* »
(*Ord.*)

## ARTICULUS III.

### DE CAPITULIS.

#### §. I. De Oratione pro Capitulo generali et pro pergentibus ad illud.

1831. « Die Lunæ post Octavas Paschæ, et deinceps usque ad sextam Feriam ante Pentecosten » inclusive, omni die, nisi Festum sit Totum Duplex, » finito *Pater noster*, quod dicitur post Nonam, vel » post Officium mortuorum si fiat a Conventu imme- » diate post Nonam, dicatur Psalmus : *Ad te levavi*, » ab utroque Choro alternatim cum *Gloria Patri*, » Cantore ex parte Hebdomadarii incipiente : postea » Antiphona *Veni Sancte Spiritus;* deinde *Kyrie eleison*. » *Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster*. Quo dicto » subjungat Hebdomadarius legendo : *Et ne nos.* ℣. » *Emitte.* ℣. *Salvos fac. Dominus vobiscum. Oremus.* » *Deus qui corda. Adesto Domine supplicationibus*, et » terminetur sub uno *Per Christum*. Fratres vero qui » non sunt in Choro nihilominus idem debent dice- » re. » (*Ord.*)

#### §. II. De Processione generali Capituli Generalis aut Provincialis.

1832. Hæc Processio, ubi potest celebrari, majori qua poterit solemnitate fiat.

Scribantur sigillatim omnes Fratres juxta gradus suos et locum professionis ; provideatur de via per quam Fratres processionaliter transire, vel de loco Stationis, si alicubi pausare debent.

Ordinetur ubi cantari debet Missa; et pariter qui Hymni, vel Psalmi cantandi erunt ; fiantque plures

ordines Cantorum : omnes vero, tam Cantores quam alii, sint rasi.

1833. Fiant Directores Processionis, qui prævideant viam, et cum silentio Fratres corrigant. Sint aliqui Fratres parati ad deferendas Reliquias Sanctorum; et insuper scribantur alii duodecim Fratres, qui, parati sacris Indumentis, incedant in fine Processionis. Sint in Processione duæ Cruces cum quatuor Acolythis : una in principio, alia in medio.

1834. Publicetur Processio in Concione, et ante Processionem, Provincialis intret Capitulum et Fratribus declaret modum Processionis, et hos hortetur ut discrete et honeste incedant, et disponat quod judicaverit mandandum pro recto ordine Processionis.

Inter Missarum solemnia fiat sermo.

Si Missa fuerit celebrata extra Conventum, omnes redeant processionaliter ad Ecclesiam nostram eodem ordine quo venerunt. (*Ex Cærem. et Formul.*)

## §. III. De solemni celebratione Capituli.

1835. Cum in Feria II. post Pentecosten, vel in ipso eodem Festo, Fratres in Capitulum venerint, primo omnium invocetur Spiritus Sanctus, a quo Filii Dei aguntur, et dicatur ℣. *Emitte Spiritum tuum*, etc., cum Collecta de Spiritu Sancto. Deinde residentibus Fratribus et loca sua tenentibus, ut verbo Dei cœli firmentur, verbum Dei in communi fiat. Sermoni autem interesse poterunt qui ad ædificationem interesse voluerint.

1836. Finito sermone, quia indigentibus quantocius subveniendum est, obitus Fratrum post præcedens Capitulum Defunctorum in communi recitentur, et fiat eis communis Absolutio,et dicatur pro eis Psalmus

*De Profundis, Kyrie eleison, Pater noster, A porta...* Oratio *Absolve.* (Vid. Collect. p. 326.)

1837. Postmodum, si litteræ legendæ sunt legantur; et eis suo tempore cum consilio respondeatur. Perlectis autem litteris ac facta recommendatione vivorum dicatur Psalmus *Ad te levavi*, etc. *Kyrie eleison, Pater noster*, etc. ℣. *Salvos fac* et Oratio *Prætende*, etc. (Vid. Collect. p. lvj.) Et tunc omnes qui non sunt de Capitulo egrediantur.

1838. In fine Capituli, fiat communis Confessio et Absolutio, et perseverantibus Benedictio.

Et hæc eadem forma in Capitulo Provinciali similiter observetur. (*Const. Dist. II. C. IX.*)

### §. IV. De electione Magistri Ordinis.

1839. Instante electione Magistri Ordinis injungendæ sunt Orationes privatæ Fratribus per totum Ordinem, et nihilominus ipso die electionis prius celebranda est in quolibet Conventu totius Ordinis Missa de Spiritu Sancto, cum Orationibus de Beata Virgine, et de Beato Dominico. (V. nº 1578.)

Completa Missa in Conventu, in quo celebratur electio, et inclusis electoribus, Fratres qui non habent alias necessarias occupationes bonum est ut vacent Missis, et Orationibus, quandiu electores morantur in electione.

1840. Electores vero inclusi, antequam procedant ad electionem, dicant flexis genibus, sine cantu, Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, cum *Kyrie eleison, Pater noster.* ℣. *Emitte. Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui corda.* Et terminetur *Per Christum*, Priore Provinciali qui primum locum tenuerit dicente unum Versum Hymni, et Orationem; et deinde procedatur ad electionem.

1841. Qua facta, convocato Capitulo, et recitato processu ibi coram Fratribus a prædicto Provinciali breviter et summatim, Cantor incipiat: *Te Deum*, quod Fratres devote prosequentes vadant ad Chorum non servato Processionis ordine. Duo vero Priores Provinciales, qui primum locum tenuerint, unus ad dextram Magistri, si præsens fuerit, et alius ad sinistram, ducant ipsum ante gradum Altaris, ubi, flexis genibus, prostratus maneat quousque infrascripta Oratio terminetur.

Finito *Te Deum*, immediate primus Prior de duobus prædictis dicat: ℣. *Salvum fac. Dominus vobiscum. Oremus. Concede quæsumus*, eo modo quo dicuntur Orationes ad Horas diei, terminando Orationes *Per Christum*. Postmodum vero prædicti Provinciales erigant eum, et ducant ad Chorum, et collocent in sede sua.

1842. Interim pulsata iterum Campana pro Capitulo postquam Magister fuerit in sede sua, conveniant Fratres in Capitulo sine Processionis ordine, Magistro ultimo eunte. Cum in Capitulum venerint, Magister sedens in sede sua, Fratrum orationibus se recommendet, et alia si voluerit proponere, proponat.

1843. Si vero præsens non fuerit Magister, nihilominus post electionem convocato Capitulo, et recitato processu cantetur *Te Deum*, et eatur ad Chorum, et dicatur Versiculus cum Oratione; non tamen oportet Fratres ad Capitulum convenire secundo. (*Ordin.*)

### §. V. De electione Prioris Provincialis.

1844. Instante vero electione Prioris Provincialis injungantur Orationes privatæ, faciendæ per totam Provinciam ante diem electionis, vel ipso die, si certa dies fuerit ad hoc statuta. In Conventu autem in quo celebratur electio, cantetur Missa de Spiritu

Sancto, et fiat in Capitulo invocatio Spiritus Sancti sicut supra de electione Magistri Ordinis dictum est.

1845. Completa vero electione, Fratribus convocatis ad Capitulum, recitatoque processu breviter ab eo cui competit, Cantor incipiat Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, in ea voce qua solet dici ad *Pretiosa*; et Conventus prosequatur Psalmum cum *Gloria Patri*, dextro Choro dicente primum Versum. Quo finito, sine *Kyrie eleison*, et sine *Pater noster*, Vicarius Prioris Provincialis, si non est electus, alias Prior Conventualis, vel qui primum locum tenet, dicat legendo : ℣. *Confirma hoc Deus. Dominus vobiscum*, et Orationem prædictam *Concede quæsumus*, etc. Et deinde dicat, *Adjutorium nostrum*; et sic discedant Fratres, nisi Prior vel electus (si præsens fuerit) eos voluerit retinere.

1846. In electione Prioris Conventualis idem fiat : (*Process.*) excepto quod dicatur legendo Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes*, dextro Choro dicente primum Versum. Postea qui tenet Capitulum dicat, *Adjutorium*, etc. (*Ord.*)

## §. VI. De Capitulo quotidiano.

1847. Finitis Matutinis, teneatur Capitulum, vel aliquando post Primam, vel etiam intermittatur, (secundum declarationes Capitulorum generalium), ne studium impediatur. Ingresso Conventu Capitulum, sedentibus Fratribus, Lector pronunciet Lunam et quæ de Calendario pronuncianda sunt. (V. n° 292, 600, et 925.)

1848. Responso a Choro in fine Lectionis, *Deo gratias*, subjungat Hebdomadarius stans versus ad Chorum, surgentibus Fratribus, capite discooperto : *Pretiosa est*, etc. Deinde dicat, sine *Dominus vobiscum* et sine *Oremus*, Choro inclinante ad genua : *Sancta Maria*, etc. ℟. *Amen*.

Postea dicat ter : *Deus in adjutorium*, erecto Choro

verso ad invicem et respondente : *Domine*, etc. Quo dicto subjungatur ab omnibus inclinantibus usque ad genua *Gloria Patri*, etc... *Kyrie eleison*... *Pater noster* secreto et inclinando profunde. Deinde dicat Hebdomadarius : ℣. *Et ne nos*. ℟. *Sed libera*. ℣. *Respice*, etc. ℟. *Et sit*, etc. Deinde sequitur Oratio, dicenda eo modo quo dicuntur Orationes ad Horas, sine *Dominus vobiscum* et sine *Oremus* : *Dirigere*, etc....

1849. Qui legit Calendas dicat : *Jube Domne*, etc... et detur Benedictio ab Hebdomadario (V. n° 295.), et legatur de Evangelio aut de Constitutionibus, prout supra dictum est (n° 296) : hoc observato quod dum legitur Evangelium stent Fratres discooperto capite; dum autem legitur de Constitutionibus sedeant, et cooperiant caput.

1850. Terminata Lectione per *Tu autem*. ℟. *Deo gratias*, ille qui dixit Lectionem immediate subjungit eodem tono : *Obitus* vel *Anniversarium* si fuerit legendum, vel *Commemoratio Fratrum*, etc... si non fuerit, et dicatur a Prælato, vel ab Hebdomadario, (V. n° 1098) eodem tono quo supra : *Requiescant in pace*. Responsoque *Amen* a Conventu, (si non fuerit Capitulum solemne,) Cantor vel Succentor, juxta ordinem hebdomadæ incipiat Psalmum *Laudate*, quem uterque Chorus alternatim dicat per Versus ; subjungatque Hebdomadarius Versiculos : *Ostende nobis*, etc., *Domine exaudi*, etc., *Dominus vobiscum*, et Orationem *Actiones*. Postea dicat qui præest : *Adjutorium*, etc.; si fuerit in Choro, et non sequatur alia Hora, dicatur : *Fidelium*, *Pater noster*, etc., ut in terminatione Horarum ; addaturque *De Profundis* si recitatus fuerit Obitus vel Anniversarium. (V. n° 300).

1851. Quod si tunc tenendum est Capitulum, qui illud tenere debet, dicto *Requiescant in pace*. ℟. *Amen*, antequam incipiatur Ps. *Laudate*, dicat, inclinando se : *Benedicite*, et respondebit Conventus : *Dominus*, et omnes inclinent caput.

1852. Si sit Capitulum solemne, et in eo faciendus sit sermo præsentibus extraneis, ipse Prælatus incipiat Ps. *Laudate;* Conventuque prosequente, cætera addantur ut supra antequam sermo fiat.

1853. Si autem extranei interesse non debuerint, dicto *Benedicite*, etc. et propositis, si quæ tunc voluerit Prælatus proponere, dicat : *Surgat qui debet facere sermonem*, et ille surgens veniat ante eum, et flexis genibus et inclinato capite petit ab eo Benedictionem dicendo : *Jube Domne benedicere;* et datur ei a Prælato Benedictio : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ad pronuntiandum digne et fructuose verba sua sancta. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.* Qua recepta, eat ad locum ubi faciendus est sermo.

1854. Finito sermone, si velit aliqua subjungere, Prælatus subjungat ; et cum finem fecerit dicendi, incipiat Psalmum *Laudate*, et quæ sequuntur de *Pretiosa* dicantur.

1855. Si vero faciendum sit Capitulum de culpis, fiant Orationes pro Benefactoribus hoc modo : Dicto *Benedicite*, ut supra, subjungat Prælatus : *Recitentur beneficia quæ sunt recitanda*. Quo facto, sedeant omnes, et commendatis quæ commendare habuerit vel voluerit Prælatus surgens, surgentibus et cæteris omnibus, dicat sine *Oremus : Retribuere*, etc., (V. n.° 766.)

1856. Deinde Cantor vel Succentor pro ordine Hebdomadæ incipiat Ps. *Ad te levavi*, et Conventu per Choros Versus alternatim prosequente, dicatur totus, et terminetur per *Gloria*. Deinde sequatur Ps. *De profundis*, eodem modo dicendus, et terminandus per *Requiem*. Postea dicitur communiter : *Kyrie eleison*, etc. *Pater noster*, omnibus profunde inclinantibus. Quo dicto secreto, subjungat Hebdomadarius : ℣. *Et ne nos. Oremus pro... Salvos...* ℣. *Requiescant... Dominus vobiscum*, et tres Orationes : *Omnipotens*, *Prætende*, *Fidelium*, eo modo quo dicuntur Orationes ad Horas, et terminentur sub uno : *Qui vivis*. (*Collect.*)

1857. Terminatis Orationibus, sedentibusque omnibus, Prælatus poterit dicere breviter si quid ad honestatem Ordinis et correctionem Fratrum viderit expedire. Post hæc autem egrediantur Novitii ; quibus egressis dicat qui præest : *Faciant venias suas qui se reos existimant.* Continuo qui se reos intellexerint, prostrati veniam petant. Deinde surgentes humiliter confiteantur culpas suas, (*Const. ibid.*) factaque accusatione iterum veniam faciant et accepta pœnitentia, surgant.

1858. Auditis vero culpis, dicatur Ps. *Laudate Dominum omnes gentes*, et cætera ut supra. In fine dicat Prior : *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ℟. *Qui fecit*, etc., et sic solvitur Capitulum.

## §. VII. De Absolutionibus tam in Capitulis quam extra.

1859. *In Capitulis.* Quando fit Absolutio generalis de culpis, in Solemnitatibus magnis vel Capitulis, vel die Communionis generalis, Fratres prostrati super formas, sedente Prælato dicant : *Confiteor*, etc. ; quo dicto subjungat Prælatus : *Misereatur*, etc. ; deinde surgens dicat : *Si tenemini*, etc. *Eadem auctoritate ego dispenso vobiscum super irregularitate*, etc. *Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Regulæ*, etc... Si fuerit Prior Provincialis vel ejus Vicarius, vel ab eo habuerit specialem facultatem, vel si fuerit Magister Ordinis, vel ejus Vicarius, addat : *Et in mensa*. Finita Absolutione, pœnitentiam injungat ad libitum suum. (*Coll. et Brev.*)

Idem fiat pro Sororibus, omissa in Absolutione clausula suspensionis, et dispensatione super irregularitate. In Absolutione Fratrum et Sororum Tertii Ordinis servetur etiam forma specialis prout in manuali libro.

1860. *Forma Absolutionis ab Excommunicatione majori, in foro exteriori.*

Post habitam ab eo, qui potest dare, licentiam absolvendi aliquem a vinculo excommunicationis : primo ab ipso excommunicato exigendum est juramentum quod paratus sit stare mandatis Ecclesiæ, quæ scilicet fient ei pro illa causa. Quo juramento præstito, injungantur ei, ut si est excommunicatus, quia incidit in aliquem Canonem, de cætero proponat illud non committere. Et si ex hoc secutum est damnum alicujus, vel offensa, promittat satisfacere pro posse. Hoc facto Pœnitens denudatis humeris utrumque genu flectat coram Confessario, qui sedens disciplina, vel virga percutiat eum dicendo Psalm. *Miserere mei Deus*, vel alium Psalmum Pœnitentialem, dando ad quemlibet Versum unum ictum; post *Gloria* surgat, et discooperto capite subjungat: *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster*, etc. ℣. *Et ne nos...* etc... ℣. *Salvum fac servum* ... etc.℣. *Esto ei...* ℣. *Nihil proficiat...* etc. ℣. *Domine exaudi...* etc. ℣. *Dominus vobiscum...* etc. *Oremus : Deus, cui proprium..*, etc. ℟. *Amen.*

Et immediate post *Amen*, Sacerdos subjungat Absolutionem, sedendo et cooperto capite :

*Auctoritate omnipotentis Dei, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Domini N. Papæ IV vel VI vel VII.* (si fuerit Absolutio Papalis) *vel Domini N. Episcopi N.* (si fuerit Absolutio Episcopalis) *vel talis Superioris mihi commissa, ego absolvo te a vinculo excommunicationis quam incurristi propter talem causam : puta propter manum violentam in Clericum, vel Religiosum; vel propter ingressum Monasterii Monialium in casu non concesso.* — Et si pluribus sententiis sit ligatus dicendum est : *Item absolvo te ab excommunicatione, quam incurristi : et restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni et unitati fidelium.*

*In nomine Patris* ✠ *et Filii, et Spiritus Sancti Amen,* verberando ipsum usque ad ultimum *Amen.* Hæc tamen verberatio non est de necessitate, sed ad terrorem debet fieri. (*Collect.*)

1861. *In Sacramento Pœnitentiæ.* « Patres Confes» sarii quoties in exteriori Ecclesia populo Sacra» mentum Pœnitentiæ administrant, Stolam patenter » deferunt, sicut Romæ et aliis in locis jam fieri » consuevit; nec tamen ob hoc intermittatur usus » Capparum, ubi talis inolevit consuetudo. » (*Rom.* 1656.)

« *De forma Absolutionis observanda communiter in* » *Confessione sacramentali* » nota : « Quod nunquam » debes aliquem qui sit excommunicatus, etiam mi» nori excommunicatione absolvere a peccatis, nisi » ipsum prius ab excommunicatione absolvas, si potes : » et si non potes remitte illum ad eum qui potest; » et cum ab excommunicatione ab ipso, vel a te » de ejus commissione fuerit absolutus, ipsum a pec» catis absolvas modo infrascripto : *Si teneris*, etc. » *Misereatur,* etc. *Dominus noster,* etc. *Passio,* etc. » (*Collect.*)

*In Reconciliatione, et in casu mortis repentinæ vel alias imminentis*, Sacerdos utatur forma breviori : *Si teneris,* etc. *Item*, etc. ut in Breviario.

*Tempore autem Jubilæi* aut similium gratiarum servetur modus specialis absolvendi a censuris prout ibidem præscribitur. « At si de excommunicatione Confessarius sit certus, et facultatem super ea obtinuerit, post præmittenda dicat sic : *Absolvo te a vinculo excommunicationis quam incurristi,* propter talem, vel talem causam, etc. Deinde a peccatis absolvat, ut supra. » (*Brev.*)

1862. *In articulo mortis.* Absolutio, seu Indulgentiæ impertiendæ Confratribus sanctissimi Rosarii in articulo mortis.

*Dicto Confiteor*, Sacerdos dicat : *Misereatur*, etc. *Indulgentiam*, etc. *Dominus noster Jesus Christus.*

Forma generalis Absolutionis in mortis articulo, vel alias, cum Confessarius habet plenissimam potestatem a Pontifice. Dicat prius confitens : *Confiteor Deo*, etc. Deinde Sacerdos : *Misereatur tui*, etc. et postea subjungat : *Dominus noster Jesus Christus*, etc.

Formula Benedictionis impertiendæ in articulo mortis constitutis, ab iis qui facultatem habent a Sedė Apostolica, præscripta a SS. D. N. Benedicto P. P. XIV. in Constitutione 5 Apr. 1747, quæ incipit : *Pia Mater.*

℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus*, etc. Ant. *Ne reminiscaris. Kyrie eleison*, etc. *Pater noster.* ℣. *Et ne nos.* Deinde ℣. et Oratio *Clementissime Deus.* Tum dicto ab uno ex adstantibus *Confiteor*, Sacerdos dicat : *Misereatur.* Deinde *Dominus noster*, etc.

## ARTICULUS IV.

### DE BENEDICTIONIBUS, ETC.

#### §. I. De Benedictione Mensæ.

1863. Hora competenti, ante Prandium a Sacrista paucis ictibus Campana pulsetur, ut Fratres ad refectionem venire non tardent. Postmodum pulsetur cymbalum si cibus paratus sit, alioquin non pulsetur donec paratus sit. (*Const.*)

Pulsato cymbalo pro refectione, Fratres cum silentio et matura festinatione, veniant ad locum ubi debent manus abluere. Quibus ablutis, sedeant secundum ordinem suum super scamna extra Refectorium præparata. (*Ibid.*)

1864. Tunc Prior incipiat Psalmum *De profundis*,

stantibus omnibus et respondentibus alterum Versum. Terminato Psalmo per *Requiem*, dicat Prior : ℣. *A porta... Dominus vobiscum*, et Orationem *Fidelium*.

1865. Quo dicto, « ingrediatur Refectorium, et » postquam Prælatus cum nola Refectorii breve » signum fecerit, » (*Ord.*) ingrediantur Fratres Refectorium bini et bini minoribus præcedentibus. Cum fuerint in medio debent inclinare reverenter ad Crucem vel Imaginem quæ supra sedem Prioris collocata est, et postea ire ad loca sua ordinate.

« Dum autem ingrediuntur Prælatus pulset nolam » non nimis breviter. Pulsatione finita, ille qui est no- » tatus ad Responsoria Horarum vadens ante locum » suum ad medium Refectorii dicat : *Benedicite*. Quo di- » cto, caput inclinet, et sic revertatur ad locum suum.

« Dicto vero *Benedicite*, tempore quo bis reficiun- » tur Fratres, Cantor, vel Succentor, secundum » quod fuerit hebdomada, ad prandium incipiet : » ℣. *Oculi Omnium*, et Conventus ipsum communiter » prosequatur cum *Gloria Patri*, et *Kyrie eleison*, et » *Pater noster*. Deinde subjungat qui Missam cele- » bravit in Conventu, verso vultu ad Imaginem : ℣. *Et* » *ne nos. Oremus. Benedic, Domine* ✠ tantum unam » Crucem faciendo super omnes mensas.

1866. Responso *Amen*, « Qui lecturus est in mensa » stans in medio Refectorii dicat : *Jube Domne bene-* » *dicere*, et Sacerdos prædictus, verso vultu ad Conven- » tum, dat Benedictionem : *Mensæ cœlestis* (ad quam incli- » nent omnes usque ad genua). Responso *Amen*, Fratres » se collocent per mensas, et Lector vadat ad locum in » quo legendum est, et Fratribus collocatis, incipiat » legere. » (*Ord.*)

Fratres autem maneant capite discooperto donec, lectis duobus versibus, signum fiat a Prælato.

1867. Finito prandio, fit signum ad auferendum sal et panem ; tunc omnes discooperiant caput,

» factoque iterum signo a Prælato cum nola, Lectio
» terminetur per *Tu autem Domine*, hoc proviso
» antequam signum faciat, quod sit idonea termi-
» natio. Dicto autem *Deo gratias*, Prælatus stans in
» sede sua pulset nolam quousque magna pars Fra-
» trum collocaverit se in locis suis ante mensas. Qui
» vero habent facere venias, ante terminationem
» pulsationis non faciant. »

1868. « Pulsatione terminata, Cantor vel Succen-
» tor prædictus incipiat ℣. *Confiteantur*, et Conventus
» communiter prosequatur, subjungens : *Gloria Patri.*
» *Sicut erat.* Quo dicto, qui dedit Benedictionem,
» verso vultu ad Imaginem, quæ debet esse supra
» sedem Prioris in quolibet Refectorio, dicat : *Agi-*
» *mus tibi*, etc.

« Deinde, responso *Amen*, Cantor vel Succentor
» prædictus incipiat Ps. *Miserere mei* (eo modo quo
» notatur), et Conventus ipsum prosequendo, utroque
» Choro alternatim suum Versum dicente, processio-
» naliter, præcedentibus junioribus, ad Chorum vadat.

1869. « Finito Psalmo cum *Gloria Patri*, subjungatur
» *Kyrie eleison*, communiter; deinde *Pater noster.*
» Quo dicto, subjungat Sacerdos prædictus, verso
» vultu ad Altare : ℣. *Et ne nos.* ℣. *Dispersit.* ℣.
» *Benedicam.* ℣. *In Domino laudabitur.* ℣. *Magnificate.*
» ℣. *Sit nomen Domini.*» Chorus respondeat. «Postea sine
» *Dominus vobiscum*, et sine *Oremus*, dicat Orationem
» *Retribuere.* » (*Ord.*)et *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gra-*
*tias.* Tunc Prælatus dicat more solito *Fidelium.* Quo
dicto Fratres inclinati profunde, vel prostrati pro tem-
pore, dicant secreto *Pater noster*, et facto signo disce-
dant, nisi sequatur Nona.

1870. Solet autem in multis Conventibus post *Be-*
*nedicamus* dici communiter Ant. *Recordare*; qua dicta,
Hebdomadarius subjungat : ℣. *Post partum*, et Oratio-
nem *Protege.* Tempore vero Paschæ et Ascensionis,

dicitur Ant. *Regina Cœli*, et Versiculis additur *Alleluia*.

1871. « Idem modus servetur in cœna, hoc ex-
» cepto : quod ante comestionem dicitur Versus,
» *Edent pauperes*, et Lectori datur ab Hebdomadario,
» etiamsi Missam non celebravit, Benedictio : *Ad*
» *cœnam vitæ*, etc. Post comestionem vero dicitur
» Versus *Memoriam*, et *Benedictus Dominus in donis*
» *suis* (*Ord.*) et omnia perficiuntur in Refectorio
» (*Cærem.*) et non dicitur Antiphona prædicta.

1872. « *Quando autem jejunatur* ante comestionem
» dicitur : ℣. *Edent*, et datur Lectori Benedictio : *Mensæ*
» *cœlestis*. Post comestionem vero dicitur : ℣. *Memo-*
» *riam*, et *Agimus tibi gratias*; cætera non mutantur.
» Prædictus modus per totum annum servatur, nisi
» quod in die Cœnæ, et Parasceves non dicitur
» *Gloria Patri*, etc.

1873. *Ad Collationem*. Factis signis cum campana minore et cymbalo, Fratres ad collationem, tempore jejunii, in Refectorium conveniant, et cum Prælatus fecerit signum, in suis locis se collocent. (*Cærem.*)
« Quo facto, ad signum Prælati, vel Hebdomadarii
» (si Prælatus, vel Supprior, vel Vicarius in Refe-
» ctorio non fuerit) Lector aliquid lectione legere
» incipiat; deinde iterum facto signo a Prælato vel
» Hebdomadario, ut supra, dicat Lector : *Benedicite*,
» et Hebdomadarius stando in loco suo unum tan-
» tum signum Crucis faciendo, det Benedictionem
» super potum : *Largitor omnium bonorum bene* ✠ *dicat*
» *potum servorum suorum*.

« Postquam vero Fratres biberint, ad signum Præ-
» lati, vel Hebdomadarii, terminetur Lectio per *Tu*
» *autem*. Postmodum dicto ab eo qui præest ℣. *Adju-*
» *torium*. ℟. *Qui fecit*, Fratres in silentio vadant ad
» Ecclesiam, vel, si Completorium dictum fuerit, ad
» sua negotia, vel ad Dormitorium. » (*Ord.*)

## §. II. De Benedictione Itinerantium.

1874. Si Fratres peregrinantur ad Limina Apostolorum, vel ad loca Terræ Sanctæ, vel ad alia loca sancta poterit benedici et eis tradi capsella et baculus secundum formulam in Collectario præscriptam.

1875. Sequens Benedictio est impertienda (non tamen de necessitate) Fratribus tam exeuntibus ultra dietam, et extra Conventum per notabile tempus commoraturis, quam venientibus de via, sive de novo per assignationem missis, sive per transitum ad alium Conventum per aliquos dies declinantibus. (*Ex Cærem.*)

1876. Dicti Fratres itinerare volentes accipiant Benedictionem ab aliquo Sacerdote, hoc modo : Prostratis Fratribus in modum veniæ in Choro, vel ante Crucifixum in Capitulo, Sacerdos qui daturus est Benedictionem incipiat Psalmum : *Levavi oculos meos ;* et qui astant prosequantur secundum modum prænotatum in Rubrica de disciplinis.

Dicto autem *Gloria Patri*, *Kyrie* et *Pater noster*, subjungat Sacerdos prædictus : ℣. *Et ne nos.* ℣. *Salvos fac. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto Domine,* etc. Postmodum ipsos aspergat Aqua benedicta, aliquo de astantibus sibi aspersorium deferente.

Circa venientes de via idem observetur, hoc excepto : quod pro eis dicatur Psalm. *Ad te levavi.* Oratio* *Miserere quæsumus, Domine,* etc.

## §. III. De Benedictione Magistri Ordinis, aliorumque Superiorum.

1877. « Circa Benedictionem vero Magistri Ordinis, » supradictis aliquid est addendum. Si enim de novo » post susceptum Magisterium venit ad domum, vel » etiam post longum tempus ex quo non fuit in domo, » præscito adventu suo, cum appropinquat ad domum, » convocandi sunt Fratres cum Campana Capituli ad » Ecclesiam, ibi collocantes se ordinate in Choro in- » feriori, reverenter eum recipiant; et qui major inter » eos fuerit, stans prope Fratres prostratos, Benedi- » ctionis Officium prosequatur supradicto modo.

1878. « Quo peracto, et data pace Fratribus a Ma- » gistro, ipso præcedente, Capitulum intrent Fratres, ad » hoc iterum Campana pulsata, ut tunc recommendet » Fratrum Orationibus recommendandos, et alia si qua » vult dicere Fratribus proponat ibidem.

1879. « Quo facto, eat cum Fratribus sine Proces- » sionis ordine ad cœmeterium Fratrum, et ibidem » incipiat Psalm. *De profundis*, et ipse Versum unum » dicat, et alii Fratres alium. Finito Psalmo per *Re-* » *quiem*, et dicto *Pater noster*, (sine *Kyrie eleison*) dicat: » *Et ne nos. A porta inferi. Dominus vobiscum. Oremus.* » *Deus veniæ largitor*, terminando Orationem: *Per Chri-* » *stum*. Deinde: *Requiescant in pace.*

« Postea ducatur ab eo qui præest in domo, cum » quibusdam aliis, ad visitandum infirmos si sunt in » domo. Deinde ducatur ad locum sibi præparatum.

1880. « Quando autem recessurus est, non reversu- » rus in brevi, si tali hora vult recedere quod Fratres » possunt commode, eadem solemnitas Benedictionis » observetur, omissis aliis supradictis de intrando Ca-

» pitulum, de cœmeterio et de visitandis infirmis, nisi » de mandato suo aliud fiat.

1881 « Circa Benedictionem quoque Prioris Pro- » vincialis venientis, vel recedentis, observetur quod » dictum est circa Benedictionem Magistri, omissis » illis quæ de ducendo ad locum proprium præpara- » tum, vel de intrando Capitulum, vel de visitando » cœmeterium, vel infirmos dicta sunt, quæ nihil- » ominus poterit facere cum sibi videbitur faciendum.

« Idem etiam observatur circa Benedictionem Prioris » Conventualis cum primo venit ad domum, si de » Conventu alio sit assumptus. » (*Ord.*)

1882. Visitator cum primum pervenerit ad Conventum, accepta Benedictione, et facta brevi Oratione, convocari faciat Fratres ad Capitulum, ibique legi litteras suas, ut innotescat omnibus ejus auctoritas. Inde exponat succincte quæ intendit a Fratribus audire, tam circa essentialia Religionis et tria vota, quam circa cæremonialia et cæteras observantias Regulæ et Constitutionum. Postea super his faciat (viva voce) præceptum in virtute sanctæ obedientiæ, ut Fratres dicant sibi confidenter et zelo Religionis, absque ulla passione, quæ dicere tenentur. Inde vadat ad sepulturas Fratrum, infirmosque visitet, ut supra. Poterit etiam Visitator S. S. Sacramentum visitare, prout fieri solet in multis Provinciis.

## §. IV. De Orationibus Itinerantium.

1883. « Fratres itinerantes consueverunt in via » facere aliquam Orationem quotidie, et possunt » qui volunt hoc modo orare : Incœpta Antiphona, » *In viam pacis*, dicant Canticum : *Benedictus* cum » *Gloria Patri*. Postea Antiphonam : *In viam pacis*.

» *Dirige nos Domine* et ea quæ sequuntur in Bre-
» viario sub titulo : *Itinerarium*.

1884. « Item solent orare pro Benefactoribus suis » in via, tam mortuis quam vivis, de quorum » eleemosynis sustentantur, dicendo Psalmos : *Ad te* » *levavi*. *De profundis*, cum Versiculis et Orationibus » quæ solent dici in Capitulo post recitationem be- » neficiorum.

« Item pium est quod transeuntes per cœmeteria » orent pro mortuis dicendo Psalm. *De profundis* » cum *Requiem æternam. Pater noster. Et ne nos. A* » *porta inferi. Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi*. » Oratio *Deus cujus miseratione*.

1885. « Item intrantes Ecclesiam quamcumque, » flexis genibus debent orare secreto secundum quod » Deus cuilibet inspiraverit, et varii affectus et ne- » cessitates requirunt. Potest autem, dicto *Pater noster*, » et *Ave Maria*. ℣. *Orate pro nobis*, *Domine exaudi*, » animo erecto ad Sanctos qui in illa Ecclesia in » veneratione habentur, dici sic : *Infirmitatem no-* » *stram quæsumus Domine propitius respice*, *et mala* » *omnia quæ juste meremur istius vel istorum*, *et om-* » *nium Sanctorum tuorum intercessione averte. Per* » *Christum*.

« Item intrantes domum quamcumque possunt » dicere juxta doctrinam Salvatoris : *Pax huic domui* » *Et omnibus habitantibus in ea*. Adhuc possunt alias » orationes pro libitu dicere in via constituti, se- » cundum devotionem a Deo sibi datam. » (*Ord*.)

### §. V. De Benedictione Nuptiarum.

(*V*. n° 362.)

1886. Cum Benedictio solemnis Sponso et Sponsæ infra Missam pro eisdem erit impertienda, « dicto

» *Pater noster*, Sacerdos antequam dicat *Libera nos* » *quæsumus*, etc. stans in cornu Epistolæ, versus » Sponsum et Sponsam ante Altare genuflexos, dicit » super eos Orationes, prout in Missali : *Oremus.* » *Propitiare... Per Dominum*, etc. *Oremus. Deus qui* » *potestate... Per eumdem*, etc.

« Tunc Sacerdos reversus ad medium Altaris dicat : » *Libera nos*, et reliqua more solito : et postquam » sumpserit Sanguinem communicet Sponsos, et » prosequatur Missam.

1887. « Sacerdos, dicto *Benedicamus Domino*, vel » si Missæ illius dici conveniat *Ite Missa est*, ante- » quam det Benedictionem, conversus ad Sponsum » et Sponsam dicit : *Deus Abraham*, etc... ℟. *Amen.*

« Moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi in- » vicem servent fidem : orationis tempore, et præ- » sertim jejuniorum, ac solemnitatum casti maneant : » et vir uxorem atque uxor virum diligat : et in » timore Dei permaneant.

« Postea aspergat eos Aqua benedicta, et dicto » *Placeat tibi*, etc. det Benedictionem, et dicat, ut » solitum est, Evangelium S. Joannis *In principio.* (*Miss. loc. prop.*)

## §. VI. De Benedictione Prædicatoris.

1888. Benedictio a Prælato danda Prædicatori ante Concionem in sequenti formula consistit : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ad pronuntiandum digne et fructuose verba sua sancta. In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti. Amen.* (*Collect.*)

## §. VII. De Benedictionibus rerum.

1889. *Regulæ generales.* « Noverit Sacerdos quarum » rerum Benedictiones ad ipsum, et quæ ad Episco-

» pum (aut Prælatum) suo jure pertineant, ne ma-
» joris dignitatis munera temere aut imperite umquam
» usurpet propria auctoritate. » (*Rituale Romanum.*) (1).

1890. « Benedictiones autem variæ (quæ fiunt extra
» Missam) semper à Sacerdote cum Stola, (pro ra-
» tione temporis, *Rit. Rom.*) stando, discooperto capite
» dici debent. » (*Collect.*)

1891. Versiculi : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit,* etc. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum,* etc. præmittantur cuilibet ex Benedictionibus quæ in Collectario vel Missali reperiuntur. Deinde dicatur Oratio propria, una vel plures, prout suo loco notatum fuerit. Postea res aspergantur Aqua benedicta. (*Ibid.*)

1892. « Cum Sacerdos aliquid benedicturus est
» habeat ministrum cum vase Aquæ benedictæ, et
» aspergillo et libro. Caveat ne Benedictionis causa
» ponat aliquid indecens super Altare, veluti escu-
» lenta ; sed quod ejusmodi est ponatur super mensam
» commode loco præparatam. (*Rit. Rom.*)

1893. *Quoad Regulas particulares* serventur a Sacerdote speciales Rubricæ quæ pro singulis Benedictionibus

---

(1) Prælatis regularibus omnia et singula suorum Ordinum Ecclesias, Cœmeteria, Capitula et Oratoria ubicumque existentia, tam recepta quam recipienda, solemni benedictione benedicere valent, et idipsum possunt alii Fratres eorumdem Ordinum qui ad hoc in Capitulis generalibus fuerint deputati. (*Leo X. Const. Religionis suadet honestas.* 3 *Febr.* 1514.)

Item, Prælati nostri Ordinis possunt, ex privilegio, benedicere sacram supellectilem, scilicet : Tabernaculum, Crucem Altaris, Vestimenta sacerdotalia, Linteamina Altaris, Corporalia et similia, ad usum propriæ Ecclesiæ tantum.

Sunt et aliæ Benedictiones quæ requirunt in Benedicente specialem facultatem ad communicandas indulgentias, prout est Benedictio Rosariorum, Candelarum Societatis S.S. Rosarii, Cinguli S. Thomæ Aquinatis, et similium.

habentur, prout supra dictum est in Capite I de Rubricis propriis, et in libris Ritualibus exponuntur. Si qua autem facienda sit Benedictio, formam habens propriam quæ in nostris libris non reperitur, prout sunt Benedictiones reservatæ, facultatem habens benedicendi omnino utatur formula Ritualis Romani.

### §. VIII. De sacris Reliquiis.

1894. Nec publicæ venerationi exponi, nec processionaliter deferri possunt Sanctorum Reliquiæ nisi fuerint ab Ordinario loci diligenter recognitæ, adprobatæ, et ejusdem Ordinarii firmatæ sigillis. Immo etiam Reliquiæ a Romano Pontifice approbatæ recognoscendæ sunt ab Ordinario loci priusquam venerationi exponantur. Quamobrem Reliquiis de quarum identitate certo non constat Ecclesiasticus cultus nullatenus est exhibendus. Multo minus, de Sanctis, ad quos eædem pertinere dicuntur licebit Festum peragere cum Officio et Missa. (V. n° 69 et seq.) (*S. R. C. et Gardell. n°* 4542.)

1895. « An ante sacras Reliquias expositas unica » solum lampas continuo ardere debeat? » — R: « Omnino debere, et super Altare saltem ardeant » duo lumina; alias Reliquiæ non exponantur. » (*S. R. C.* 22 *Janv.* 1701.) Sacerdos in Missa privata sacris indutus paramentis potest Reliquias Sanctorum deosculandas præbere. (16 *Mart.* 1833.)

1896. « Beatorum Reliquiæ in Processionibus minime circumferantur. » (*Decr. S. R. C.* 27 *Sept.* 1679) « Nec licet umquam Sanctorum Reliquias processio» naliter sub Baldachino circumferre : tolerari tamen » potest et permitti quod Lignum S.S. Crucis, aliaque » instrumenta Dominicæ Passionis... deferantur *sub*

» *Baldachino* , dummodo tamen id fiat seorsim a
» Sanctorum Reliquiis. » (*S. R. C.* 27 *Maji* 1826.)
» In Processionibus in quibus defertur S.S. Crucis
» Lignum tam Clerus quam sæculares detecto capite
» incedere debent ; in aliis vero Processionibus in
» quibus deferuntur Reliquiæ vel Statuæ Sanctorum,
» tunc sæculares et Clerici illas deferentes detecto
» capite, alii vero possunt incedere tecto capite. »
(*S. R. C.* 2 *Sept.* 1690.)

1897. Expleta Expositione, vel Processione, Benedictio potest impertiri populo cum Reliquia S. Crucis. Item post Processionem cum Reliquiis Sanctorum, prout supra jam dictum est. Quæcumque autem Reliquia a Celebrante stante , non autem genuflexo, si id fiat, thurificetur. (*Ibid.*) Sanctorum Reliquiæ non sunt collocandæ super Altare in quo reipsa S.S. Sacramentum publicæ venerationi est expositum. (*S. R. C.* 2 *Sept.* 1741.) (V. adn. (1) ad n° 1753.)

## §. IX. Orationes devotissimæ de Passione Domini.

1899. Ante Imaginem D. N. Jesu Christi Crucifixi genua flectant Fratres, et Cantor voce mediocri et humili cantabit in secundo tono infrascriptos Versus : pausando inter unum et alterum Versum tantum quantum posset dici unum *Pater noster* : et interim Fratres elevantes mentem suam ad Deum, et dictos Versus devote meditando divinam misericordiam pro instantibus necessitatibus invocabunt.

1900. Versus de Passione Domini Nostri Jesu Christi.

*Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.*

*Traditus sum et non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.*

*Et factus est sudor meus : sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

*Circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me.*

*Corpus meum dedi percutientibus : et genas meas vellentibus.*

*Faciem meam non averti ab increpantibus : et conspuentibus in me.*

*Quoniam ego in flagella paratus sum : et dolor meus in conspectu meo semper.*

*Milites plectentes coronam de spinis : imposuerunt super caput meum.*

*Foderunt manus meas et pedes meos : et dinumeraverunt omnia ossa mea.*

*Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto.*

*Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis et moverunt caput.*

*Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

*In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me, Domine, Deus veritatis.*

Hic Chorus replicabit : *In manus tuas*, etc.

*Memento famulorum tuorum, Domine : dum veneris in regnum tuum.*

*Jesus autem, emissa voce magna : tradidit spiritum.*

1901. Hic ℣. cantabitur altiori voce, et verba illa *Tradidit spiritum*, cantabuntur sicut in Evangelio de Passione Domini in die Palmarum cantari solent. Quibus cantatis, prosternent se Fratres, Passionis Domini Nostri Jesu Christi mysteria meditantes, quousque signo facto a Superiore elevabunt se; et Cantor sequitur eodem modo, cum eadem pausa cantando in sexto tono infrascripto Versus.

*Misericordias Domini : in æternum cantabo.*

*Vere languores nostros ipse tulit : et dolores nostros ipse portavit.*

*Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras : attritus est propter scelera nostra.*

*Omnes nos quasi oves erravimus : unusquisque in viam suam declinavit.*

*Et posuit in eo Dominus : iniquitates omnium nostrum.*

*Exurge, quare obdormis Domine : exurge, et ne repellas in finem.*

Hic Chorus replicat Versum : *Exurge, quare obdormis Domine*, etc.

Et Cantor subsequitur :

*Exurge quare obdormis*, etc.

*Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam et non timebo.*

*Te ergo quæsumus tuis famulis subveni : quos pretioso Sanguine redemisti.*

Hic Superior dicit : ℣. *Miserere nostri, Jesu benigne.*

Chorus ℟. *Qui passus es clementer pro nobis.*

Et Superior dicet Orationem : *Respice*; terminando eam sicut in Hebdomada sancta, sine : *Qui tecum.*

*Oratio.*

*Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam : pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum.*

## ARTICULUS V.

## DE ORATIONIBUS ET SACRAMENTIS INFIRMORUM.

### §. I. De Orationibus faciendis in visitatione infirmorum.

1902. « Cum Fratres aliquam personam infirmam » decumbentem visitaverint, et aliquam Orationem » super eam facere voluerint, poterunt uti forma

» quæ habetur ad calcem Breviarii videlicet : Pri-
» mo, intrantes domum vel cameram infirmi dicant :
» ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in*
» *ea.*

« Et accedentes ad lectulum infirmi eum dulciter » salutent, ad patientiam hortantes, et aliqua verba » sancta pro ipsius exhortatione et consolatione di- » centes. Et quia infirmitas corporalis frequentius » evenit propter infirmitatem spiritualem, hortentur » eum, ut si cito velit sanari ab infirmitate, etiam » si infirmitas non sit multum gravis, integram et » veram confessionem faciat de omnibus peccatis suis.

1903. « Postmodum alter ex Fratribus qui major » fuerit et Sacerdos, dicat : *Carissime*, etc... » Deinde leguntur Orationes et Evangelia, prout ibidem notatur, hoc observato : « Dum Sacerdos dicit : *Sequentia* » *sancti Evangelii*, etc. signum Crucis faciat super » se in fronte, super os, et super pectus, et simili- » ter super infirmum, maxime si fuerit masculus : » si vero femina fuerit dum Sacerdos se signat, per » semetipsam in locis prædictis se signet. (*Brev.*)

1904. Cum Sacerdos voluerit subjungere Orationem S. Vincentii, utramque manum ponat super caput infirmi, et dicat : *Super ægros*, etc... Postea Evangelium S. Joannis, *In principio*, vel aliud ibidem notatum, deinde subjungat dicens ; *Dominus*, etc. (*Ibid.*)

« Prædicta Oratio potest abbreviari ad libitum. » (*Ibid.*)

### §. II. De Communione infirmi, Fratris vel Sororis, per modum Viatici.

1905. « Quando communicandus est Infirmus, fiat » signum per ictus cum Campana Capituli, vel illa qua » solet pulsari, primum signum ad Horas, aliqualiter

» tamen prolixius quam sit primum signum ad Horas;
» et facto modico intervallo, iterum pulsetur eadem
» Campana, sed aliquantulum prolixius quam prius.
» Sacrista interim provideat de Ministris, et de cereis
» pro comitantibus S. S. Sacramentum, Umbella, seu
» Baldachino, et aliis necessariis.

« Congregatis Fratribus, Prælatus, vel ille cui
» injunctum fuerit, indutus Camisia, (1) et Super-
» pelliceo, cum Stola, vadat cum Conventu ex Sacri-
» stia ad Ecclesiam, præcedentibus Ceroferariis indutis
» Superpelliceis, et cereis accensis (*Collect. et Process.*)

1906. « Tum accedens ad Altare ubi servatur Cor-
» pus Christi, prius genua flectens, reverenter assumat
» Corpus Christi, et reponat in Pyxide ad hoc parata,
» cooperta proprio suo cooperculo (vel Calice coo-
» perto Patena) et mappula munda; et imposito sibi
» prius super humeros oblongo velo decenti, acci-
» piens utraque manu vas cum S. S Sacramento,
» tectum extremitatibus Veli humeris impositi, pro-
» cedat, capite discooperto, sub Umbella, seu Bal-
» dachino (a dignioribus, vel quibus commissum
» fuerit, deferendo) ad Infirmum, hoc ordine:

1907. « Primo procedant Ceroferarii, et alii duo
» Fratres sine Superpelliceis, quorum unus portet
» laternam cum lumine, et nolam, pulsando eam;
» et alter Aquam benedictam, et ampullas cum vino
» et aqua; deinde sequatur Conventus, incipiendo
» a junioribus; ultimo loco Sacerdos deferens Cor-
» pus Christi, dicens alternatim cum Conventu Psal-
» mos Graduales: et circa Sacramentum aliqui Fratres
» gestent cereos accensos.

1908. « Cum autem Sacerdos pervenerit ad Infir-

(1) Ordinarium habet: « Camisia et Superpelliceo: » Superpelliceo omnino utendum est; non autem sic de Camisia. (*V. n°* 537.)

» mum, dicat aliquantulum alte : *Pax huic domui.*
» Conventus respondeat : *Et omnibus habitantibus*
» *in ea.*

» Deinde deponat Pyxidem cum SS. Sacramento
» super Corporale expansum super mensam cooper-
» tam linteo mundo, in qua sint duo candelabra cum
» cereis accensis, et cum Imagine sanctissimi Crucifixi
» in medio eorum. Facta genuflexione Sacerdos, con-
» versus ad infirmum, dicat Antiphonam *Asperges*
» *me*, etc. aspergendo Infirmum Aqua benedicta.
» Deinde dicat Versiculos et Orationem prout in
» Collectario vel Processionario notantur.

1909. « Hac Oratione finita Infirmus, ad insinua-
» tionem Sacerdotis qui facit Officium, roget humi-
» liter Prælatum, et cæteros adstantes, ut si quid
» contra eos deliquit, ipsi misericorditer dimittatur;
» et Sacerdote ex parte Fratrum respondente quod ei
» totum dimittatur, Infirmus dicat : *Confiteor*; vel si
» illud dicere nequiverit, tundens pectus suum, si
» commode poterit, dicat : *Mea culpa*, *de omnibus*
» *peccatis meis*; Conventus vero pro ipso dicat : *Con-*
» *fiteor*; et Sacerdos dicat : *Misereatur tui*, etc. Postea
» Prælatus, sive faciat Officium, sive non, dicat :
» *Absolutionem*... Si vero Prælatus absens fuerit, tunc
» Sacerdos faciens Officium dicat : *Absolutionem*, etc.

1910. « Si Prælatus fuerit communicandus, simi-
» liter et ipse roget Fratres ut ei dimittant, si quid
» circa illos deliquit : et ille, qui facit Officium, re-
» spondeat, ut supra. Deinde Prælatus dicat : *Con-*
» *fiteor*; et Conventus subjungat : *Misereatur*, etc. et
» faciens Officium dicat : *Absolutionem*.... Postmo-
» dum pariter Fratres rogent Prælatum, ut dimittat
» eis quidquid contra eum deliquerunt; et illo re-
» mittente, petant pariter ab ipso *Absolutionem*, et
» dicant : *Confiteor*, etc. et ipse subjungat : *Misereatur*
» *vestri*, et *Absolutionem*....

« Si Prælatus infirmitate impediente loqui nequi-
» verit, servetur circa eum id solum quod circa alios
» superius notatum est.

1911. « His expeditis, Sacerdos proponat Infirmo
» Eucharistiam, et quærat ab eo : *Credis quod hic sit*
» *Christus Salvator mundi ?* Et responso : *Credo*, por-
» rigat ei Eucharistiam, dicens : *Corpus Domini nostri*
» *Jesu Christi custodiat te, et perducat ad vitam æter-*
» *nam. Amen.*

« Postea abluat digitos in vas ad hoc præparatum,
» eosque Purificatorio tergat, et det infirmo ablutio-
» nem. Quo facto, dicat : ℣. *Dominus vobiscum* et Ora-
» tionem, *Exaudi nos....*

1912. « Postea revertantur eo ordine, quo vene-
» runt, ad Sacristiam, extinctis luminibus, et sine
» pulsu nolæ : nisi forte in casu, quo Corpus Domini
» contingeret reportare... (*Process.*)

Si autem Infirmus ex devotione communicare voluerit, deferatur S. Eucharistia ut supra, et dicto *Confiteor* more solito, detur ei sacra Communio juxta formam consuetam. (V. n° 1326.)

## §. III. De Sacramento Extremæ Unctionis.

1913. « Ad ungendum infirmum Fratrem fiant
» signa cum Campana, prout superius dictum ad
» communionem Infirmi, et Sacrista interim provideat
» de Fratribus, qui Aquam benedictam, cereos,
» laternam cum lumine et Crucem sine hasta de-
» ferant.

« Fratribus congregatis, Prælatus, vel ille cui
» injunctum fuerit, indutus Superpelliceo cum Stola
» violacea, procedat ad Infirmum, præcedente Aqua
» benedicta, et duobus Ceroferariis in Superpelliceis,
» cum cereis ad Unctionem accendendis ; deinde la-

» terna cum lumine, subsequente Cruce : post Cru-
» cem sequatur Sacrista, qui Oleum sanctum portet,
» quod semper sit in Ecclesia, vel Sacristia et annua-
» tim renovetur. Portet etiam in aliquo vase bom-
» bacium, seu gossypium, in sex globulos distin-
» ctum ; vel tot particulas panni linei ad extergendas
» uncturas ; postea sequatur qui facit Officium, cum
» Libello Processionali ; deinde sequatur totus Con-
» ventus in silentio, senioribus præcedentibus.

1914. « Cum autem qui facit Officium pervenerit » ad Infirmum, dicat aliquantulum alte : *Pax huic* » *domui*. Et Conventus respondeat : *Et omnibus*, etc. » » Postea aspergat Infirmum Aqua benedicta, ut supra » dictum est; deinde dicat : ℣. *Dominus vob.* et Oratio- » nem *Domine Deus*, etc.

1915. « Hac Oratione finita, et responso *Amen*, » Infirmus, ut supra dictum est, ad insinuationem » illius qui facit Officium, humiliter roget Prælatum, » et cæteros qui astant, ut si quid contra eos deli- » quit, ei dimittant, nisi hoc factum fuerit ante » communionem. Postea dicat Infirmus : *Confiteor*, ut » supra.

1916. « His expeditis, qui facit Officium offerat » Infirmo Crucem ad osculandum : qua sibi reddita, » incipiat Antiphonam : *Intret oratio*, et Psalmum : » *Domine ne in furore ;* et Conventus stando prose- » quatur ipsum, et reliquos Psalmos Pœnitentiales » terminando quemlibet per *Gloria Patri*.

1917. « Dum autem hi Psalmi dicuntur, accedat » ad Infirmum Sacerdos, et intincto dextro pollice, » Oleo sancto inungat ordinatim singulas partes in » formam Crucis distribuendo verba formæ cujus- » cumque Unctionis ad ambas partes quæ unguntur ; » primo faciens, cum dicto pollice intincto, Crucem » in oculis, dicens : *Per istam unctionem*, etc ; deinde » in auribus, in naribus, in ore clauso exterius, in

» utraque manu expansa interius, si ungendus non
» sit Sacerdos : nam si Sacerdos est, ungitur in utra-
» que manu expansa, exterius, seu superius : in-
» ungitur etiam in utroque pede superius.

1918. « Quoties vero dicitur : *Per istam unctionem*,
» etc. detergatur unctura ab aliquo Fratre cui Sa-
» crista innuerit ; et mutentur globuli bombacii, seu
» gossypii, vel panni in qualibet detersione, quos
» in vase mundo repositos postea Sacrista comburat,
» et cineres in piscinam projiciat ...

1919. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis hæc est: *Per istam unctionem*, ✠ *et suam sanctam ac piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti* (ad oculos : ) *per visum* ; ad aures dicitur in fine :... *per auditum* ; ad nares..... *per odoratum* ; ad os..... *per gustum* ; ad manus.... *per tactum* ; ad pedes....*per gressum*.

1920. « Peracta Unctione, Sacerdos detergat pol-
» licem cum sale et pane, et abluat digitos aqua in
» vase mundo, tergatque manutergio ad hoc ibidem
» a Sacrista præparato, et ipsa ablutio projiciatur in
» piscinam.

1921. « Finitis Psalmis, subjungatur Antiphona :
» *Intret oratio mea*, etc. Postea dicat Sacerdos ali-
» quantulum alte, sine nota : *Pater noster*, et Con-
» ventus silenter dicat ipsum. Quo finito, dicat Sacer-
» dos alte, ut supra : ℣. *Et ne nos*.... cum reliquis
» Versiculis et Orationibus in Collectario vel in Pro-
» cessionario notatis.

1922. Deinde, qui facit Officium, faciat Absolutionem Infirmo sub hac forma : *Dominus Jesus Christus*, etc.

Poteritque impertire Absolutionem seu Indulgentias pro Confratribus SS. Rosarii in articulo mortis, vel alteram Absolutionem, cum propria formula, ut supra n° 1872, prout facultatem habuerit.

1923. « Expletis Orationibus, et dicta Absolutione,

» si tunc non est communicandus Infirmus, dicat » Sacerdos : *Dominus vobiscum* et Orationem : *Exaudi* » *nos*, *Domine, sancte Pater*, ut supra.

« Postmodum asperso Infirmo Aqua benedicta, » relinquatur ibi Crux, et collocetur ita, quod Infir- » mus, possit Crucifixum respicere. Et sic egredien- » tibus Fratribus, Sacerdos et Ministri ad Sacristiam » revertantur.

1924. « Si Infirmus communicandus fuerit, finitis » Psalmis, interim dum Orationes dicuntur, exeat » Sacerdos aliquis, cui Cantor innuerit, et cum duo- » bus Ceroferariis et aliquibus Fratribus, uno ex » eis deferente nolam, adferat Communionem. Et, » facta Absolutione prædicta, ille, qui facit Unctio- » nis Officium, proposita sibi Eucharistia, commu- » nicet Infirmum secundum modum supra notatum » in Communione. Quo facto, dicat : *Dominus vo-* » *biscum*, et Orationem : *Exaudi nos*.

« Postmodum asperso Infirmo Aqua benedicta, » egrediantur Fratres, ut supra.

« Si, antequam terminetur Officium Unctionis, » Fratrem mori contigerit, statim cognita ejus morte, » intermissis omnibus, incipiatur Commendatio Ani- » mæ : *Subvenite*, sicut infra.

## §. IV. De Commendatione animæ in transitu Fratris.

1925. « Cum Frater penitus morti appropinquave- » rit, crebris ictibus pulsetur Tabella in Claustro, et » in aliis locis, si necesse fuerit. Et statim Fratres, » ubicumque fuerint, accurrant omnes ad morien- » tem, dicentes : *Credo in Deum*, etc.... et prose- » quantur totum, tam alte ut possit audiri, repetendo » illud quousque ad Infirmum pervenerint. Et si nox

» fuerit, provideat Sacrista quod candelæ accendan-
» tur in via qua itur ad Infirmariam ; custodes tamen
» remaneant in Ecclesia, in Dormitorio, et in Clau-
» stro, si necesse fuerit. Sacrista autem deferat
» Prælato Stolam, et Collectarium ; et mittat Fratres
» qui deferant Crucem, si ibi non fuerit, et Aquam
» benedictam.

1926. « Si Fratres ad refectionem sederint, et fue-
» rint in principio refectionis, vel in medio, audito
» signo, velociter exeant omnes et non dicatur : *Tu
» autem....* Refectorario ad custodiam Refectorii re-
» manente ; si vero sint circa finem refectionis, in-
» nuente Priore dicatur : *Tu autem.* Et dicto breviter
» Versu: *Confiteantur*, vel *Memoriam,* subjungente Heb-
» domadario : *Agimus tibi gratias*, vel *Benedictus Deus
» in donis*, etc. absque Psalmo, statim exeant dicen-
» tes : *Credo in Deum*, ut supra. Si autem in Oratorio
» fuerint ad Missam, vel canonicas Horas prius
» exeant illi quibus ipse Prior innuerit : (1) cæteri
» vero, complentes incœptum, sequantur illos. Qui
» autem primi ad morientem venerint, statim inci-
» piant Litanias : quas legat Sacerdos cum Stola, et
» cæteri respondeant.

« In fine ab omnibus communiter dicatur : *Kyrie*
» etc. et in secreto : *Pater noster.* Quo dicto, dicat Sa-
» cerdos : ℣. *Et ne nos*, etc.... deinde Versiculos et
» Orationem prout in Collectario, vel Breviario, vel
» Processionario.

1927. « Finitis Litaniis, si Frater vel Soror adhuc,
» vixerit poterunt ei a Patre Sacerdote legi protesta-
» tiones, in Commendatione animæ sæcularium per-
» sonarum, et recitari ab eodem Orationes ad B. Ma-

---

(1) Ordinarium sic habet : « Prior et aliqui quibus ipse innuerit exeant. »

» riam Virginem una cum Passionibus Domini, vel
» omnes, vel aliquæ illarum, sicut necesse fuerit :
» et cum viderit Infirmum evidentibus signis morti
» proximum, intermittens Passiones, dicat Commen-
» dationem animæ, quæ est secundum usum Romanæ
» Ecclesiæ : *Proficiscere anima christiana*, etc....

1928. « Si anxiatur adhuc anima dicantur hi Psalmi
» videlicet : 117. *Confitemini* et totus Ps. 118. *Beati*
» *immaculati* per Horas distributus sine *Gloria Pa-*
» *tri*. (1)

« Si autem expletis hic omnibus nondum obierit
» recedant relinquentes ibi Crucem et Aquam bene-
» dictam. Et Prior de aliquibus Fratribus provideat qui
» remaneant ibidem et dicant Psalterium sine *Gloria*
» *Patri*. Qui cum certo signo viderint Fratrem in pro-
» ximo moriturum, iterum percussa Tabella advocent
» Fratres, et repetant Commendationem animæ ut
» supra. (2)

« Totum autem Commendationis Officium dicatur
» legendo distincte quoadusque egressa anima incho-
» andum fuerit a Cantore ℟. *Libera*. in Officio dela-
» tionis Corporis ad Ecclesiam. » (*Collect. Process.*)

---

(1) Sic Ord. : finita Litania, si adhuc vixerit, dicant Fratres septem Psalmos Pœnitentiales sine *Gloria Patri*. Quibus finitis, si in proximo prout æstimari possunt Fratris exitum viderint, adjungant quindecim graduales sine *Gloria Patri*.

(2) Pia autem viget in Cœnobiis compluribus consuetudo a BB. Martyribus Sadoc et Sociis præconsecrata « qua *Salve Regina*, in agone morientium decantatur : orare autem existimandi merito sunt ut Jesum benedictum ventris sui fructum devotis filiis et clientulis dulcissima Mater ostendat. » (*Brev. die 2 Jun.*)

## §. V. De Commendatione animæ pro sæcularibus personis.

1929. « Solent frequenter a personis sæcularibus ex » devotione advocari Fratres, ut assistant morientibus. Ideoque Fratres taliter advocati poterunt in » tali tempore infrascriptam formam servare, vel » aliam, ut eis visum fuerit. Et primo ingredientes » cameram Infirmi, dicant :

℣. *Pax huic domui.*

℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

1930. « Postea accedentes ad Infirmum, eum benigne » salutent et consolentur. Et si viderent eum morti » proximum, si adhuc sit capax rationis, hortentur » eum ad plenam subjectionem sui ipsius divinæ » bonitati et voluntati. Et cum viderint eum paratum » ad moriendum, unus eorum, qui fuerit Sacerdos, » petat ab eo petitiones notatas in Processionario per » ordinem, morose et distincte, ut eas Infirmus percipere possit.

1931. « Poterit etiam Infirmus facere Protestationes ibidem positas contra diabolicas tentationes » utilissimas, si integro adhuc est judicio.

» Cum fuerit in agonia mortis, legi poterunt » Orationes ad B. gloriosamque Dei Genitricem Virginem Mariam, et subjungi Passiones D. N. J. C. » vel omnes, vel aliqua earum, etiam repetendæ, » si opus fuerit.

1932. « Cum Infirmus evidentibus signis morti » proximus fuerit, intermissis Passionibus, dicatur » Commendatio animæ, ut, in transitu Fratris notatur. Mox autem, ut Infirmus obierit, dicatur » Commendatio animæ a Sacerdote cum Stola, ut in » Officio post obitum Fratris.

## §. VI. De Officio post obitum Fratris.

1933. « Immediate egressa anima, terminent Fratres Psalmos, quos dicebant, per *Requiem*, et fiat Commendatio a Sacerdote cum Stola, incipiente ℟. *Subvenite* et ℣. sine cantu, et alii Fratres illud prosequantur.

« Deinde : *Kyrie, eleison*, etc. *Pater noster*, secreto. Sacerdos subjungat : ℣. *Et ne nos*, etc.... ℣. *Requiem æternam*, etc. ℣. *A porta*, etc. ℣. *Requiescat in pace*, etc. ℣. *Domine exaudi*, etc... *Dominus vob.* et Orationes : *Tibi Domine..... Misericordiam....*

« Deinde Sacerdos incipiat Antiph. *Suscipiat* et Ps. *In exitu*, quem cæteri prosequantur.

« Quo dicto, dicatur Antiphona *Suscipiat te Christus, qui vocavit te ; et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.*

« Interim Prælatus provideat, quomodo corpus involvatur ; et si necesse fuerit, ab aliquibus in secreto lavetur.

1934. « Est autem sepeliendus Frater cum Tunicella, Caligis, Soccis, Tunica, Cingulo, Scapulari, Cappa, et Caputio, decenter aptatis ; adhibita cautela circa prædicta, ne defluant, vel nimis stricte circa corpus applicentur : manibus in modum Crucis dispositis. (1) Est etiam habendum proprium feretrum, honestum, sed humile, corporis capax eique commensuratum, habensque Crucem signatam in parte superiori coopertorii quo corpus tegitur.

---

(1) Si Defunctus fuerit Sacerdos, solet aptari collo ejus Stola coloris violacei.

1935. « Cum autem corpus involvitur, Fratres seorsum a Defuncto ordinati, prout locus permiserit, » Commendationis Officium prosequantur. Sacrista » vero provideat de Thuribulo et cereis; et Cantor » provideat de Fratribus qui hæc, et Aquam bene» dictam et Crucem deferant.

« Dicta post Psalmum Antiph. dicat Sacerdos Ora» tionem *Omnipotens*. Deinde incipiat Antiphonam » *Chorus Angelorum*, et Psal. *Dilexi quoniam*, quem » prosequatur Conventus sicut et alios notatos. In fine » omnium dicatur ℣. *Requiem*. Poterunt autem Fra» tres sedere, dum dicunt hos Psalmos : Ps. 114. » *Dilexi*. Ps. 115. *Credidi*. Ps. 116. *Laudate*. Ps. 117. » *Confitemini*. Psalm. 118. *Beati immaculati*, usque ad » Psalm : *Ad Dominum, cum tribularer clamavi*. »

1936. « Finitis Psalmis, stent Fratres, et subjun» gant Antiphonam *Chorus* et Orationem *Diri vulneris*.

« Postea dicatur : *Pater noster* cum Versiculis et » tribus Orationibus notatis. Et hic Commendationis » finitur Officium : quo completo, dicant Horas Cano» nicas, si dicendæ fuerint. Quibus dictis, vel si » dicendæ non fuerint, statim incipiatur Psalterium. » (*Collect. etc.*)

## ARTICULUS VI.

## DE SEPULTURIS.

### §. I. De delatione corporis Fratris Defuncti ad Ecclesiam.

1937 « Involuto corpore et in feretro collocato, » congregatis circa, ipsum Fratribus, dimittatur psal» modia : finito tamen Psalmo incœpto per ℣. *Requiem* » *æternam*, etc.

« Tunc Sacerdos resumat, Stolam, si eam deposuit,
» et aspergat corpus Aqua benedicta, et thurificet;
» et postea dicat : ℣. *Dominus vobiscum. Oremus : Suscipe Domine,* etc.

1938. « Hac Oratione dicta, Cantor incipiat. ℟. *Libera me, Domine*, cum cantu ; et Conventus prosequatur cum Versibus et Resumptionibus a Cantore incipiendis : et tunc Campana pulsetur ; et sic deferatur corpus in Ecclesiam, tali ordine, ut Aqua benedicta præcedat, postea Thuriferarius, deinde Ceroferarii, postea Crux sequatur in medio : post Crucem incedant Fratres eo ordine quo stant in Choro, præcedentibus junioribus ; post omnes Sacerdos cum Stola ; ultimo Defunctus a quatuor Fratribus, quibus Cantor innuerit, deferatur : quos et Conversi sequentes poterunt adjuvare.

1939. « Venientes in Ecclesiam, deponant corpus in Choro ita ut facies Defuncti Altare respiciat. Deinde illi qui portant Aquam benedictam et thuribulum ordinent se ad pedes Defuncti, unus hinc et alius inde, versis ad se mutuo vultibus; Ceroferarii vero ordinent se ad caput, versis vultibus ad Altare, Frater vero, qui Crucem defert, collocet eam ad caput Defuncti, verso vultu Crucifixi ad corpus Defuncti, et post Crucem stet Sacerdos. »

1940. « Finito Responsorio *Libera me*, cum Versibus et Resumptionibus, dicat alta voce : ℣. *A porta inferi.* ℣. *Dominus*; Oratio : *Inclina.*

« Si Frater Defunctus fuerit Sacerdos, vel Episcopus, dimissa præcedenti Oratione dicatur : *Deus qui inter apostolicos.*

» Si fuerit fœmina, dicatur Oratio : *Quæsumus, Domine*, etc.

« Hac Oratione finita, ponantur duo cerei accensi super candelabra circa Crucem, hinc et inde ; et

» Aqua benedicta et thuribulum, sicut commode » poterunt, collocentur ibidem.

1941. « Porro, si Fratres refectionem intermiserant, redeant ad illam, ita tamen ut nola non » pulsetur, nec Benedictio repetatur; sed Lector » incipiat, ubi dimiserat. Quod etiam fiat in Quadragesima. Provideat autem Prior ne corpus solum » remaneat, sed aliqui Fratres ibi Psalterium legant. » Quod si refectionem non intermiserint, finita Oratione supradicta, *Inclina*, vel *Deus qui*, etc, residentes in Choro incipiant Psalterium, ubi in Infirmitorio dimiserant.

» Horas suas suis temporibus, Psalterium intermittentes, diligenter cantent; et expletis Horis, » incipiant in Psalterio ubi dimiserant.

« Si tali hora obierit ut pro eo Missa celebrari » possit in Conventu, eo die sepeliatur: sin autem, » in crastinum reservetur; vel eodem die sepeliatur » post Vesperas, maxime in æstate. Si autem in » hora vespertina moriatur, in crastinum reservetur.

1942. « Cum vero in crastinum reservatur, agantur » in nocte circa eum Vigiliæ hoc modo : Sacrista » noctem dividat in duas Vigilias communiter, prout » poterit. In prima Vigilia vigilet dexter Chorus, » dicendo Psalterium; et circa finem primæ Vigiliæ, » cum eis visum fuerit, dicant Matutinas suas legendo. Quibus dictis, cum prima Vigilia transacta » fuerit, pulsentur Matutinæ, et aliis Fratribus in » Chorum venientibus, eant dormitum, qui vigilaverant. Qui vero illa hora surrexerint, Matutinarum » Officium cantando expleant. Quo finito, et dicto » *Pretiosa*, vigilent, sicut primi, dicendo Psalterium.

1943. « Nullus Fratrum, mittatur extra, usquequo » Defunctus sepeliatur, nisi magna necessitas im-

» mineat. Quamdiu etiam, corpus est in Choro, non
» sedeant Fratres in cellis, vel in locutorio, sed
» stent circa corpus et dicant Psalterium. Qui Officiis
» deputati sunt, assistant Defuncto quantum pote-
» runt.

1944. « Si competenter fieri potest, priusquam
» Frater sepeliatur, debet pro eo in Conventu cele-
» brari Missa. Si non, quam citius commode poterit
» celebretur solemniter pro eo. (V. n° 1983.)

« Debent etiam pro ipso fieri Vigiliæ Mortuorum
» (totum Officium Defunctorum) ipsa die qua sepelitur,
» si pro eo factæ non fuerint a Conventu, antequam
» sepeliatur. Quod si nec ipsa die possint, fiant
» quam citius temporis opportunitas occurrerit.
» Prædictæ Vigiliæ sufficiant pro obligatione hebdo-
» madæ neque Fratres ad alias illa hebdomada tenean-
» tur.

1945. « Quæ superius scripta sunt, servanda sunt
» circa Fratrem a Conventu in quo moritur, sive in
» suo, sive in Conventu alieno moriatur. Si extra
» Conventum suum Frater obierit, audita morte
» ipsius, fiant nihilominus pro eo dictæ Vigiliæ in
» suo Conventu, et Missa similiter celebretur. Quæ
» etiam facienda sunt pro Magistro Ordinis per totum
» Ordinem, et pro Priore Provinciali, in quolibet
» Conventu Provinciæ sibi commissæ audita morte
» ipsorum.

« Missam pro Fratre Defuncto, si commode potest,
» debet Prælatus major cantare, et totum Officium
» facere.

« Fratres hospites et infirmi, qui commode pos-
» sunt, ad exitum morientis et ad sepulturam ve-
» niant, et stent in ordine suo.

« Quidquid pro Fratre defuncto fiet, antequam
» sepulturæ tradatur, erit præter hoc quod ei ex
» Constitutionibus debetur.

1946. « Dies obitus Magistri Ordinis, sive in Ma
» gisterio moriatur, sive ante mortem a Magisterio
» fuerit absolutus, scribatur in libro Martyrologii ad
» finem, et singulis annis recitetur, hoc modo:
» *Obitus Fratris N. Ordinis nostri Generalis Magistri*
» *secundi*, vel tertii, et sic deinceps; et fiant pro eo
» Orationes, secundum quod devotio Prælati et Fra-
» trum judicaverit esse faciendum. (V. n° 300) (*Collect.*
» *Process. Ordin.*)

## §. II. De Officio sepulturæ Defuncti Fratris, vel Sororis.

1947. « Cum deferendus est Frater defunctus ad
» sepeliendum, debet paulo ante Sacrista signum, ad
» convocandos Fratres in Chorum, pulsare: et Stolas,
» cum Libellis Processionalibus, Sacerdotibus distri-
» buere. Cantor vero debet de Ministris ad hoc
» Officium necessariis providere. Distributis Stolis
» et Libellis sive Missa sit celebrata tunc, sive non,
» præcedentibus Ceroferariis in Superpelliceis, Sacer-
» dos et Diaconus ferens Libellum, et Subdiaconus
» induti Albis cum Stolis et Manipulis, venientes
» ordinent se ad caput Defuncti hoc modo:
« Sacerdos sit in medio post Crucem, et Diaconus
» tenens Libellum a dextris ejus, et juxta eum alter
» Acolythorum, et Subdiaconus cum altero Acoly-
» thorum a sinistris: alii vero duo ordinent se ad
» pedes, versis ad se mutuo vultibus; quorum unus
» Aquam benedictam, alius Thuribulum teneant,
» ministraturi ea, cum necesse fuerit, Sacerdoti.
» Deinde quatuor Fratres, quibus dictum fuerit a
» Cantore, qui delaturi sunt corpus, induti Albis
» sine Stolis et Manipulis, ordinent se juxta feretrum

» hinc et inde. Et tunc, sine *Dominus vobiscum* et
» *Oremus*, dicat Sacerdos voce mediocri Orationem
» sequentem, eo modo quo solent dici Orationes ad
» Horas diei. Cæteri vero Sacerdotes, qui Libellos
» tenent, dicant Orationem hanc, et alias, quæ post
» Responsoria sequuntur, in silentio.
» Oratio : *Non intres.*

1948. « Hac Oratione finita. et responso a Conventu
» *Amen*, Cantores incipiant Responsorium : *Subvenite*,
» et Conventus illud prosequatur. Versum cantabunt
» ipsi Cantores, vel alii duo, quibus injunctum
» fuerit a Cantore.

« Dum Cantatur Responsorium, Sacerdos accipiens
» aspersorium de manu Fratris, aspergat corpus
» Aqua benedicta, et postea thurificet illud. » (1)

1949. Post Resumptionem, Cantores incipiant: *Kyrie*, et Conventus prosequatur : *Christe*, etc. Deinde dicat Sacerdos, eo modo quo supra, Orat. *Deus qui omnia.* Qua finita sequitur ℟. *Antequam*, inchoandum et cantandum, ut supra de alio dictum est ; et Sacerdos aspergat corpus et thurificet.

« Finita resumptione, dicitur *Kyrie eleison*, ut su-
» pra, et Sacerdos dicat, eo modo quo supra Ora-
» tionem : *Fac quæsumus*. Qua finita, dicat Sacerdos
» alta voce : *Pater noster*, etc. ℣. *A porta. Dominus*
» *vob.* et Orationem : *Inclina.* Si fuerit Episcopus vel
» Sacerdos : *Deus qui inter apostolicos.* Si fuerit fœmina :
» *Quæsumus.*

1950. « Dum hæc Oratio dicitur, Subdiaconus ac-
» cipiat Crucem de loco suo ; et Oratione finita,
» Sacerdos incipiat alte, sine nota, Antiph. *Aperite*,

---

(1) Circumiens Feretrum, incipiens per eam partem quæ sibi est a dextris, tam in aspersione quam in thurificatione. (*Cærem. C. et Rit. Rom.*

» et Cantor Psalm. 117. *Confitemini* sicut dici solet
» Ps. *Miserere* post Gratias, et Conventus ipsum pro-
» sequatur, statimque egrediantur Fratres ad locum
» sepulturæ hoc ordine : Primo Aqua benedicta præ-
» cedat, deinde Thuriferarius, postea Ceroferarii,
» et in medio eorum Subdiaconus ferens Crucem :
» deinde Fratres sequantur eo ordine quo sunt in
» Choro, præcedentibus junioribus. Postea sequun-
» tur Diaconus ferens Libellum, post ipsum Sacer-
» dos ; ultimo quatuor Fratres. qui corpus deferant;
» quos Fratres Conversi subsequentes poterunt adju-
» vare. Dum autem corpus ad tumulum portatur,
» Campana pulsetur. (1)

« Post Psalmum prædictum, submisse legendo
» subjungatur Ant. *Aperite*.

1951. « Cum ad tumulum pervenerint, Sacerdos et
» Ministri ordinent se ad caput fossæ modo supra-
» dicto ; vel aliter, secundum aptitudinem loci,
» prout commode poterunt. Conventus vero ordinet
» se, sicut loci opportunitas permiserit.

« Deinde Sacerdos Officium peragens, Ministris
» sibi respondentibus, legendo dicat Orationes cum
» Psalmis et Antiphonis ut in Processionario. Alii
» vero Sacerdotes, qui Libellos tenent, dicant eadem
» per se silenter. Cæteri autem Fratres qui Libellos non
» habent, bini et bini dicant Psalmos Pœnitentiales,
» terminando quemlibet Psalmum per *Requiem*; et si
» necesse fuerit, addant quindecim Graduales, vel
» omnes, vel aliquos ex eis.

---

(1) « Possono i Regolari con la stola e la Croce trasportare i Cadaveri del religioso al commune Camposanto, senza il Parroco, ove a quelli per legge civili e proibita il seppelimento nelle loro Chiese? « — ℟. Possono » rispose la S.Congregazione del Concilio del di 24 Gennajo 1864, in causa Ordinis Prædicatorum.

1952. « Finita Antiphona *Aperite*, Sacerdos dicat » Orationem : *Piæ recordationis ;* deinde inchoet Ant. » *Ingrediar*, et Ps. *Quemadmodum*. Finito Psalmo, dicitur Antiphona *Ingrediar* integra.

« Deinde Sacerdos dicat Orationem: *Obsecramus ;* qua » dicta, aspergat, corpus Aqua benedicta, postea fossam ; deinde thurificet utrumque et dicat Ant : » *Hæc requies*, et Ps. 131 : *Memento*.

1953. « Duo autem ex his qui corpus portaverunt, » descendant in fossam ad corpus suscipiendum, » et duo remaneant ad deponendum ; et cum dicitur » Ps. *Memento* deponant illud, et collocent supinum » positis pedibus ad Orientem, vel ad Meridiem ; » secundum fossæ dispositionem. Quo facto egrediantur qui descenderunt in fossam.

1954 « Finita Antiphona *Hæc requies*, dicat Sacer» dos Orationem : *Deus apud quem*. Finita Oratione » Sacerdos inchoans Ant. *De terra plasmasti me*, et » Ps. 138. *Domine probasti me*, projiciat terram super » corpus.

« Quo facto, qui ad hoc constituti sunt, operiant » illud humo, vel claudant monumentum. Sacerdos » prosequendo Psalmum incœptum elonget se pau» lulum a fossa cum Ministris ante se ordinatis, » prout commode poterunt.

1955. « Finita Antiphona *De terra*, Sacerdos dicit » Orationem : *Oremus Fratres carissimi*. Hac Oratione » finita, (vel alia quacumque de subsequentibus, » cum aliquam addere oportuerit), si corpus humatum » fuerit, intermissis cæteris, Sacerdos dicat Oratio» nem : *Debitum humani*.

1956. « Prædicta Oratione finita, Cantor alta voce » incipiat Antiphonam *Clementissime*, et Conventus » eam prosequatur. In fine vero Antiphonæ, cum » inchoabitur : *Domine* ; omnes flectant genua ; et » dicto *super peccatore*, surgant.

1957. « Finita prædicta Antiphona, Sacerdos sub» jungat : ℣. *A porta*, etc., *Dominus vobiscum*, et Ora» tionem : *Satisfaciat*, deinde Orationem : *Deus cujus* » *miseratione*.

« Hac Oratione finita, Cantor incipiat Psalmum » *Miserere*, eo modo quo dici solet post mensam. Et » Fratres, ipsum prosequendo, revertantur in Cho» rum eo ordine quo venerunt : ita tamen ut illi qua» tuor, qui corpus portaverunt, post Conventum » immediate sequantur in utroque Choro, hinc et » inde, et post eos sequatur Diaconus, et post eum » Sacerdos.

1958. « Cum autem ad Chorum pervenerint, aliis » euntibus ad loca sua, et Stolas ac Libellos depo» nentibus, Sacerdos ante gradus Præsbyterii eat, » et juxta eum ad dexteram Diaconus, et Subdiaco» nus ad sinistram ; deinde illi quatuor qui corpus » portaverunt, duo hinc et duo inde : et juxta eos » Acolythi, hinc et inde ; et juxta Acolythos illi » qui Aquam et thuribulum portaverunt similiter » hinc et inde.

1959. « Finito Psalmo *Miserere* et terminato per » *Requiem æternam*, Conventus prosternat se super » formas ; et Sacerdos cum cæteris, qui ibi sunt, » prosternat se super gradus Præsbyterii, et dicto » *Requiem*, absque *Kyrie eleison*, dicant omnes in » silentio : *Pater noster*, quo finito, Sacerdos erectus » solus dicat alta voce : ℣. *Et ne nos*, etc. ℣. *In memo*» *ria*. ℣. *Domine exaudi*. *Dominus vobiscum* et Oratio» nem *Absolve*, etc. ℣. *Requiescant in pace*. *Amen*.

« Deinde Sacerdos prosternat se ut prius, et omnes » dicant in silentio : *Pater noster;* et facto signo a » Prælato, surgant.

« Quod si aliqua Hora immediate dicenda fuerit, » dicto ℣. *Requiescant in pace*, fiat signum a Prælato, » et dicto *Pater noster*, inchoetur Hora.

1960. « Quæ circa sepulturam Fratris notata sunt » ubi commode non possunt servari plenarie, propter » paucitatem Fratrum, minuatur de solemnitate » notata, et fiat prout Prælato videbitur faciendum. » Hoc fiat circa sepulturam extraneorum, sive sint » pauci, sive multi Fratres, ubi consuetum est; » excepto quod, ad eorum corpora deferenda, non » ponantur Fratres; et quod Antiphona prædicta » videlicet *Clementissime* non cantetur, nisi in casu » pro aliquibus personis, quibus ordo magis tenetur, » cum specialis devotio id magis requirit : quod » tamen non est facile faciendum.

« Quando igitur prædicta Antiphona non cantatur, » finita Oratione *Debitum*, etc. dicat Sacerdos alta » voce : *Pater noster.*

« Quo audito, intermissis his quæ dicebantur, » omnes in silentio illud dicant, et Sacerdos eo finito, » alta voce subjungat : ℣. *Et ne nos*... ℣. *A porta*... » *Dominus vobiscum*..., et Orationem : *Satisfaciat*, etc.

1961 « In Conventibus vel Monasteriis ubi Fratrem » vel Sororem aliquam mori continget, Fratres vel » Moniales respective, per octo dies a die mortis, » post Gratias quæ habentur post prandium, cantent » ℟. *Libera me*, super sepulchro defuncti vel defun- » ctæ. In Provinciis autem ubi aliæ consimiles pre- » ces haberi consueverint, usus eorum servetur. » (*Valent.* 1647.)

## §. III. De modo recipiendi extraneos ad sepulturam.

1962. « Quando aliquis extraneus in nostro Cœme-
» terio est sepeliendus, si talis fuerit, qui a Conventu
» suscipi debeat, pulsetur tempore competenti si-
» gnum a Sacrista. Quo audito, Fratres ad Chorum
» veniant, et ad recipiendum corpus se præparent.
» Interim Sacrista aliquos de junioribus advocet,
» qui Aquam benedictam, et Crucem, et thuribulum
» deferant.

« Omnibus itaque præparatis, cum illi, qui defe-
» runt corpus, Ecclesiæ appropinquant, Fratres
» exeant processionaliter de Choro in Ecclesiam
» Laicorum, et eant obviam corpori, præcedente
» Aqua benedicta, et thuribulo; deinde Crux sequa-
» tur; post Crucem aliquis Sacerdos habens Stolam;
» et hi omnes, sicut cæteri, sint in Cappis.

« Si statim pro eo debeat Missa celebrari, Sacerdos
» et Ministri induantur interim, ut, cum Fratres in
» Chorum venerint, parati sint ad Missam.

1963. « Processione itaque exeunte de Choro, pro-
» cedant antiquiores usque ad ostium Ecclesiæ, et
» cæteri suo ordine subsequantur. Et cum corpus
» ad ostium Ecclesiæ pervenerit, mox a Sacerdote
» aspergatur, et thurificetur. Deinde Cantore inci-
» piente ℟. *Libera me, Domine*, et Conventu illud pro-
» sequente, corpus usque in medium Ecclesiæ, vel
» si Prælato visum fuerit usque in Chorum depor-
» tetur, ibique deponatur.

« Quando in Ecclesia deponitur, debet Conventus
» tamdiu ibi subsistere, quousque ℟. incœptum cum
» suo Versu et Resumptione finiatur, et a Sacerdote
» dicatur : ℣. *A porta* etc. *Dominus vob.* et Orationem :

» *Inclina*; vel si Sacerdos, aut Episcopus fuerit : » *Deus, qui inter Apostolicos*; vel si fœmina fuerit : » *Quæsumus, Domine.* Et sic posita Cruce ad caput » Defuncti, et cereis accensis, Processio, præcedentibus junioribus, revertatur in Chorum.

1964. « Quando vero corpus usque in Chorum fuerit deportandum, incœpto ℟. prædicto, revertantur » Fratres in Chorum; et deposito corpore, fiat sicut » prædictum est quando in Ecclesia exteriori deponitur. Quod si aliqua venerabilis Processio cum » corpore venerit, Fratres nostri debent ei cedere, » et in Choro priores sedes ei relinquere.

« Quando autem Defunctus est ad tumulum deferendus, si aliqua Processio præsens est, Processio » nostra novissimo loco debet incedere; et cum ad » tumulum pervenerit, quantum possibilitas loci patitur, seorsum ab aliis simul stare. Humato corpore, eo modo, quo exierunt, debent reverti.

1965. « Si autem Defunctus sine Processione recipiendus sit, Sacerdos aliquis cum Stola, et aliqui » deferentes Aquam benedictam, et thuribulum, » quibus Sacrista dixerit, exeant, et incœpto ℟. *Libera me, Domine*, ut supra aspergat eum, et thurificet, et sic in Ecclesiam introducatur. Dicto ℟. et » Versu, cum Resumptione, dicat. Sacerdos : ℣. *A porta inferi*... ℣. *Dominus vobiscum*, et Orationem : » *Inclina*, vel aliam ex supradictis.

## §. IV. Officium sepulturæ extraneorum.

1966. « Dicta a Sacerdote Oratione *Non intres*, Cantor incipiat: ℟. *Libera me, Domine.*

« Quod dum cantatur, Sacerdos corpus aspergat, » et thurificet.

« Finito Responsorio et dicto *Kyrie, eleison*, Sacer-

» dos subjungat : *Pater noster.* ℣. *Et ne nos...* ℣. *A*
» *porta*, etc *Dominus vobiscum*.

« Deinde dicat unam ex duobus sequentibus Ora-
» tionibus ad libitum. et aliam Orationem subjungat
» ut supra n° 1963. Responso *Amen*. Sacerdos incipit
» Antiphonam : *Omnis spiritus*. Et Cantor Psal. 148.
» *Laudate Dominum de cœlis*, etc. et sic proceditur ad
» locum sepulturæ.

1967. « Finito Psalmo, et Antiphona, et dicto
» *Kyrie, eleison*, Sacerdos subjungit : *Pater noster*, et
» aspergit et thurificat corpus, et fossam ; postea
» dicit : ℣. *Et ne nos...* ℣. *A porta*, etc. *Dominus*
» *vobiscum*, et Orationes : *Satisfaciat tibi Domine...*
» *Deus, cujus miseratione*, Et responso a Conventu
» *Amen*, subjungat Sacerdos ℣. *Requiescant in pace.*
» ℟. *Amen*.

« Postea revertantur ad Sacristiam modo quo supra.

« In aliquibus etiam Conventibus alia forma serva-
» tur, juxta consuetudinem terrarum, non impro-
» banda, sed servanda ; maxime, ubi cum Clericis et
» Religiosis communiter celebratur.

## §. V. Officium sepulturæ parvulorum.

1968. « Dum corpus pueri in Ecclesia collocatum
» fuerit, Hebdomadarius voce mediocri, sine *Domi-*
» *nus vobiscum* et sine *Oremus*, dicat Orationem : *Deus*
» *omnipotens*.

« Qua dicta, unus Frater, cui Cantor innuerit,
» incipiat Antiphonam : *Sit nomen* ; et Cantor Psalm.
» *Laudate, pueri*, qui terminetur per *Gloria Patri*.

Dum autem cantatur Psalmus Hebdomadarius
» corpus aspergat et thurificet ; quod etiam, dum
» sequens Psalmus cantatur, faciendum est. Dicto
» autem *Kyrie, eleison*, ut supra, dicat Hebdomada-

» rius alta voce : *Pater noster*. Quo dicto in silentio, » subjungat. Versiculos et Orationem prout in Col» lectario

1969. « Quo dicto, unus Frater, cui Cantor innue» rit, incipiat Antiph. *In conspectu*, et Cantor Ps. 137. » *Confitebor*, qui terminetur per *Gloria Patri*.

« Cantata post Psalmum Antiphona, Cantores ut » supra dicant : *Kyrie*, *eleison* ; et Sacerdos : *Pater* » *noster*, deinde Versiculos et Orationem notatam.

1970. « Hac Oratione finita Hebdomadarius incipiat » Antiph. *Omnis spiritus*, et Cantor Psalmum : *Lau*» *date*, terminando per *Requiem*.

« Dum dicitur hic Psalmus vadant ad sepulturam ; » finito autem Psalmo *Laudate*, cantetur Ant., quæ » postquam cantata fuerit, dicatur a Cantoribus : » *Kyrie*, *eleison*, ut supra Et Hebdomadarius dicat : » *Pater noster*, Versiculos et Orationem : *Deus cujus* » *miseratione*, et *Requiescant in pace*.

1971. « Et dicto *Amen*, Cantor incipiat Psalm. *De* » *profundis* et sic Conventus, præcedente Cruce, et » subsequentibus post omnes Hebdomadario et Aco» lythis, ad Sacristiam revertatur.

« Si autem Prælato vel Cantori visum fuerit, ma» xime ubi non fuerit astantium multitudo perso» narum, ad tales exequias congregatarum, poterit » intermitti Psalm. *Confitebor*, cum sua Ant. ℣. et » Oratione, dicta tantum Oratione. *Omnipotens et* » *misericors Deus*, et incipiatur Ant. *Omnis spiritus*.

## ARTICULUS VII.

### DE OFFICIO ET MISSA ET PROCESSIONE PRO DEFUNCTIS.

### §. I. Quando dicendum est Officium Defunctorum.

1972. « Qualibet septimana per totum annum, » duobus tantum exceptis, Paschæ videlicet et Pentecostes, omnes et singuli tàm in Choro quam » extra semel in septimana recitare debent Vigilias » pro Defunctis : Vesperas, scilicet, et Matutinum » cum novem Lectionibus. » (*Brev.*)

1973. « Quod si Anniversarium quodcumque Ordinis, evenerit, vel pro præsenti Defuncto, vel » qualibet alia causa infra Hebdomadam, quocumque die fuerint prædictæ Vigiliæ recitandæ, eædem » pro supradicta obligatione sufficiant : neque Fratres » ad alias illa Hebdomada teneantur. In Hebdomada » tamen Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, 2 Novembris, tenentur Fratres, præter » Officium diei Animarum, ad easdem Vigilias persolvendas. »

1974. « Notandum quod Anniversarium quodlibet » (Ordinis) eo die quo positum est in Breviario debet » celebrari, » (*Brev.*) nisi occurrerit impedimentum pro Missa de *Requiem* celebranda, ut infra declaratur, n° 1982, in quo casu transferatur in sequentem diem similiter non impeditam.

1975. « Officium Defunctorum hoc modo agatur in » Conventu : (1) Singulis septimanis post Sextam, vel

(1) Extra Chorum vero poterunt Fratres quando voluerint Officium Defunctorum recitare, et quidem illud dividendo, dummodo totum Officium persolverint ante Dominicam sequentem.

» Nonam diei, vel post prandium tempore jejunii, » dicantur Vesperæ pro Defunctis. Vigiliæ autem » usque post Vesperas diei differri poterunt, si » Priori melius videatur, qui cum Cantore curet ut » tali die et hora dicantur quibus possint Fratres » omnes melius convenire. » (*Ord.*)

### §. II. De modo dicendi Officium Defunctorum.

1976. « Ad Vesperas et ad Vigilias et ad Laudes » qui dicit : ℟. ℟. Horarum incipiat primam Antipho- » nam » (si cantetur hoc Officium). Non dicitur neque *Pater noster*, neque *Deus in adjutorium*, etc., sed absolute incipiatur a Cantore Hebdomadæ primus Psalmus, qui terminatur, sicut et cæteri, per ℣. *Requiem æternam*. (*Brev.*). « Cæteras Antiphonas incipiant Fra- » tres in unoquoque Choro secundum ordinem.» (*Ord.*)

1977. « *In Vesperis* autem, dum Antiphonæ et » Psalmi dicuntur sedeant Fratres. Post ultimum vero » Psalmum, ad ℣. *Requiem æternam*, qui dicendus » est totus ab illo Choro cui competit, surgant, et » stet Chorus contra Chorum quousque Canticum » *Magnificat* cum sua Antiphona finiatur. (*Ibid.*)

« Deinde prosternant se Fratres, etiam si Vigiliæ » sint solemnes, nisi Festum fuerit. Quod si Festum » fuerit, inclinet profunde Chorus contra Chorum, » et dicto *Pater noster*. (*Ord.*) totum secreto, Cantor » incipiat Ps. *Lauda anima* legendo voce mediocri, » terminando eum per *Requiem*. (*Process.*) Hic » Psalmus dicendus est totus a Fratribus prostratis » tempore prostrationum, a Fratribus vero erectis » tempore inclinationum. Finito Psalmo, Hebdoma- » darius erectus et conversus ad Altare dicat : ℣. *A* » *porta inferi. Dominus vobiscum*, et Orationes, ut

» infra. Quæ sunt alta voce dicenda et eodem modo » quo in Vesperis dici solent. Non dicatur post Ora- » tiones *Dominus vobiscum*, etc. sed tantummodo *Re* » *quiescant in pace*, in ea voce. qua dicta est Oratio, » et eodem modo quo dicitur post Missam. Et dicatur » ab eo qui dicit Orationes. (*Ord.*) Postea *Pater noster*, » si immediate non sequitur Matutinum vel alia Hora. » Idem modus servetur in Laudibus post Canticum » *Benedictus*.

1978. « *In Vigiliis autem et Laudibus* sedeant Fratres » ad omnes Psalmos et Antiphonas, usque ad *Lau-* » *date Dominum de cœlis* exclusive, et dum tertia » Antiphona de Nocturno dicitur surgant; » (*Ibid.*) post Versiculum dicatur *Pater noster* more solito (1).

Quo finito, Sacerdos subjungat : *Et ne nos*, etc. *Sed libera*, etc. Tunc omisso *Jube domne*, incipiatur Lectio absque titulo, et Fratres sedeant.

« Lectiones autem terminentur sine *Tu autem* vel » alia conclusione. Quæ in medio Chori legendæ sunt, » et eas legere debent, et cantare Versus Responsorio- » rum, qui per hebdomadam ad ea notati sunt, nisi » Cantor aliter ordinaverit. (V. n.° 766 et 784.) Quando » Versus Responsoriorum cantantur ab uno, Cantor » incipiat singula Responsoria : quando vero a duobus, » tunc illi incipiant Responsorium qui Versum cantare » debuerint. In Vigiliis quæ semel in septimana fiunt, » singula Responsoria ab uno; in quatuor vero » Anniversariis Ordinis tertium et sextum et nonum » Responsorium a duobus. Præsente autem Fratre » defuncto, Responsoria omnia a duobus cantentur. » Emergentes vero Vigiliæ fiant secundum quod Præ-

(1) Non totum secreto ut falso dicitur in Processionario, sed pronuntiato Versu *Et ne nos*, prout in Ordinario, in Collectario et in Breviario habetur.

» lato videbitur. Poterunt autem in parvis Conventi-
» bus legendo distincte dici. » (*Ord.*)

« Quando prædictæ Vigiliæ fiunt, nonum Respon-
» sorium sive dicendum fuerit ab uno, sive a duobus,
» dicatur cum his tribus Versibus scilicet : *Dies illa.*
» *Tremens. Creator.* Dicto ultimo Versu Cantor rein-
» cipiat. ℟. *Libera.* » (*Ibid*). Stent autem Fratres a ℣. *Creator* (prout fert communis usus) usque ad finem Responsorii ; et dum fit mentio effusi pretiosi Sanguinis discooperiant et inclinent caput.

1979. Orationes vero hoc ordine dicentur :

Prima Oratio. si fiant Vigiliæ pro aliquo Episcopo vel Sacerdote dicatur : *Deus qui inter apostolicos.* (V. n° 1987).

— Si pro quocumque alio viro : *Inclina ;*

— Si pro fœmina : *Quæsumus Domine ;*

— Si fit Officium ordinarium pro Fratribus Familiaribus, Benefactoribus : *Deus veniæ ;*

— In omni Anniversario : *Deus indulgentiarum ;*

Secunda Oratio : *Deus veniæ*, præterquam in Officio ordinario pro Fratribus, etc., in quo casu 2° erit : *Deus qui nos Patrem ;*

Tertia Oratio : *Fidelium* in quocumque casu.

Si simul eveniat Obitus et Anniversarium dimittitur Oratio *Deus veniæ*, et prima dicatur pro præsenti Defuncto, secunda de Anniversario, tertia non mutetur.

Quæ Orationes dicuntur sub unica et longiori conclusione. *Qui vivis.... cum Deo Patre*, etc.

### §. III. Quando dicenda est Missa pro Defunctis.

1980. « In qualibet septimana per totum annum non
» impedita Festo Simplici et supra, vel Octava Sole-
» mni et majori aut Octava Epiphaniæ, vel Octava

» die alterius Octavæ Simplicis vel Octava die Octavæ » trium Lectionum, vel Feria aut Vigilia habentibus » propriam Missam, vel resumenda Missa Dominicæ » præcedentis, quia fuit impedita. et infra hebdo- » madam non est alius dies in quo resumi possit, » Feria II semper Missa celebranda est pro Defun- » ctis, » (*Miss.*) id est de *Requiem.*

1981. « Quod si Missa de *Requiem* ob continuas » Festivitates vel dies supra relatos infra hebdoma- » dam celebrari non possit, tunc in Missa illa quæ » dicitur in Feria II. vel in altera minus solemni » (quæ nihilominus ipsis Defunctis applicatur) dicatur » Oratio *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum*, etc. » (nisi in hebdomada Paschæ et Pentecostes, in qui- » bus intermittitur Officium Defunctorum); et post » Missam Processio nullatenus dimittatur; et in hoc » gravatur conscientia Prælatorum, si non satisfe- » cerint. Feriæ autem ita ordinandæ sunt ut minus » solemnis sit Feria VI, deinde quarta, tertia, quinta, » ultima et solemnior sit Sabbatum. » (*Ibid.*)

1982. « Ex concessione Apostolica sub die 13 Ja- » nuarii 1859, Missa de *Requiem* in quatuor Anniver- » sariis Ordinis decantari potest, occurrente licet » ritu Duplici, » attamen exclusis a dicta concessione » Festis de præcepto servandis (Dominicis diebus) » Feriis. (uti IV Cinerum) Vigiliis, Octavisque pri- » vilegiatis, ac omnibus Officiis quæ in Calendario » Ordinis adnotantur sub ritu peculiari qui respondet » ritui Duplici primæ et secundæ Classis, cleri sæ- » cularis; » quo in casu transfertur in diem sequentem similiter non impeditam. Eo autem die quo cantatur Missa de hujusmodi Anniversario non omittatur Missa conventualis de die de quo fit Officium, præterquam in casibus n° 347. Si vero, propter paucitatem Fratrum. Missa de Anniversario cantari non possit, vel altera Missa de Festo nequeat celebrari,

tunc dicitur unica Missa de Festo et additur Oratio *Omnipotens* pro Vivis et Defunctis (V. n° 380.)

1983. Missa solemnis pro Fratre Defuncto debet celebrari in die Obitus seu Depositionis ejus, prout in Constitutionibus, et supra n° 1944 præscribitur.

« Missæ autem solemnes in die Obitus Defuncti, » etiam præsenti cadavere (1) celebrari nequeunt » propriis diebus Festorum habentium Octavam so- » lemnissimam. et in die Epiphaniæ et Ascensionis, » in quibus nulla Missa pro defuncto celebrari po- » test. » (*Miss*) Prohibentur insuper in Festis SS. Trinitatis, Purificationis B. M. V. Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M.V., B. Dominici P. N., SS. Rosarii B. M. V., Omnium Sanctorum, Tituli principalis Ecclesiæ, Patroni principalis de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ, Triduo Mortis Christi, ac tandem diebus quibus celebratur Festum de præcepto cum magna solemnitate et populi concursu. (*S. R. C. in Compost.* 8 *Apr.* 1809.)

1984. Missæ solemnes die tertio, septimo, trigesimo, et Anniversario Obitus vel depositionis celebrari possunt, præterquam : A Vigilia Nativitatis usque ad Circumcisionem inclusive ; a Vigilia Epiphaniæ usque

---

(1) « Si cadaver tumulatum non fuerit, sed in loco decenti proximiori Ecclesiæ servetur etiamsi præsens non sit in Ecclesia, celebrari potest Missa solemnis ut die Obitus, diebus etiam festivis de præcepto. » (25 *Apr.* 1781.) Si vero terræ traditum sit, celebrari potest, ut supra, dummodo non sit duplex 1æ vel 2æ classis aut festivum de præcepto » (7 *Sept.* 1816.)

An Missa de *Requiem* cantari possit in Festo Duplici majori vel minori, non tamen de præcepto, statim ac nuntius accipitur de Obitu, ut citius suffragetur anima Defuncti ? »

℟. « Indulgeri posse, non relicta tamen Missa in cantu de Festo » Duplici minori occurrentis, quatenus adsit obligatio cantandi. » (4 *Maii* 1686.)

ad ejus Octavam inclusive; Feria IV Cinerum; a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis; a Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive; in Festo SS. Corporis Christi, et tota ejus Octava; in omnibus diebus Dominicis et Festivis de præcepto; in omnibus Duplicibus 1° et 2° classis etiam non Festivis (*S. R. C.* 2 *Aug.* 1783.)

« Anniversaria et Missæ cantatæ de Requiem re- » lictæ ex dispositione testatorum quotannis in die » ipsorum Obitus, etiam in duplici majori contin- » gentes possunt celebrari, et non comprehendun- » tur in Decreto ipsius S. C. edito die 5 Augusti 1662 » et a SS. D. N. approbato, de Missis Defunctorum » privatis non celebrandis in Festo Duplici. » (22 *Nov.* 1664.)

1985. » Missæ privatæ Defunctorum dici nequeunt » in Duplicibus et supra, nec in Dominicis, nec per » totam Octavam Solemnissimam, nec in die Octava » Octavæ Solemnis, nec in Vigiliis Nativitatis Do- » mini, Epiphaniæ et Pentecostes, nec infra totam » Octavam Epiphaniæ, nec Feria IV. Cinerum, nec » in tota Hebdomada majori, nec tandem diebus » Octavis S. Stephani Protomartyris. S. Joannis Ap. » et Ev. ac Sanctorum Innocentium. » (*Miss. Def.*)

## §. IV. De Ordine Orationum in Missis pro Defunctis.

1986. « *In die Commemorationis Omnium Defuncto-* » *rum*, et in die *Obitus* seu Depositionis Defuncti, » *et in Anniversario* mortis ejusdem, dicitur una tan- » tum Oratio; et similiter in die tertio, septimo, et » trigesimo Depositionis; et quandocumque pro De- » functis solemniter celebratur. In aliis vero Missis,

» quæ non solemniter celebrantur, dicuntur tres » Orationes ordine infra posito.

1987. » *In die Obitus*, *seu Depositionis Defuncti* : Si » Papa fuerit, Oratio erit, *Deus qui inter summos*, » quæ Oratio dicitur etiam in ejus Anniversario.

— » Si Episcopus : *Deus qui inter Apostolicos* (cum » nomine *Pontificali*, vel *Pontificis*.)

— » Si Sacerdos fuerit eadem dicitur Oratio ; sed » ubi dicitur *Pontificali*, dicitur *Sacerdotali*, ubi di- » citur *Pontificis* dicatur *Sacerdotis*. Si fuerint plures » dicatur in numero plurali :

— » Pro Episcopo Cardinali defuncto dicatur : » *Famulum tuum N. Episcopum Cardinalem*, *Pontifi-* » *cali*, etc.

— » Pro Presbytero Cardinali dicatur : *Famulum* » *tuum N. Præsbyterum Cardinalem*, *Sacerdotali*, » e'c.

— » Si vero alius fuerit, vel alia : Oratio erit » *Deus cui proprium*, etc. Addita pro Diacono Car- » dinali particula : *Famuli tui Diaconi Cardinalis* et » similiter in cæteris casibus.

1988. » *In die tertio*, *septimo et trigesimo*, depositio- » nis Defuncti ; si fuerit Papa, vel Episcopus, vel » Sacerdos, Oratio erit sicut pro die Obitus nota- » tum est.

— » Si vero alius fuerit, vel alia, Oratio erit » *Quæsumus Domine*, *ut animæ*.

1989. » *Si pro aliquo uno Defuncto specialiter celebratur* » *extra diem Obitus vel Depositionis* : Si fuerit Papa, » vel Episcopus, vel Sacerdos, prima Oratio erit ut » in die Obitus ipsorum ;

— Secunda : *Deus veniæ largitor* ;

— Tertia : *Omnipotens sempiterne Deus*, *qui vivorum*.

— Si vero alius fuerit ; prima, si vir, *Inclina Domine* : si fœmina, *Quæsumus Domine pro tua* ; secunda et tertia non mutantur.

1990. « *Si pro omnibus Defunctis generaliter* celebra-
» tur prima Oratio erit *Fidelium Deus*, — secunda et
» tertia ut supra n° 1989.

— » Si vero pro pluribus tantum, prima Oratio
» erit: *Animabus quæsumus*, vel *Propitiare, quæsumus*;
» — secunda et tertia non mutantur. (*Miss.*)

— » Si autem ignoretur utrum celebrandum sit pro
» uno, vel pro omnibus vel pro pluribus tantum, prima
» Oratio erit: *Deus qui inter Apostolicos*; secunda et tertia
» non mutantur. (*S. R. C.* 16 Febr. 1781.) (*Miss. Def.*)

1991. » *Si pro Fratribus, Familiaribus, et Benefacto-*
» *ribus* celebretur, prima Oratio erit: *Deus veniæ lar-*
» *gitor*, secunda *Deus qui nos Patrem*, tertia non
» mutabitur.

1992. » *In omni vero Anniversario* quotannis cele-
» brando, sive pro uno specialiter, sive pro pluribus
» celebratur, dicuntur similiter tres Orationes. Prima
» erit *Deus indulgentiarum*, sive in singulari sive in
» plurali numero, ut ibi notatur : secunda et tertia
» ut supra; præterquam in duobus Anniversariis ex
» quatuor in Ordine nostro singulis annis dici solitis,
» in quibus, secunda Oratio in mense Februario erit:
» *Deus, qui nos Patrem*: et in mense Julio secunda
» erit: *Deus cujus miseratione*; tertia vero non mu-
» tatur.

1993. » Si autem simul evenerit dies Obitus, seu
» Depositionis Defuncti, et Anniversarium, dimitti-
» tur etiam Oratio *Deus veniæ largitor*, et prima dici-
» tur pro præsente Defuncto, secunda pro Anniver-
» sario, tertia non mutabitur. (*Miss.*)

Plura de Orationibus in Missis Defunctorum require supra n° 384.

» In Missis quotidianis quæ pro Defunctis cele-
» brantur possunt plures quidem dici Orationes quam
» tres, sed curandum ut sint numero impares. »
(*S. R. C.* 2 *Sept.* 1741.)

## §. V. De his quæ omittenda vel servanda sunt in Missis Defunctorum.

1994. « Missa pro Defunctis dicitur modo ut supra, » excepto quod aqua non benedicitur quando in funditur in Calice; non dicitur *Gloria Patri* post Introitum, sed dicto ℣. *Te decet* repetitur *Requiem* » *æternam;* neque *Gloria in excelsis*, nec *Flectamus* » *genua*, nec *Alleluia*, neque Orationes quæ sunt » tantum pro vivis; nec *Dominus sit in corde meo;* » non dicuntur hæc verba: *Quid retribuam Domino* » *pro omnibus quæ retribuit mihi?* nec osculandus est » liber dicto Evangelio; (1) non dicitur *Credo;* non » dicitur ad *Agnus Dei: miserere nobis*, vel *dona nobis* » *pacem*, sed ejus loco dicitur: *dona eis Requiem*, et in » ultimo additur *sempiternam;* nec osculandus est » Calix post *Pax Domini;* neque pax datur, nec dicitur *Humiliate capita* etc; et in fine non dicitur » *Ite missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace*, verso vultu ad Altare ℟. *Amen;* nec » Benedictio datur; nec aliud Evangelium umquam » dicatur in fine quam *In principio*. Alia omnia ser- » ventur ut in aliis Missis. » (*Miss.*)

1995. Si pro pluribus celebretur, dicitur ℟. *Requiem* et Tractus *Absolve*; si vero pro uno tantum, dicitur ℟. *Si ambulem*, et Tractus *Sicut cervus*. (*Miss.*)

Sequentia pro mortuis dicitur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et in die Obitus seu Depositionis Defuncti, et in quatuor Anniversariis quæ de more Ordinis dicuntur per an-

---

(1) Nec dicitur Oratio correspondens: *Per evangelica*, etc. (*S. R. C.* 11 Sept. 1847.)

num, atque in aliis quæ solemniter celebrantur; et quotiescumque in Missis una tantum Oratio dicitur. In aliis autem Missis privatis pro Defunctis dicitur ad arbitrium Sacerdotis. (*Miss.*) Epistolæ et Evangelia posita in una Missa pro Defunctis dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis (*Miss.*) Dicitur semper Præfatio communis, nihilque proprium additur in Canone.

1996. Rubrica supra posita spectat ad Missam tam privatam quam solemnem pro Defunctis; sed in Missa majori, alia sunt omittenda, vel observanda, prout sequitur:

« In Obitu et Exequiis Fratris defuncti vel alterius » personæ, in Missis Anniversariis Ordinis vel nobi- » lis aut excellentis personæ Dalmatica utendum est » In aliis autem Missis pro Defunctis servetur (quoad » usum Dalmaticæ) ritus et modus Officii diei, de » quo Missa Conventualis dicitur, vel dicenda foret, » nisi occurreret pro Defunctis, celebrandum. » (*Miss.*)

1997. Numquam pulsentur Organa, etiam in Missis solemnibus. Non adsit Thuriferarius. Deferatur Calix a Subdiacono in ingressu ad Altare. Sessum non eant Sacerdos et Ministri ad *Kyrie eleison*. Epistola legatur ubi profestis diebus legi solet, et similiter Evangelium. Non petitur Benedictio aquæ infundendæ in Calice a Subdiacono; nec petitur Benedictio a Diacono antequam cantet Evangelium. Crux non deferatur ad Evangelium. Non traditur Sacerdoti liber Evangeliorum osculandus. Cantentur Præfatio et *Pater* cum tono feriali. Patena a Subdiacono post Sanctus non deferatur. Pax non datur etiam Ministris. Diaconus dicat: *Requiescant in pace.*

1998. Quando in die Obitus, vel alia de causa solemniter pro Defunctis celebratur, Cantores omnia peragant ut in Festo Duplici. (V. n.° 1688.)

In quatuor Anniversariis Ordinis, Responsorium a duobus, Tractus a quatuor binis et binis cantetur, ut in Festo Simplici. Sequentia alternatim a Cantoribus et Choro cantetur. In Offertorio Cantor incipiat ℣. *Hostias*, quem totus Chorus prosequitur. In cæteris casibus omnia fiant ritu feriali.

## §. VI. De Processione pro Defunctis qualibet septimana facienda.

1999. « In qualibet septimana per totum annum, » quando in Conventu celebrantur Vigiliæ pro Defunctis, post Missam fiat Processio per Claustrum » mortuorum, aut saltem per Ecclesiam cum Re» sponsoriis, aut Responsorio, ℣℣. et Orationibus » opportunis. Ad quam Processionem debet Sacrista » pulsare campanulam ante finem Missæ ut Fratres, » qui extra Chorum sunt, omnes conveniant, et quæ » sunt congrua, præparare possint.

2000. » Si Missa de *Requiem*, ut supra dicitur, ce» lebrari non possit, tunc post Missam ordinariam » diei (quæ ipsis Defunctis nihilominus applicetur)... » Processio nullatenus dimittatur : Et in hoc gra» vatur conscientia Prælatorum, eo quod ita in » Capitulo generali Salmanticensi auctoritate Apo» stolica determinatam est, hoc addito : « Prælati » curent ut tali die et hora prædicta fiant quibus » omnes possint melius interesse. Ad quæ omnes et » singuli teneantur, etiam Magistri et actuales Lecto» res, non obstantibus dispensationibus suis. »

2001. « Præfacta lex tam pia, tamque laudabilis, » jamdiu in toto Ordine est in consuetudine ; atque » modo et ordine sequenti celebratur, videlicet : » fiunt quatuor Stationes » more solito. (V. n° 1724.) — » In prima parte Claustri fit prima Statio, et

» cantatur ℟. *Credo quod Redemptor*, deinde *Pater* » *noster*. ℣. *Et ne nos*. ℣. *A porta*... Oratio, *Deus veniæ* » *largitor*.

— » In tertia parte Claustri fit secunda Statio, et » cantatur ℟. *Qui Lazarum, Pater noster* etc. ℣. *Credo* » *videre*. ℟. *In terra*. Oratio. *Deus qui nos patrem*.

— » In quarta parte Claustri fit tertia Statio, et » cantatur ℟. *Memento mei. Pater noster* etc... ℣. *Et ne* » *nos*. ℣. *In memoria æterna*. Oratio, *Deus cujus mise-* » *ratione*.

» In Ecclesia, vel in Choro, aut in majori Capella » secundum dispositionem domus, fit Statio quarta, » et cantatur ℟. *Libera me Domine*, vel *Ne recorderis*. » *Pater noster*. ℣. *Et ne nos*. ℣. *Ne tradas bestiis*... » Oratio. *Fidelium*. » (*Process.*)

2002. Ubi autem cantatur unum tantum Responsorium, fit Statio in Ecclesia, et cantatur. ℟. *Libera*, cum Versibus et Resumptionibus consuetis. Deinde *Kyrie eleison. Pater*.... ut supra. ℣. *Et ne nos*. ℣. *A porta... Dominus vobiscum*. Oratio. *Deus veniæ*. Et si fuerit Anniversarium, loco præcedentis Orationis, dicitur Oratio : *Deus indulgentiarum*. Et semper additur sub unica Conclusione Oratio : *Deus cujus miseratione*. (*Ibid.*)

2003. « Dicto post Orationem *Requiescant in pace*. » ℟. *Amen*, Hebdomadarius et Ministri in Sacristiam » vadant. Tunc si Statio ista non fuerit facta in Choro, » Conventu accedente ad Chorum, Cantor incipiat » Ps. *De profundis*, et Fratres ipsum prosequantur, » Choro in quo est hebdomada incipiente. Quod si » multum distantes fuerint a Choro, loco Ps. *De pro-* » *fundis* Cantor incipiat Ps. *Miserere* eodem modo, » terminando eos per *Requiem*. » (*Ibid.*)

## §. VII. De Exequiis faciendis post Missam Conventualem, supra sepulcra Defunctorum; in eorum Anniversario.

2004. « Cum faciendæ sunt Exequiæ supra sepulcrum aliquod Defuncti, post Missam conventualem » Sacrista tumulum Defuncti panno aliquo cooperiat, » et duos cereos, unum ad caput et alium ad pedes » accendat. Et post elevationem Corporis Christi » Missæ Conventualis faciat signum cum Campana » Capituli, ut possint Fratres convenire ad Exequias » faciendas. Quo facto, Crucem et Aquam benedictam et Cappam, seu Pluviale nigrum, ad Altare » majus deferat.

2005. « Finita Missa, Cantore ex cujus latere est » Hebdomadarius incipiente ℟. *Libera me*, Subdiaconus, accepta Cruce de loco suo, procedat ad tumulum præparatum; quem Conventus, junioribus præcedentibus, sequatur, et in ultimo Hebdomadarius » cum Pluviali, et Diaconus a dextris ejus cum libello Processionali, et altero Acolythorum cum » Aqua benedicta a sinistris.

2006. « Cum autem ad tumulum pervenerint, Subdiaconus cum Cruce collocet se ad caput sepulcri, » et cæteri Fratres ordinent se secundum loci dispositionem, Hebdomadarius autem stet post Crucem » cum Ministris.

2007. » Completo Responsorio Cantor incipiat ℣. » *Dies illa*, et Conventus prosequatur; et finita Resumptione, incipiet ℣. *Tremens*; postea, si ibi consuetum est incipiat ℣. *Requiem*; et finita Resumptione, si multæ personæ et nobiles ibidem fuerint, » poterit cantari a Cantoribus ℣. *Creator*. Alioquin » cantata Resumptione *Dum venerit*, post ℣. *Tremens*,

» vel *Requiem*, dicat Cantor : *Kyrie eleison*. Quo dicto, » Hebdomadarius aspergens tumulum Aqua benedi- » cta et thurificans, dicat alta voce : *Pater noster*. » Quo in silentio dicto, subjungatur : ℣. *Et ne nos...* » ℣. *A porta... Dominus vobiscum* et Oratio pro illo, » vel illis pro quibus Exequiæ fiunt, prout supra de » Officio dictum est. Quælibet prædictarum Oratio- » num non debent terminari : *Per Christum*; sed, dicta » ultima dictione Orationis, subjungatur Oratio, » *Deus cujus miseratione*.

2008. « Et responso a Conventu : *Amen*, subjungat » Hebdomadarius : ℣. *Requiescant in pace*. ℟. *Amen*. Quo » dicto, Cantor incipiat Psalm. *De profundis*, et sic » Conventus, præcedente Cruce, revertatur ad Cho- » rum, et Hebdomadarius cum Ministris ad Sacri- » stiam. » (*Process.*)

EXPLICIT CÆREMONIALE JUXTA RITUM ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

# APPENDIX

---

## A

